CN520
Z94
v.2

10646
962

LIBRARY OF PRINCETON
APR 21 1910
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division CN520
Section .Z94
v. 2

Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/augustiwilhelmiz02zump

LIBRARY OF PRINCETON
APR 21 1910
THEOLOGICAL SEMINARY.

AUGUSTI WILHELMI ZUMPTII

COMMENTATIONUM EPIGRAPHICARUM

AD

ANTIQUITATES ROMANAS PERTINENTIUM
VOLUMEN ALTERUM.

BEROLINI
APUD FERD. DUEMMLERUM.
1854.

LIBRARY OF PRINCETON
APR 21 1910
THEOLOGICAL SEMINARY.

A. W. Zumptius lecturis s. p.

Quod ante hos quattuor annos edidimus commentationum epigraphicarum volumen etsi in ea incidit litterarum nostrarum tempora, quae quia vel aliorum studiorum plena vel exponendi magis utilitati quam quaerendi novitati dedita essent, ab universo hoc disputandi genere paululum abhorrere viderentur, ita tamen quibusdam viris eruditis, quorum iudicium magni facere solemus, probatum est, ut neque operae nostrae nos poeniteret, neque quod consilium cepissemus antiquitatis Romanae illustrandae, id abiiciendum aut temporum iniquitati remittendum esse putaremus. Addidimus igitur alterum commentationum volumen superiori et disputationis genere et externa quasi forma prope simile. Etenim quod proprium erat illius, ut non maiorem aliquam antiquitatis Romanae partem, sed singulos quosdam locos affinitate quadam inter se coniunctos singulis commentationibus illustraremus, idem secuti sumus in hoc, quaestionem ipsam, quam illic sine severiore tamquam disciplina et digredi nonnunquam a proposito et in iis quae agebantur copiosius explicandis versari voluimus, ne hic quidem iis frenis reximus, ut non, quicquid occurreret aut neglectum ante nos aut minus perspectum, id libere persequeremur, inscriptionum denique Latinarum in his usus est idem, qui fuit in illis, quas ut in altera et tertia disputatione minus saepe adhiberemus quam epigraphicarum commentationum ratio postulare videatur, non nostra, sed argumenti culpa accidit in iis vel rebus vel temporibus siti, quorum pauca in lapide aut aere inscripta monumenta supersint. Quamquam etiamsi ab inscriptionibus discessissemus easque res exponeremus, quarum cognoscendarum ab arte epigraphica nullum prorsus peti posset argumentum, quoniam illud horum studiorum quasi principium ac caput habuimus, iure tamen quodam nostro videbamur posse facere, ut quarum origo tantum, non argumentum etiam ab epigraphica sumeretur, eas epigraphicas commentationes appellaremus.

*

Communiter autem his, quas viris doctis commendamus, quaestionibus proposita est ratio imperii Romani provincialis, quae postquam olim a Sigonio praeclare illustrata est, iacuit fere usque ad nostra tempora neque ea studia excitavit, quibus est dignissima. Ut enim pauca afferam, nisi constet, quo quamque provinciam tempore Romani instituerint, quibus finibus descripserint, qua lege administrarint, quomodo illa quae tantopere praedicari solet Romanorum in imperio et condendo et continendo ars poterit perspici? Quomodo ipsa magistratuum vis ac natura intelligi? Etenim cum praetores Romae primum bini quotannis fierent, tum quaterni, tum plures, quis numeri amplificandi causam inveniat, nisi qui provinciae quot quoque tempore fuerint videat? Quis iudicia, quae praetoribus tradita esse constat, quomodo administrata, quis quaestiones perpetuas quando institutae et auctae et amplificatae sint, quis multa alia, quae cum summa republica sunt coniunctissima, recte explicet, nisi provincialem rationem penitus tenuerit? Quae cum adhuc minus virorum doctorum studiis esset explorata, magna necessario antiquitatis Romanae pars parum intelligebatur. Quodsi Verrinis Ciceronis orationibus, quibus una eaque parva provincia uno tempore illustratur, nihil tamen esse existimatur in litteris Latinis quod ad antiquitatem cognoscendam sit fructuosius, si omnium provinciarum rationes omniaque tempora indagata erunt, quantum commodum existet? Sive igitur amplificationem imperii, sive instituta, leges, magistratus reipublicae respicimus, provinciarum Romanarum cognitione nihil est gravius, nihil uberius, nihil utilius, in qua quicquid operae ac studii recte collocabitur, non potest non magnum aliquem fructum afferre.

Ac prima quidem harum commentationum minus fortasse videatur provincias populi Romani attingere. Versatur enim in *titulo Concordiensi* explicando, in quo nullius omnino provinciae mentio fit. At insigne adiumentum exhibet ad Italiae ius cognoscendum neque id qui imperii Romani initium et exitum sequetur, magnopere ad provincialem rationem pertinere negabit. Etenim Italia cum primum tota, tum magna ex parte provinciae loco esset habita, ut principatus convaluit, rursus aequari provinciis ac per orbem quendam fortunae ad idem quo illae utebantur ius pervenire coepit, quod quo pacto acciderit qui discere cupiet, aliquantum ex hac, de qua diximus, inscriptione peti posse intelliget. Habet eadem alia compluria cognitu dignissima, imprimis quod praetorum tutelarium originem aperit et quod iis imperii temporibus scripta est, quae propter auctorum tenuitatem sint obscurissima. Quapropter eam sine iusto commentario exire noluimus nec, quod esset inedita, ideo nisi quid etiam doctrinae ac studii adiecissemus, satis eam viris doctis commendatam esse existimavimus idque eo minus committendum esse putavimus, quo magis nunc magnam partem cum epigraphicae artis tum omnium nostrarum litterarum in edendo, non in cognoscendo illustrandoque contineri solemus conqueri. Altera quae *de Syria*

Romanorum provincia est commentatio cum illud sequitur, quod inscriptum est, tum omnes prope Orientis provincias, quae ab Augusto ad Vespasianum fuerunt, complectitur. Quas res dum examinamus, factum est nobis primum nolentibus, tum non invitis, ut ad quaestionem maximam atque omnium prope quas novimus difficillimam, quae est de anno quo Christus natus sit, accederemus, in qua unum locum non magnum illum quidem, sed gravem tamen ac depositum fere explicavimus. Vellem equidem etiam reliqua de censu, qui quo tempore Christus natus est narratur esse actus, licuisset persequi eaque ad eam quae iam ineunda erit rationem accommodare, sed longae id erat disputationis neque iis, quos mihi proposueram finibus poterat perfici. Illud autem nunc prope aegre fero, quod Syriae proconsules ab Augusto demum, non ab ipsa provinciae constitutione explicare incepi, quo in argumento errores quosdam veteres emendari posse video; sed nec mutare quae scripseram placebat nec Augusti principatus non pro iusto quaerendi principio haberi debebat. Plurima denique *de Macedoniae provinciae praesidibus* disputavimus; nam et opiniones quaedam virorum doctorum, qui Macedoniam nimis artis finibus circumscribere solent, erant refellendae et in bellorum civilium temporibus multae res exponendae, quae cum alio proprie pertineant, nisi tamen apertae sint, ne rectores quidem Macedoniae quando inierint ac decesserint, possit intelligi. Atque omnino sic censemus, quicquid studii in tristissimas illas populi Romani calamitates, quae initia imperatorum antecesserunt, impendatur, id magno cum emolumento impendi. Quare nihil ex iis quae disputata erant, resecuimus, ne potuimus quidem, si recte disputationem nostram procedere vellemus.

Statueram his adiicere nonnulla, quae ad defensionem atque emendationem priorum nostrarum commentationum pertinerent, imprimis ut quae de coloniis Romanorum militaribus olim scripsimus, suppleremus. Etenim quaestionem illam cum et natura sua adeo esset multiplex, ut vix a multis satis recte posset tractari, et integra prope ad nos pervenisset, quod studia virorum doctorum excitanda publiceque quae deinde quasi expolirentur proponenda, non quod perfectam eam esse censeremus atque absolutam, edideramus: in qua si tot aut tantos errores viderem esse admissos, ut post paucorum annorum intervallum corrigi necesse esset, adderem supplementa quaedam; nunc quia nec quae desunt facile suppleri nec quicquid in tanta argumenti difficultate erravi, non magna quadam excusatione dignum esse intelligebam, peritorum iudicum aequitati confidere quam quae mox rursus supplenda essent adiicere videbatur esse satius. Quae autem de quinquennalibus universaque re municipali, item quae de IIIIviris exposuimus, probari fere a viris doctis videmus. Magnam vero contentionem nobis conflavit commentatio de fastorum Campanorum fragmento; siquidem et locum, quo inventum esset, parum recte constitutum et ipsam monumenti quasi seriem ac perpetuitatem falso digestam esse quidam opinabantur.

Quare faciendum utique esset, ut ad sententiam nostram probandam pauca dissereremus, nisi nuper admodum commentatiuncula per se edita defensionem nostram suscepissemus. Qua cum duo haec de quibus dubitatum erat diligentissime confirmassem, primum ut loci quae quidem extarent indicia ad Capuam referenda esse docerem, deinde ut ordinem eum esse oportere demonstrarem, quem proposueram, nihil nunc supererat, quod adderem.

Solae igitur tres hae, quas diximus, commentationes prodeunt, quae si cui ipsae minus probentur, at argumentum habent eiusmodi, quod facile multorum studia invitet. Etenim et maximas populi Romani provincias complectuntur et multa de legibus iudiciisque persequuntur et nonnulla, quae cum sacra nostra historia coniuncta sunt, attingunt et versantur denique non in una aliqua aetate, sed ab crescentis reipublicae iuventute ad adultum imperium pertinent, quo quae maiorum virtute parta erant, vix arte atque auctoritate retinebantur.

Scripsimus Berolini a. d. XIII Kal. Apr. 1854.

Insunt in hoc volumine commentationes hae:

Titulus Concordiensis Arrii Antonini restitutus et explicatus . . . . . pag. 3

De Syria Romanorum provincia ab Caesare Augusto ad T. Vespasianum . . . . . „ 73

De Macedoniae Romanorum provinciae praesidibus, qui fuerunt usque ad T. Vespasianum . . . . . „ 153

Titulus Concordiensis Arrii Antonini

restitutus et explicatus.

Allata est ad nos ante aliquot menses Venetiis beneficio Immanuelis Cicognae, viri illustrissimi, qui antiquitate patriae urbis cognoscenda meritissimam laudem invenit, inscriptio vetus satis notabilis. Quam ut legi atque examinare coepi, quoniam et ineditam ac modo repertam esse intelligebam, et ad complures antiquitatis partes vel constituendas vel cognoscendas plurimum conferre et denique sic nobis tradi videbam, ut nisi peculiari aliqua opera et restitueretur et exponeretur, vix a multis intelligeretur, paulo longiore disputatione illustrare statui. Atque est ea commentario utique dignissima. Continet enim trium institutorum, quae florente etiamtunc imperio Romano coepta latissime postea patuerunt, principia, illustrat viri nobilissimi et gravissimi, qui quamvis de republica pace administranda optime meruisset, adhuc tantum non ignotus nobis erat, vitam, attingit denique eum locum historiae Romanae, qui cum rebus domi bellique gestis imperioque sapientissimi principis omnia prope tempora superet, tamen, quia auctores qui idonei olim fuerant, nunc perierunt, obscurissimus est.

Inventa autem est haec inscriptio superiore anno ab Ludovico Cicogna, Immanuelis fratre, in agro veteris coloniae Concordiensis ipsoque aspectu indicat magnitudinem monumenti. Est enim lapis magnus, litterae ab initio item magnae, deinde a versu quarto paulatim ita deficientes, ut usque ad versum septimum aequales fere, tum per tres versus rursus simili magnitudine sint, denique usque ad exitum monumenti pari ratione procedant. Quam litterarum inaequalitatem, quia in exemplo nobis misso non erat significata, ne nos quidem exprimendam esse putavimus; sed meminisse tamen eam oportebit, quia lacunae explendae erunt. Est igitur exemplum nobis missum hoc:

. . . . . D . . . . . .
. . . . . T . . . . . .
N . NO PRAET . . . . .
AER . RI SATVRN . . . . . .
IVRID . CO PER ITALIAN . . 5
GIONIS TRANSPADANAE I . .
MO FRATRI ARVALI PRAETOR .
CVI PRIMO IVRISDICTIO PVPILLA
RIS A SANCTISSIMIS IMP MANDATA
EST AEDIL CVRVL AB ACTIS SENATVSSE 10
VIRO EQVESTRIVM TVRMAR TRIBVN°
LATICLAVIO LEG IIII SCYTIIICAE IIII
VIRO VIARVM CVRANDAR QVI PRO
VIDENTIA MAXIMOR IMPERAT MIS
SVS VRGENTIS ANNONALDIIICVII 15
TATES IVVIT ET COSVLVIT SECVRI
TATI FVNDATIS REIP OPIBVS ORDO
CONCORDIENSIVM PATRONO OPT
OB INNOCENTIAM * ET LABORI

Iam tempus, quo positus sit hic titulus, etiam ab eo, qui leviter eum consideret, haud difficile inveniatur. Nominantur enim vs. 9 *sanctissimi imperatores*, item vs. 14 *maximi imperatores*, unde, quo tempore honores, qui commemorantur, gesti sunt, duos principes imperio praefuisse constat. Primi autem communiter imperium Romanum tenuerunt M. Aurelius et L. Verus inde a mense Martio anni 161 p. Chr. usque ad annum 169 p. Chr.; nam tunc primum Romanum imperium duos Augustos habere coepisse testatur Capitolin. in M. Aurel. c. 7, nec qui antea in dignitatem quodammodo imperatoriam asciti sunt, Titus a Vespasiano et Domitianus a Tito, unquam in ullam imperandi communionem venerunt aut Augusti et principes, antequam soli imperarunt, appellati sunt. Deinde anno 198 p. Chr. alterum par imperatorum reipublicae Romanae praeesse coepit, cum Caracallus a patre tribunicia potestate et Augusti nomine donatus est, ut usque ad annum 211 duo imperatores rite appellarentur. Secuti sunt anno 237 duo Augusti, Maximus et Balbinus, tum anno 247 duo Philippi. Nam infra hoc tempus nemo, qui eadem prorsus munera et honores commemorari videat, quae altero post Christum saeculo consueta erant, detrudere hunc titulum velit. Qui autem bini Augusti ex iis, quos attulimus, dicantur hic *sacratissimi* et

maximi, certissime inde efficitur, quod vs. 7 *praetor, cui primo iurisdictio pupillaris mandata est,* appellatur, id quod ad M. Aurelium pertinere infra demonstrabimus. Quare bini illi, qui quaeruntur, imperatores sunt M. Aurelius Antoninus et L. Verus, qui, ut diximus, ab anno 161 usque ad 169 p. Chr. communiter imperium Romanum administrarunt, quorum tempori etiam reliqui qui in hac inscriptione inveniuntur, honores conveniunt.

Tum ordo, quo honores commemorantur, considerandus est, in qua re multum situm esse constat ad titulorum perpetuitatem intelligendam, neque hoc in genere non habet haec inscriptio, quod nova quaedam doceat. Recte enim Cai. Marinius in act. fratr. Arv. p. 754 observavit et in diurn. Pis. Tom. X p. 283 exemplis demonstravit, non fortuito, sed temporis ordine solere in titulis honores enumerari, ut qui ante vel post gestus sit, is in inscriptionibus vel antecedat vel sequatur. Quare cum certus quidam fuerit ordo non minus in titulis, quam fuit in republica, duplex is reperitur, ut aut a minoribus honoribus deinceps ascendatur ad maiores aut maximi antecedant, tum reliqui dignitate inferiores sequantur. Ille ordo vocatur rectus, hic inversus. Neque excipiuntur ex hac regula nisi consulatus, quos Borghesius de cos. Burbuleio p. 6 docet in ordine recto collocari fere suo loco, quo gesti sint, in ordine inverso, qui omnino frequentior est in titulis, poni ab ipso initio ante reliquos honores, et sacerdotia, de quibus infra, ubi de fratribus Arvalibus dicemus, paulo uberius disputabitur. Quamquam inveniuntur etiam inscriptiones, in quibus nulla honorum ratio, nullus ordo detegi possit, veluti in titulo Casinati C. Ummidii Quadrati apud Momms. inscr. regn. Neap. n. 4234, quamcunque rationem inieris, nullam invenias cum aliqua constantia servari, et in inscriptione Tiburtina Sosii Prisci apud Orell. n. 2761 etsi videas quid secutus sit sculptor nec ordinem omnino desideres, violatur tamen quae supra posita est regula, et in Aquileiensi A. Platorii Nepotis apud Orell. n. 822 magis ex errore quam ex consilio sculptoris confusio quaedam videtur extitisse, et in titulo Cirtensi P. Iulii Iuniani Martialiani cum antecedat consulatus, sequitur ordo rectus reliquorum honorum, et in inscriptione Fabiani Maximi apud Marin. act. fratr. Arv. p. 754 (cf. Kellerm. in Bullett. inst. arch. anni 1833 p. 43), quamquam ceteri honores inverso ordine recensentur, consulatus tamen in mediis iis, quo loco gestus est, non a principio collocatur, itemque videntur confusae Fabr. p. 51, 291 et 292. Sed haec et alia eiusmodi exempla cum nonnunquam inveniantur, solita tamen consuetudo est illa quam diximus, quae quam utilis sit ad antiquitatem cognoscendam apparet. Veruntamen hic, de quo agimus, titulus eo discrepat a plurimis, quod non mortuo homini positus est, sed vivo, et quod positus est propter munus aliquod bene administratum, unde efficitur, ut munus hoc, in quo excelluit, extremo loco necessario collocetur separeturque a ceteris honoribus, qui ipsi inverso illo quem appellavimus ordine, recensentur. Quare si eum honorem, a quo hic rempubli-

cam auspicatus est, invenire volemus, non initium nobis tituli aut exitus spectandus erit, sed ex medio is eligendus, a quo cursum honorum incipi consuevisse noverimus.

Neque dubium est, quin is sit IIII viri viarum curandarum, qui vs. 12 commemoratur. Origo eius muneris repetenda est fere ab anno 289 a. Chr., quo anno Livius epit. libr. XI IIIviros capitales institutos esse scribit, quorum initium Pompon. de origine iuris (Dig. I, 2, 30) ad eandem aetatem refert ac IIIIvirorum horum. Munus eorum quale fuerit, significat Dio Cass. LIV, 26 *οἱ τέσσαρες (ἄνδρες) οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι*, unde viis urbis Romae eos praefuisse perspicimus; sed magis etiam intelligitur ex commemoratione IIvirorum, qui cum item vias curarint, IIIIviris tamen his opponuntur. Finito enim bello Punico altero, ut videtur, eodem fere tempore, quo IIIIviri in Campaniam, quibuscum coniungi solent, instituti sunt, creari coeperunt IIviri *οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι*, ut Dio. l. l. ait. Utrique autem et IVviri et IIviri commemorantur in tabula Heracleensi I vs. 50 ed. Göttl., ubi sic est: *Quominus aed. et IIIIvir vieis in urbem purgandeis IIvir vieis extra propiusve urbem Romam passus (m.) purgandeis queiquomque erunt vias publicas purgandas curent eiusque rei potestatem habeant ita uti legibus pl. ve. sc. s. c. oportet oportebit, eum h. l. n. r.*, ubi IVviros, qui in urbe (*ἐν τῷ ἄστει*) sint, a IIviris, qui extra propiusque urbem Romam passus mille (*ἔξω τοῦ τείχους*) sint, discerni videmus. Unde non incommode nuper quidam collegerunt, IVvirorum munus constitisse intra vetera urbis moenia, quae Servius Tullius fecerat (neque enim aliud *τεῖχος* quod Dio dixerit inveniri poterit), IIviros vias extra hunc Servii murum usque ad primum ab urbe lapidem curasse; ab Augusto autem cum urbs in quattuordecim regiones divideretur totaque neglecto Servii aggere denuo constitueretur, propterea sublatos esse IIviros. Cura autem viarum iis mandata eo pertinebat, ut vias purgarent i. e. non modo ut coeno vacarent, verum etiam ut sublato omni impedimento ad usum hominum paterent (cf. Dig. XLIII, 11, 1), neque perturbari debemus eo, quod in lege Iulia, quam modo citavimus, aedilium quoque aliqua huiusmodi cura dicitur fuisse. Illi cum prae ceteris fora curarent, videntur etiam viarum partem cum foris coniunctam curasse purgandam; in reliquis autem si quid gravius accidisset, quod iudicio corrigendum esset, hoc administrasse. Munitio quidem viarum non pertinebat ad IVviros; nam in ipsa tabula Heracleensi I vs. 24, ubi de reficiendis sternendisque viis agitur, aediles soli commemorantur. Hi igitur qui libertatis tempore fuerant sexviri viarum curandarum, primum propter eam quam dixi causam reducti ad quattuorviros; tum, quia amplificato censu senatorio nemo facile reperiebatur, qui onera senatorum, quae non amplius magnis emolumentis compensarentur, subire vellet atque etiam senatorum filii ac nepotes vitam privatam praeferrent, anno 13 a. Chr. senatus consultum factum est, ut vigintiviri, in quorum numero erant etiam IV

viri viarum curandarum, ex equestri ordine fierent, iisque, qui vigintiviratum gessissent, optio permitteretur, utrum alios honores petendo senatum intrarent an in privata vita permanerent. Hic mos cum postea perpetuo ita servatus sit, ut etiam tribunis plebis liceret intra equestrem dignitatem consistere, discrimen tamen quoddam fuit inter vigintiviratum et inter tribunatum militarem, quem, cum consuevisset antea item dari adolescentibus nobilibus, postea bifariam quasi diversum fuisse paulo infra intelligemus, ut vel ab adolescentulis auspicandorum honorum causa gereretur vel ab equestris ordinis hominibus pro summo dignitatis gradu obtineretur. At vigintiviratum semper invenio ab adolescentibus esse gestum, qui, si persequi cuperent cursum senatoriorum honorum, ab eo ad reliquos ascenderent, sin suis rebus contenti a republica abhorrerent, eo gesto in vitam privatam redirent. Ex hoc genere est poëta Ovidius, qui cum propinquorum rogatu adolescens IIIvir capitalis fuisset, postquam ingenium suum intellexit, petendis honoribus abstinere et in equestri ordine manere maluit; ex illo genere omnes qui in inscriptionibus nominantur IIII viri viarum curandarum, velut P. Plotius apud Fabrett. p. 411, 353; L. Iulius Marius apud Donat. 255, 1, P. Flavius Menander apud Donat. 252, 6, C. Calpetanus in Bullett. arch. Neapol. anni 1846 p. 34; L. Minicius Natalis in Annal. inst. arch. anni 1849 p. 225, L. Martius in diurn. Arcad. anni 1826, 3 p. 170, alii ex Mommseniana collectione, quibus si addantur IIIIviri, qui afferuntur a Marin. act. fratr. Arv. p. 754 et IIIviri capitales, quos citat Borgh. de cos. Burbul. p. 9, satis magnus efficitur exemplorum numerus, quo auspicandorum honorum initium ab hoc vigintiviratu capi consuevisse intelligamus. Atque idem mos haud dubie significatur apud Tac. Ann. III, 29, ubi Tiberius Neroni, Germanici filio, petit, ut munere capessendi vigintiviratus solvatur, quem tamen imperatoris Claudii generi gesserunt, Dio LX, 5. Quod cum ita sit, quo aetatis anno primum licuerit vigintiviratum petere quaeritur. Dio Cass. LII, 20 in celebri Maecenatis oratione, ubi omnis magistratuum ratio exponitur, sic dicit: *Καταλέγεσθαι δὲ χρὴ ἐς μὲν τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκέτεις-ἐς δὲ τὸ συνέδριον πεντεκαιεικοσιέτεις.* Nihil aliud Dio ait nisi duodeviginti annos requiri ad equestrem dignitatem, sic sine dubio intelligens, ante eam aetatem neque equum publicum licere accipere neque equestrem dignitatem, qualem vidimus fuisse vigintiviratum. Veruntamen in hac re minus accurate loquitur, quod non expletus annus duodevicesimus requirebatur, sed initus sufficiebat. Nam et similiter in reliquis honoribus fuisse infra intelligemus, et C. Laecanius Bassus IIIvir monetalis apud Grut. 427, 11 (Mommsen. inscr. Neap. 456) vixisse dicitur annos duodeviginti. Eiusdem fere aetatis fuisse constat et Hadrianum, cum Xvir stlitibus iudicandis esset, quippe qui extremo Domitiani imperio cum a. d. IX Kal. Febr. annum aetatis vicesimum implesset, iam aliquamdiu narretur tribunus militum fuisse (Spart. Hadr. 1) et Ovidium poëtam. Itemque paucis annis ante

mortem IIIIviratum gesserunt Q. Iulii Clarus et Nepotianus, viro praetorio nati, qui celebrantur in inscriptione apud Ioh. Labus. de C. Iulio Ingenuo p. 14, quorum ille anno aetatis vicesimo uno, hic vicesimo decessisse narratur. Totidem igitur fere annos videtur habuisse *ἀνώνυμος* hic, cum IIIIviratu gerendo honorum cursum auspicaretur.

In quo cum per annuum spatium more solito versatus esset, meruit alterum equestris dignitatis gradum, ut tribunus militum fieret. Appellatur enim deinceps tribunus laticlavius legionis IIII Scythicae. Eius legionis origo non traditur ab scriptoribus; sed cum eam talem, qualis postea fuit, constitisse certum sit anno 28 p. Chr., quoniam Tiberius non multa in re militari novavit, nec certe legionem novam instituit, sine dubio referenda erit ad imperatorem Augustum. Qui cum post victoriam Actiacam milites M. Antonii in legiones suas recepisset, dimissis emeritis tam plenam habuit legionem quartam, ut dividere eam statueret. Itaque unam eius partem, opinor eam, quae M. Antonii fuerat, in Hispaniam, veterem suam provinciam, dimisit eaque paulatim, ut locus, unde venisset, significaretur, appellata est *Macedonica;* nummi enim Tiberii et Augusti (Eckhel. D. N. I. p. 37), item inscriptio apud Grut. p. 525, 2 et 1096, 1 et Mur. p. 1050, 3, quae ad hoc fere tempus videtur pertinere, sine cognomine quartam modo nominant; postquam in Germania constituta est, multi tituli constanter prope Macedonicae cognomine eam usam esse docent. Altera pars remansit in Macedonia eaque cognomen accepit *Scythica.* De quo cognomine minus recte iudicare puto Borghesium de cos. Burbul. p. 11. Qui cum cognomina legionum, quae non aperte aut ab imperatoribus aut aliis rebus ducantur, a provinciis, ex quibus suppletae sunt, mavult esse imposita quam ex victoriis, quas reportarunt, videat, ne magnopere pugnet et cum testimoniis veterum et cum ipsa veri similitudine. Nam, quod ea ratione legioni quintae nomen Macedonicae datum esse scribit, detorquere videtur Taciti Ann. XV, 6 verba, qui cum dicit Caesennio Paeto *legionem quintam, quae recens e Moesis excita erat,* datam esse, certe non hoc vult, legionem illam in Moesis esse vel conscriptam vel suppletam atque inde Macedonicae nomen esse repetendum. Tum Germanicae nomen, quod legio prima ab Augusto instituta (Tac. Ann. I, 42) habet, num inde accepit, quod conscripta esset in Germania? ubi cives Romani vix tot erant, ut legio efficeretur. An ideo honoris illud vocabulum impositum est, ut locus, quo constitisset et gloriam reportasset, significaretur? Tum Parthicae tres, quas Septimius Severus instituit, num appellatae videntur esse, quod conscriptae sunt ex Parthis, an potius, quod belli Parthici causa sunt conscriptae in eoque gloriam pepererunt? Nec magis probabile, tertiam Cyrenaicam, quam diu in Aegypto collocatam fuisse scimus, a delectibus per Cyrenas habitis, ubi vix magni esse poterant, non a regione, quam diu tuita esset, nominatam esse. Ipsae etiam Gallicae quae vocantur, tertia et sexta decima, magnopere dubito, utrum appellatae sint, quod ex

Gallia suppleri solerent, an quod diu in Galliis versatae ibique laudem adeptae sint. Eodemque modo de nona Hispana iudico, quam malo credere ab Asturibus et Cantabris Augusto imperatore victis esse cognominatam, quam quod Hispanicis delectibus suppleretur (cf. Borgh. de cos. Burbul. p. 11.) Unas Italicas tres legiones, qnarum primam Nero, reliquas M. Antoninus instituit, censeo appellatas, quod conscriptae essent ex Italia, non quod ex ea etiam supplementa accipere solerent; reliquae enim legiones ex provinciis confici solebant, ut pro honoris sane titulo esset, si qua ex Italia conscriberetur. Ac M. Antoninum Capitolinus in eius vita c. 11 ait Hispaniis exhaustis Italica allectione contra Traiani praecepta verecunde consuluisse, quod ad duas illas legiones ex Italicis civibus ab eo constitutas refero. Cf. quae plura diximus in comment. epigraph. p. 402. Hanc vero legionem quartam Scythicam quis putabit nominatam esse, quod aut conscripta esset aut suppleri soleret ex Scythis? Eam diximus Scythicae nomen habuisse iam Tiberio imperatore, ac constitisse in Moesia, quae tunc coniuncta erat cum Macedonia in unam provinciam. Cui provinciae anno 30 a. Chr. praefuit M. Licinius Crassus bellumque gessit cum Dacis et Bastarnis, ex quibus hi Scytharum gentis sunt, quos ille non solum cum in fines Romanos invasissent, repulit, verum etiam in ipsorum agros persecutus tanta clade affecit, ut medio anno 28 a. Chr. triumphum reportaret. Idque unum est bellum, quod a Romanis adversus Scythas gestum esse narretur. [1]) Quid igitur probabilius, quam huius quartae legionis opera imprimis in eo bello usum esse M. Crassum eamque quod fortiter sese gessisset, Scythicam esse cognominatam? Constitit autem hoc bello confecto legio quarta in Macedonia una cum quinta Macedonica, quae in eodem fortasse bello cognomen suum retulit; nam anno 28 p. Chr. utraque imperatori Tiberio titulum apud Mur. p. 223, 4 posuit, et Tacitus Ann. IV, 5 duabus legionibus Moesiam obtineri scribit Tiberii tempore. Itemque duae hae legiones in Moesia commemorantur apud Mur. 881, 4 (Gud. p. 188, 4; diurn. Arcad. 1826, 4 p. 170), ubi legatus Tiberii L. Martius Macer nominatur; nam ex titulo Grut. p. 13, 19, ubi coniunctim aquilae duarum harum legionum nominantur, in Moesia tunc eas fuisse vix potest colligi. Mansit legio quarta Scythica in Moesia usque ad imperatorem Claudium, qui, cum anno 51 p. Chr. Armenia a Tiridate, Parthorum regis fratre, occupata esset, magnam partem exercitus, qui fuerat in Moesia, in Asiam arcessisse narratur apud Orell. n. 750. Sub Tiberio enim in Asia fuerant quattuor legiones (Tac. Ann. IV, 5), III Gallica (Tac. Hist. III, 24), VI Ferrata (Tac. Ann. II, 79), X Fretensis (Tac. Ann. II, 57), denique XII Fulminata. quae cum non fuisset in Syria sub Augusto, eo missa est initiis Tiberii. Quo cum accessisset sub Claudio legio IIII, quam dixi, et initiis Neronis legio V Macedonica, item

1) Levius enim sine dubio fuit Claudio imperatore, quod gessit Ti. Plautius Silvanus (Orell. n. 750).

ex Moesia arcessita (Tac. Ann. XIII, 35), effectae sunt sex illae legiones, quas anno 62 p. Chr. L. Caesennius Paetus et Domitius Corbulo ad bellum cum Parthis gerendum ita inter se partiti sunt, ut Corbulo proprium Syriae militem, qui antiquitus in ea provincia fuerat, i. e. legionem III et VI et X, Paetus eas, quae deinceps auxilio vocatae erant, acciperet (Tac. Ann. XV, 6). [1]) Atque initio quidem cum in Syriam venisset, legio IIII nihil admodum memorabile gessit; nam etiam anno 54 p. Chr. cum Domitius in Armeniam invaderet, ipsa cum Ummidio Quadrato, Syriae praeside (Tac. Ann. XIII, 8) in provincia remansit; tum anno 62 insignem adeo ignominiam sub Caesennio Paeto accepit, cum legatus eius esset L. Funisulanus Vettonianus (Tac. Ann. XV, 7), is, cuius titulus est apud Cardin. diplom. mil. n. 586. Ex qua expeditione cum legio quarta in Cappadociam hibernandi causa concessisset (Tac. Ann. XV, 17), Corbuloni parum tamen idonea ad bellum videbatur ac missa est in Syriam (Tac. Ann. XV, 26). Neque bello Iudaico, quod paulo post exarsit, adfuit, in quo legio XII nonnihil gessit (Ios. bell. Iud. II, 18, 9), quarta non commemoratur. Nam Vespasianus tribus aliis legionibus, quinta et decima et quinta decima usus est (Ios. bell. Iud. III, 4, 2), quibus Titus postea addidit duodecimam et vicesimam alteram et tertiam (Tac. Hist. V, 1), ut quarta Scythica prope sola ex omnibus illius regionis legionibus immota ad tutelam consuetam finium relicta esse videatur. Ideoque ne civili quidem bello interfuit, ad quod exercitatae maxime et bello clarae legiones arcessebantur. Veruntamen ut a primo hoc Iudaeorum bello abfuit, ita alterum, quod imperatore Hadriano exarsit, magna ex parte confecit.

Sed oritur hoc loco magna quaedam difficultas ex opinione Bart. Borghesii, viri in hoc genere intelligentissimi, qui in libello, quem de cos. Burbuleio scripsit, p. 63 digressus est ad disputationem satis longam, qua demonstrare vult, quis tempore huius belli Iudaici, quod ab Hadriano gestum est, Syriae provinciae praefuerit. Etenim cum Dio Cass. LXIX, 13 motum hunc Iudaeorum referens sic dicat: *Τότε δὴ τότε τοὺς κρατίστους τῶν στρατηγῶν ὁ Ἀδριανὸς ἐπ᾽ αὐτοὺς ἔπεμψεν, ὧν πρῶτος Ἰούλιος Σεβῆρος ὑπῆρχεν, ἀπὸ Βρεττανίας, ἧς ἦρχεν, ἐπὶ τοὺς Ἰουδαίους σταλεὶς*, et deinde c. 14 de eodem Severo sic scribat: *Τὸν δὲ Σεβῆρον ἐς Βιθυνίαν ἔπεμψεν, ὅπλων μὲν οὐδὲν, ἄρχοντος δὲ καὶ ἐπιστάτου καὶ δικαίου καὶ φρονίμου καὶ ἀξίωμα ἔχοντος δεομένην· ἃ πάντα ἐκείνῳ ἦν. Καὶ ὁ μὲν διήγαγε καὶ διῴκησε καὶ τὰ ἴδια καὶ τὰ κοινὰ αὐτῶν οὕτως, ὥσθ᾽ ἡμᾶς καὶ εἰς δεῦρο ἀεὶ αὐτοῦ μνημονεύειν* — cum vero sic tradat Dio, Borghesius hunc Iulium Severum statuit primum Syriae praefuisse, tum Bithyniae esse praefectum. Qua in re re-

1) Discedo igitur in historia legionis IIII Scythicae constituenda ab iis, quae C. L. Grotefendius in annalibus antiquit. ann. 1840 p. 658 sqq. et in Paul. encycl. real. T. IV p. 879 statuit, ac ne ea quidem omnia accipienda esse putavi, quae idem in annal. Rhen. XI p. 83, se ipse quasi emendans, disputavit.

cedit ab eo, quod ipse saepe demonstravit, Syriam omnium maximam fuisse provinciam iisque consuevisse mandari, qui reliquis honoribus perfuncti cumulum quasi dignitatis accepturi essent, unde iis fere dari solebat, qui maximos iam antea exercitus rexissent, ut Germanicos et Britanicos. Cuius rei documenta sunt cum permultae inscriptiones, quarum unam admodum insignem ipse affert Borghesius p. 67, tum quidam scriptorum loci, velut Tac. Agric. c. 40 Syriam ait maioribus reservatam. At Bithynia exercitu prorsus carebat; nulla ibi erat legio, nullus paulo maior militum numerus, ut, quamdiu senatus eam provinciam obtinuit, praetores eo mitti solerent. Neque hoc afferri poterit, extra ordinem Bithyniam datam esse Severo, eaque ipsa de causa, ut maioris dignitatis vir provinciam afflictam restitueret, electum esse eum, qui iam ipsum honorum fastigium assecutus esset. Eadem enim, opinor, de causa Plinius in Bithyniam missus est, ut item provinciam senatus remissiore imperio corruptam recrearet, sed missum eum esse constat triennio postquam consulatum gessit, nulla interim alia provincia administrata. Quare ferrem, si Severus ante Britanniam et Syriam rexisset Bithyniam, post rexisse non ferendum esse censeo, inveniendaque est alia quaedam ratio, quae et Dionis, locupletissimi in hac re testis, fidem conservet et ab imperii consuetudine non dissentiat. Iam de hac Iudaeorum seditione sic narrat Dio LXIX, 12, cum Hadrianus imperator loco Hierosolymorum coloniam Romanam, quam Aeliam Capitolinam appellaret, condidisset, Iudaeos indignantes bellum movere coepisse, sed cum imperatorem ipsum eiusque exercitum timerent, expectasse, dum Hadrianus ex Aegypto per Syriam revertisset. Qui ubi longe abesse videretur, aperte eos defecisse. Inde, cum plurimi antea initium seditionis Iudaicae anno 133 p. Chr. collocassent, postquam Eckhel. VI p. 490 ex nummis et inscriptione Graeca demonstravit, Hadrianum anno 130 in Aegyptum pervenisse ibique annum commoratum esse, potius iam anno 132 seditionem coeptam esse colligitur. Haec igitur cum latius serperet et neglecta primum paulatim finitimas provincias Iudaeorum multitudine repletas corrumperet, misisse Dio ait Hadrianum contra eos Iulium Severum, qui Britanniae praeesset. Qui cum propter multitudinem et desperationem hostium ne quod ipse damnum acciperet, praelium committere non auderet, singulos oppressisse omnibusque castellis occupatis aegre nec sine magna clade terram cepisse ac vastasse. His rebus gestis Severum Bithyniae esse praepositum ibique summam gloriam sibi paravisse. Quis ex hac Dionis narratione, quacum consentit Zonar. XI, 23, non colligat Iulium Severum fuisse legatum Hadriani Palaestinae? At non fuisse docent reliqui auctores. Breviter enim Eusebius in Chronico: *Iudaei in arma versi Palaestinam depopulati sunt, tenente provinciam Tenio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum*, idemque in hist. eccl. IV, 6, etsi nomen legati tacet, cognomen tamen habet eumque *ἐπάρχοντα Ἰουδαίας* appellat. Item Syncellus p. 660 ed. Bonn. prae-

fuisse Iudaeae ait Tinnium Rufum eumque bellum cum auxilio aliorum ducum administrasse, similiterque S. Hieronymus in Dan. c. 9, in Zacch. c. 8, epist. 129, aliique auctores, qui citantur a Tillemontio hist. imper., ubi de seditionibus Iudaeorum imperatore Hadriano factis disputat. Ex quorum consentientibus testimoniis constare debebit, Syriae Palaestinae legatum Augusti tunc fuisse hunc, quem illi sive Tinium, sive Tinnium, sive Tenium, sive etiam Turanum Rufum appellant, qui appellari debebat Tineius Rufus. Etenim non modo complures eius nominis viri illustres hac et insequenti aetate noti sunt, verum ipse etiam hic Tineius Rufus commemoratur in nummo Bizyae in Thracia percusso apud Marin. act. fratr. Arv. p. 664, unde eum Thraciae praefuisse discimus. Ch. Borghes. in diurn. Arcad. 1830, 2 p. 183. Quare cum Dionis fides pugnare videatur cum reliquorum auctoritate, quid statuemus? Recte enim Borghesius censet haec non posse ita conciliari, ut putemus Severum fuisse legatum Tinei; tribui enim ei aperte imperium quoddam, ut suis quasi auspiciis bellasse videatur, tantamque a Dione significari Severi dignitatem, ut legato Palaestinae, quem non necesse esset consularem virum esse, parere non potuerit. Nec rursus, quod Dio dicat primum ducum fuisse Severum, sic posse intelligi, ut initium belli ab eo administratum esse putemus: ipsum enim narrare, ab eodem esse confectum, ut potius primus ab eo dici videatur, qui fuerit primarius ac praecipuus. Veruntamen tantam seditionem non videri constitisse intra Iudaeae fines, sed propagatam esse etiam in finitimas provincias Iudaeis abundantes; quare cum duae vicinae sint provinciae, Syria et Aegyptus, quoniam haec nunquam senatori committebatur, Syriae praefuisse videri Severum. Hoc facilius etiam docere poterat Borghesius, quia Sulpicius Severus hist. sacr. libr. 2 hoc ipsum narrat, Iudaeos in Syriam effusos terram vastasse itemque in priore bello Iudaeorum, quod Vespasianus composuit, per omnia Syriae et Phoenices oppida seditiones ac caedes factas esse constat. Quae omnia cum recte sine dubio disputarit Borghesius, in una hac re minus recte iudicavit, quod Syriae legatum fuisse existimat Severum propter eam, quam supra diximus, causam, idque potest apertissimo documento demonstrari. Ancyrae enim in Galatia reperti sunt duo tituli imprimis memorabiles, qui referuntur in Boeckhii corp. insc. Graec. n. 4033 et 4034, similes inter se ac prope iidem; sed paulo plenior alter, quem Latine redditum referam: *Ti. Severo allecto in tribunicios a divo Hadriano, legato Asiae ex litteris et codicillis divi Hadriani, legato legionis IV Scythicae, qui Syriam rexit, cum Publicius Marcellus propter motum Iudaeorum ex Syria decessit, pro consule Achaiae cum quinque fascibus, misso in Bithyniam correctori et logistae (διορθωτὴν καὶ λογιστὴν) ab divo Hadriano, praefecto aerarii Saturni, consuli, pontifici, curatori operum publicorum Romae, legato propraetore Imp. Caesaris Titi Aelii Hadriani Antonini Augusti Pii Germaniae inferioris, proconsule Asiae.* Hunc Severum recte sine dubio statuunt esse

diversum ab C. Iulio Severo, qui celebratur titulo apud Boeckhium C. I. G. n. 4029, qui cum dicatur fuisse *tribunus militum legionis IV Scythicae, quaestor candidatus, tribunus pl. candidatus, praetor urbanus, legatus legionis XXX Ulpiae Victricis, curator viae Appiae, consul, legatus pro praetore Syriae Palaestinae,* certe non potest idem esse, qui hac Ancyrana inscriptione celebratur, meritoque a Franzio potius refertur ad cos. ann. 155, qui C. Iulius Statius Severus nominatur (Marin. act. fratr. Arv. p. 465) atque is existimatur, qui primus Graecorum maritusque Caracylaeae, a veteribus Galatiae regibus oriundae, appellatur apud Boeckh. n. 4030. Huius autem a quo egressi sumus T. Severi honores cum consideramus, hoc efficitur. Rexisse dicitur Syriam per seditionem Iudaeorum, quae cum domita esset ann. 135, insequenti anno praefuit pro consule Achaiae, rursus insequenti pro legato Bithyniae, dein aerario Saturni, quod munus per triennium fere consuevisse administrari infra pluribus exponemus. Sequitur, ut consulatum, qui proxime secundum illa munera in hoc titulo ponitur, non potuerit administrare ante annum 141 p. Chr. Atque hoc ipso anno in fastis cum M. Peducaeo Stloga Priscino consul nominatur T. Hoenius Severus. Is commemoratur in duabus inscriptionibus apud Grut. p. 182, 4 et Mur. p. 327, 4, itemque omnibus nominibus in Gromaticis veteribus p. 244 ed. Lachm.; nam cognomen modo est in nonnullis tegulis Severo et Stloga apud Marin. act. fr. Arv. p. 194 et 239. Neque dubium esse debet, quin Marin. act. fr. Arv. p. 177 recte statuerit huius, qui cos. fuit ann. 141, filium esse eum T. Hoenium Severum, qui in fastorum Saliorum Palatinorum principio appellatur, ac coniunctus cum hoc aliqua propinquitate merito videbitur, qui anno 129 cum Q. Iulio Balbo cos. fuit P. Iuventius Celsus Titius Aufidius Hoenius (sive quod quidam minus recte scribunt Hoenus) Severianus, cf. l. 20 Dig. de hered. petit. (V, 3). Iam complures Severi in consulum serie per hanc aetatem commemorantur, velut sub Hadriano imperatore L. Catilius Severus II, qui fuit anno 120 cum T. Aurelio Fulvo Boionio II, et Sex. Iulius Severus, qui cum L. Aemilio Iunco ann. 127 suffectus est (Borgh. diurn. Arcad. ann. 1847, 1 p. 202), et alius quidam Severus incerti anni, qui cum Arriano, nobili scriptore, consul appellatur in figulinis apud Fabrett. p. 510, 147 et 148, qui dubito an sit Herennius ille Severus, quem Suidas s. v. *Φίλων* significat Hadriani aetate vixisse, et denique ann. 146 initiis Antonini Pii Cn. Claudius Severus, pater, ut videtur, Claudii Severi, philosophi peripatetici, qui imperatoris M. Aurelii magister fuit. Veruntamen omnium horum et nomina et anni et res minus etiam conveniunt cum Ancyrano illo Severo, quam hic Hoenius Severus. Etenim etiam illud est aptum, quod Ancyranus ille post consulatum curator operum publicorum et legatus Antonini Pii in Germania inferiore fuisse dicitur, unumque omnino huic rationi obstare posse videatur, quod ille Severus praenomine appellatur TI, hic, qui in fastis invenitur, Titus. Iam Tiberii praenomen omnino rarius, idque

cum reliqua praenomina saepius in Severis inveniantur, semel modo anno 200 in Ti. Claudio Severo reperimus, qui quod Claudiae gentis est, sic appellatur. Quare magnopere dubito, an dirimendae sint litterae inscriptionis Graecae atque intelligendus Titus Iulius Severus, ut pleno iam nomine appellandus esse videatur T. Iulius Hoenius Severus. Neque duplex nomen quemquam, qui huius aetatis morem gentiumque multiplicem confusionem cognorit, offendet. Ne alia exempla citem, attulimus supra consulem anni 129, virum quattuor nominibus ornatum, quae res multos interpretes imperitiores induxit, ut praeter omnem consuetudinem in senatus consulto in Dig. V, 3, 20 plus quam duo cos. nominari existimarent, atque ex ipsis Severis huius aetatis eum, qui anno 155 consul fuit, constat appellatum esse C. Iulium Statium Severum. Quamquam, etiamsi quis non concedet, quod equidem satis probabile esse censeo, Ancyranum illum Severum eundem esse, qui in fastis anni 141 consul reperitur, hoc certe dubium esse non potest, quin sit idem, de quo Dio Cassius narrat. Duo eius rei sunt maxima documenta. Primum est, quod Dio ait eum post bellum Iudaicum missum esse ab imperatore in Bithyniam, ut statum eius provinciae componeret atque ordinaret, eoque in munere tanta eum prudentia, tanta probitate excelluisse, ut nomen eius etiam suo tempore apud Bithynos celebraretur. Hic autem Ancyranus appellatur *πεμφθεὶς εἰς Βιθυνίαν διορθωτὴς καὶ λογιστὴς ὑπὸ θεοῦ Ἀδριανοῦ,* idque munus, postquam bello Syriaco confecto Achaiae proconsule praefuit, dicitur administrasse. Iam Bithyniam ex lege Augusti constat fuisse provinciam senatoriam, quo praetorii viri mitterentur, sed Traianus eo misit extra ordinem C. Plinium, non ut defenderet eam (neque enim hostes in ea ulli erant), sed ut statum universum emendaret imprimisque ut civitatum rationes exigeret atque componeret. Post Plinii autem legationem provincia reddita est senatui, qui per proconsules administravit, ac cum rursus res confunderentur ac turbarentur, Hadrianus provinciam auferendam senatui legatorumque suorum imperio reficiendam videbat; ait enim Dio l. l. senatui pro Bithynia datam esse Pamphyliam. Ut autem novam provinciam institueret, imperator misit hunc Severum, quem Dio prudentiam et iustitiam praestare debuisse dicit, titulus Ancyranus *δωρθωτὴν καὶ λογιστὴν* appellat, uterque ea significat propter quae olim Plinium eodem missum esse scimus. Cf. comment. epigraph. I p. 486. Discimus igitur hinc anno 137 Bithyniam ad curam imperatoris perpetuam esse translatam, et primum eius legatum fuisse T. Iulium Hoenium Severum, denique eam praetoriis viris committi consuevisse, id quod, quia exercitu ac legionibus carebat, vel sine expresso testimonio probabile erat. Traianus olim consularem virum misit (volebat enim eum unum annum praeesse provinciae), at Hadrianus, qui perpetuo retenturus esset, recte praetorium elegit. Alterum, quod dixi, documentum ex bello Iudaico repetendum est, de quo quae narrat Dio, paulo aliter ac vulgo fit intelligenda

esse videmus. Etenim quod ait ex Hadriani ducibus *πρῶτον* fuisse Iulium Severum, cum de tempore intelligi nequeat, fuerit sane praecipuus arte militari ac virtute, dignitate certe inferior erat ac recte ab reliquis scriptoribus tacetur. Siquidem legatus modo legionis IV Scythicae erat et interim, cum Augusti legatus abesset, provinciam administravit similiter ac Tiberio imperatore postquam Germanicus mortuus et C. Piso expulsus est, Cn. Sentius eandem provinciam Syriam tenuit, ac deinde cum legatus Augusti ob suspiciones Tiberii Romae retineretur, legatus legionis VI per plus quam decem annos Syriam rexit, ut in aliis provinciis imperatoriis saepe legati legionum, in senatoriis quaestores ac legati loco praesidum relinquebantur, nonnunquam etiam procuratores. Etenim cum magnum videretur bellum ac periculosum, Hadrianus, qui Tineium Rufum, Palaestinae legatum, eiusque exercitum non sufficere putabat, auxilium ferre iussit Publicium Marcellum, Syriae legatum, ad eandem rationem, qua sub Nerone Parthicum bellum a Caesennio Paeto, Cappadociae, et Domitio Corbulone, Syriae legatis, gestum est, qua sub Vespasiano Annius Gallus et Petilius Cerealis, utriusque Germaniae legati, seditionem Civilis oppresserunt, qua primum bellum Dacicum sub Traiano Laberius Maximus, Moesiae, et Glitius Agricola, Pannoniae legati administrarunt, qua denique sub M. Aurelio Statius Priscus, Cappadociae, et Avidius Cassius Syriae legati contra Parthos pugnarunt. Quare Publicius Marcellus cum parte exercitus i. e. cum legione XVI Flavia (nam duae tunc in Syria videntur fuisse legiones) ad sedem belli in Iudaeam abiit, Severo cum altera legione ex iussu, opinor, Hadriani Syriae praefecto. At obstare videtur huic rationi alioquin certissimae, quod Dio Severum ait ex Britannia, cui tunc praeesset (*ἧς ἦρχεν*), in Syriam missum; in neutra enim inscriptionum Graecarum quicquam de Britannia legitur, nec Dio in huiusmodi re, quae ad patriam suam spectet (fuisse enim constat Bithynum), is auctor est, quem ulla ratione contemnere debeamus. Contra eos, qui inscriptiones Graecas posuerunt, satis videmus esse negligentes, in iis quidem rebus, quae non aut ad Asiam aut ad insignes quosdam honores pertinerent, qui non possent per universum imperium Romanum ignorari. Nam primum minoribus omnibus eius quem celebrant Severi honoribus praetermissis principio ponunt, eum allectum esse a divo Hadriano in tribunicios, quasi nullis antea gestis muneribus id meruerit, idque ipsum in priore titulo inepte sic refertur, ut *μετὰ πάσας τὰς ἐν τῷ ἔθνει φιλοτιμίας καταταγεὶς εἰς δημάρχους* appelletur, ut nescisse eos videamus, quid esset, quod admodum erat usitatum, referri in tribunicios, aedilicios, praetorios. Tum statim legatio Asiatica commemoratur, de qua utut iudicabimus, hoc constabit, Severum antequam eam iniit, vel praetorem fuisse vel allectum esse in praetorios. Nunquam enim hunc gradum, ut quaesturam, ut aedilitatem, ut tribunatum, omitti videmus. Vix talis negligentia in Latinis titulis inveniatur, non magis quam quod appellatur *πεμφθεὶς εἰς Βιθυνίαν διορθωτὴς καὶ λογιστὴς*

ὑπὸ θεοῦ Ἀδριανοῦ pro eo, quod esse oportebat *legatus propraetore provinciae Bithyniae consulari potestate in eam provinciam ab divo Hadriano missus* vel similiter; sic enim legitur in nobili titulo Comensi de Plinii legatione Bithynica pari de causa suscepta. Atque quo inscitia Graecorum in minoribus honoribus intelligendis processerit, cum alia documenta sunt, tum hoc reperitur item in titulo Ancyrano apud Boeckh. n. 4029, cum ille, de quo diximus, C. Iulius Severus appellatur XV vir stlitibus iudicandis (*πεντεκαιδέκανδρος τῶν ἐκδικαζόντων τὰ πράγματα*), quod non manui sculptoris, sed ignorantiae eorum, qui dedicarunt titulum, videtur esse tribuendum. Quare quidni existimemus, post legationem illam Asiaticam, quam uterque titulus commemorat, excidisse mentionem legationis Britannicae, cum Severus legionem ibi rexit, a qua legatione propter insignem scientiam militarem in Syriam avocatus est? Fragmentum autem inscriptionis apud Grut. p. 248, 3, etsi pertinet sine dubio ad hanc Iudaici belli aetatem (nam Hadrianus in eo appellatur pater patriae, quem titulum recepit anno 128 p. Chr.), num tamen ad hunc Iulium Hoenium Severum sit referendum, id quod placuit Borghesio, debet incertum videri. Nam si versus extremus, in quo haec supersunt .... IO. SEVERO nomen legati Britanniae continet, poterit non minus recte Herennius Severus, Arriani in consulatu collega, de quo supra diximus, intelligi. Sin legati modo legionis vel praefecti nomen periit (neque id minus probabile videtur esse), poterit sane hic Iulius Severus intelligi, sed poterit etiam alius adeoque incerta fit omnis coniectura, ut nihil affirmare praestet. Quae cum ita sint, effecimus nos quidem, ut legatum Syriae, quorum sane pauci per hanc aetatem noti sunt, eripuerimus; sed iidem addidimus alium, quem nondum nominari audivimus, Publicium Marcellum, qui quin Syriae missus ab imperatore Hadriano praefuerit, secundum certissimum inscriptionis Ancyranae testimonium dubitari non potest. Quodsi Syriae praefuit Marcellus, certe etiam consulatum gessit, ac Marcellum quendam insignem virum ab Hadriano ad mortem voluntariam adactum esse testatur etiam Spart. in vita Hadr. c. 15, quo loco dubito an quod in codicibus male legitur *Polaenum et Marcellum,* in editionibus non rectius scribitur *Polyaenum et Marcellum,* potius mutandum sit in *Publicium Marcellum.* Sed in fastis consulum vulgaribus non legitur Marcellus ullus illa aetate nec Publicii nomen tum frequens erat. At anno 129 etsi consules ordinarii, qui Kal. Ian. inerint, cognoscuntur P. Iuventius Celsus Titus Aufidius Hoenius Severianus II, de quo supra diximus, et Q. Iulius Balbus ex l. 20 Dig. de hered. petit. (V, 3) et Hadriani diplomate militari apud Card. n. XV itemque altero, quod edidit Ios. Arneth, unde intelligimus hoc consulum par fuisse usque ad Aprilem mensem eius anni, memorabile tamen est, quod in omnibus veteribus fastographis omisso Q. Iulii Balbi nomine notantur Celsus et Marcellus consules. Nec quos hoc anno suffectos ediderunt Muratorium secuti quidam C. Neratium Marcellum et Cn. Lollium

Gallum, ii errore orti sunt eorum, qui fragmentum diplomatis militaris apud Card. n. XXIX male interpretati sunt. Item in tegulis nonnullis Marcellus cos. commemoratur; nam apud Mur. p. 323, 8 est *Iuventio II et Marcello II,* apud Fabr. p. 506 n. 126 *Marcell. et Cels. II cos.* et n. 127 *Iuventio II et Marcello II cos.* Cf. Marin. act. fratr. Arv. p. 487, qui cum etiam aliam tegulam afferat, in qua consulatus solo P. Iuventii nomine posito significatur, nihil tamen certe iudicare audet. Cardinalis autem diplom. imp. p. 177, etsi non magis audet certi quicquam statuere, duas tamen rationes esse ait difficultatis tollendae. Aut enim Marcellum inisse Kal. Ian., sed paulo post (nam diploma illud militare a. d. XII K. Mart. scriptum est) cum vel mortuus esset vel alia de causa abisset, suffectum Balbum, aut eundem fuisse hominem Balbum et Marcellum. Iam alterum hoc iam vix probabile videbitur, postquam duo Marcelli nomina cognovimus nec in senatusconsulto illo, quod est in Dig., cum omnia Iuventii nomina plenissime exhibeantur, Balbi non omnia poni debuisse videntur, ex priore autem opinione demitur illud, quod mortuum esse censet hominem. Nam triennio post eundem Syriae praefuisse vidimus. Relinquitur igitur incerta aliqua causa, cur tam cito Marcellus consulatu abierit, quae non in iniuria aliqua, sed in honore hominis, quem imperator ita secundo consulatu ornare vellet, ut aliis locum non adimeret, quaerenda est. Nam illud quidem vix dubitandum esse puto, quin tantum et fastographorum auctoritati et inscriptionibus, quas dixi, tribuere debeamus, ut Publicio Marcello locum ordinarii cos. ann. 129 reddamus. Ad eundem denique haud scio an referenda sit inscriptio Dalmatica *ἀκέφαλος* ac nomine eius, cui posita est, carens, quam Borgh. ex archaeolog. Angl. T. III p. 344 refert, nec recte ad Iulium Severum pertinere censebat. Virum enim videmus esse clarum ac multis honoribus conspicuum, quippe qui post gestum consulatum deinceps Germaniae inferiori, Britanniae, Syriae praefuerit. Sed redeundum est ad cursum disputationis nostrae, quam non essemus egressi, nisi et insignis quidam historiae Romanae locus adhuc obscurus atque prope ignotus paululum illustraretur et clarissimae fere, quas legio IV Scythica gessit, res agerentur. Quam cum relicta esset in Syria cum legato suo ex Dione discimus, dum Iudaeos in Syriam invadentes repellit atque extinguit, magna ac clara facinora edidisse.

Successit autem Iulio Severo in regenda legione IV Scythica C. Iulius Scapula, cuius duo tituli item Ancyrani reperiuntur apud Boeckh. C. I. G. n. 4022 et 4023, qui post hanc legationem narratur Galatiae pro praetore praefuisse eo tempore, quo Hadrianus decessit atque Antoninus Pius ad imperium pervenit. Idem Scapula sine dubio primis Antonini annis i. e. anno 142 vel 143 consulatum gessit; consul enim designatus iam appellatur in titulo Graeco. Postea sub initium Commodi legioni huic praefuit Septimius Severus, qui postea imperavit, qui cum anno 178 praeturam gessisset, tum Hispaniam Tarraconensem rexisset,

a Spart. c. 3 dicitur *legioni IV Scythicae praepositus esse circa Massiliam,* falso sine dubio; neque enim unquam legio IV discessit ab Syria. Sed ex codicibus parum peti potest auxilii, quippe in Palatino dicitur esse *circa Massyliam,* ex quo vix quicquam potest inveniri, nisi quis audacia utendum esse putabit. Locus autem, quo tum essent hiberna legionis huius, videtur fuisse Samosata. Eius enim urbis nomini Ptolem. V, 15, 11 apponit *λεγίων,* numero legionis omisso, ac fuisse legionem tunc in illa parte testatur etiam Dio LV, 23; quare non dubito, quin in Itin. Anton. p. 186 item scribendum sit *Samosata leg. IV,* non *legio VII,* quod etiam in recentissima Pinderi editione legitur. Atque etiam in Notitia Dignit. Orient. p. 38 ed. Boecking. praefectura legionis quartae Scythicae collocatur *Oresae.* Quod nomen cum parum rectum videatur, Boecking. p. 389 vel de Oriza, Palmyrenes civitate apud Ptolem. V, 15, 24, vel de Urimis sive Orimis, quae ad Euphratem sita erant (Ptolem. V, 15, 14), intelligendum esse putat. Equidem quia legionem hanc semper in regione Samosatensi constitisse video et aptissime ad tutelam Euphratis collocatam fuisse intelligo, praefero *Orima.* Quare haud scio an apud Spartianum scribendum sit *circa Orima in Syria.* Illud quidem certum est, Septimium Severum, antequam imperium adeptus est, fuisse in Syria, quoniam Iulia Domna, uxor eius, oriunda erat ex Syria eiusque nuptias, cum de genitura eius regia audisset, per amicos conciliasse dicitur. Reliquos autem honores praeter hanc legationem gessit omnes in provinciis occidentalibus. Quamquam difficilis hic locus est et attingit temporum rationem, quibus Severus honores suos acceperit, quem ingredi nolumus. In quibus sedibus cum esset legio, Dio LXXIX, 7 Heliogabalo imperatore bis eam narrat ad deficiendum esse sollicitatam, primum a Gellio Maximo, legato eius, deinde ab infimi ordinis homine, qui lanificium exerceret, sed utrumque motum celeriter esse compressum. Exposuimus praecipua, quae de legione IV Scythica tradita sunt memoriae; nam omnia monumenta, in quibns centuriones et milites eius commemorantur, afferre inutile est. Legati quidem praeter eos, quos dixi, nominantur L. Martius Macer in inscriptione diurn. Arcad. 1826, 4 p. 170 et Flavius quidam in titulo Graeco apud Pococke 77, 1 tribuni militum C. Iulius Proculus apud Orell. n. 2273, C. Octavius Modestus apud Orell. n. 4007, P. Obsidius Rufus apud Grut. 72, 9 (Mur. 80, 5), L. Octavius Rufus apud Grut. 444, 8, ignotus aliquis apud Marin. act. fratr. Arv. p. 755 et L. Iulius Marinus ibid. tab. LVIII, C. Iulius Severus apud Boeckh. n. 4029, Cn. Cornelius Ti. F. Pulcher apud Boeckh. n. 1186, T. Clodius apud Mommsen. inscr. Neap. n. 2124 et si qui alii per varios libros sparsi latuerunt, quorum mentio ad historiam legionis cognoscendam nihil confert.

Persecuti sumus historiam legionis IV Scythicae secundum testimonia, quae supersunt, ex quibus discimus, eam, quo tempore hic titulus positus est, fuisse in Syria. In ea igitur *tribunus laticlavius* fuit hic, quisquis est. Neque hoc munus

non confert aliquantum ad eius genus cognoscendum; est praeterea unum militare, quod gesserit. Iam de universo tribunatu militari hoc loco dicere nolo, quamvis multa disputari posse videam, quae et obscura sint et rectius constitui possint; sed magnus campus est et qui ab eo qui aliud agat, tractari non debeat. Sed tribunos laticlavios constat esse eos, qui quamquam nondum sunt senatorii ordinis, tamen in spem quasi senatus insigni iam senatoriae dignitatis utantur. Auctor eius rei fuerat Augustus, qui reducto quodam vetere more liberis senatorum protinus a virili toga latum clavum induere permisit (Suet. Aug. 38), qui si ad tribunatum militarem pervenirent, appellabantur tribuni laticlavii. Hi igitur iam latum clavum habebant, antequam tribunatum inirent, accensendique his senatorum liberis sunt ii, qui cum equestri loco nati essent, opibus tamen et ingenio confisi honores petere atque ad rempublicam accedere statuerent. Qui vigintiviratu gesto cum veniam ab imperatore accepissent, cum spe senatus tribunatum accipiebant. Ex hoc genere videtur fuisse Septimius Severus, qui postea ad imperium pervenit. Qui cum natus esset patre equite Romano, affinibus autem et patruo consularibus, postquam Romae, quo studiorum causa adolescens se contulerat, excellere coepit, latum clavum a divo Marco accepisse narratur apud Spart. c. 1. Alio ex genere sunt ii, qui cum plebeio vel equestri genere nati essent, militari industria ad tribunatum pervenerunt in eoque ipso latum clavum acceperunt, velut imperatorem Maximinum narrat Capitol. c. 5 cum ex infimo ac barbaro genere ortus esset, fortitudine tribunatus honorem accepisse, sed, quamdiu Heliogabalus imperabat, abstinuisse a militia. At Alexandrum Severum, ut imperium adeptus est, statim ei latum clavum addidisse ac deinde legioni quartae recens conscriptae praeposuisse. Tunc igitur vere erat laticlavius tribunus. Nec dissimilis huic fuerat Pertinax, qui item libertino patre natus ad imperium pervenit. Qui cum variis ministeriis ad procurationem ducenariam ascendisset, subito missus factus est, quia in suspicionem venerat imperatori Marco; tum per Claudium Pompeianum Marco commendatus vexilla regenda accepit ac re bene gesta *in senatum lectus* esse dicitur a Capitol. c. 2. Nam tribunum tunc et quidem laticlavium factum esse censeo. Siquidem neque unquam curiam intrasse narratur nisi consulatu gesto quattuorque provinciis consularibus administratis, et postquam in senatum lectus est, paulo post inter praetorios esse relatus et legioni primae impositus, ut certe neque quaesturam neque aedilitatem gessisse, sed apud exercitum mansisse videatur, apud quem cum infra praetoriam legationem nullus sit gradus praeter tribunatum, in hunc necesse erat eum evehi. Ac rursus diversi generis est Cn. Marcius Rustius Rufinus, qui apud Kellermannum Vigilum Romanor. laterc. n. 13 appellatur *tribunus laticlavius legionum III Cyrenaicae III Gallicae.* Eum enim ex ipso illo titulo, item alio ibid. n. 2 fuisse discimus praefectum vigilum anno 205 p. Chr., cum antea fuisset praefectus classium praetoriarum. Iam haec sunt equestria

munera, quae nunquam admittunt senatorem. Etenim Alexander Severus primus praefectis praetorio tribuit, ut essent senatores (Lamprid. Alex. Sev. c. 21), et M. Aurelius apud Capitolin. in Pertin. c. 2 palam doluisse narratur, quod Pertinacem cum senator esset, praetorio praeficere non posset. Nec si praefectis praetorio non licebat esse senatoribus, potuit licere praefectis vigilum aut classium, quare in collectione Kellermanniana extremo demum imperio n. 16 sqq. praefectos vigilum senatorii ordinis fuisse videmus. At si non licebat esse senatoribus, licebat esse senatoriae dignitatis, ut ornamentis omnibus atque insignibus senatorum uterentur. Sic iam ab primis imperatoribus nonnunquam hominibus libertinis, qui non poterant esse senatores, tributa sunt ornamenta consularia, sic multis praefectis praetorio, ipsumque qui postea fuit praefectus vigilum, antea praetoriis ornamentis a Nerva donatum esse ostendit titulus Romanus apud Kellermann. n. 7. Quare similiter censebimus Rustio Rufino cum militari fortitudine in aliis muneribus, quae titulus non commemorat, excelluisset, data esse ornamenta senatoria, unde tribunus deinceps fuit laticlavius. Alium autem titulum, de quo si verus esset idem statueremus, apud Mur. 1115, 6, Ligoriana fraude corruptum esse putamus. Ceteri igitur tribuni militum, qui non sunt ex tribus his, quae diximus, generibus, sunt illi quidem angusticlavii, sed nunquam ita appellantur. Singulare enim prorsus est, quod Suetonius in Oth. c. 10 patrem suum nominat *tertiae decimae legionis tribunum angusticlavium*, id quod ideo videtur scripsisse, ut patrem equestris dignitatis neque se ab paterno ordine degenerasse significaret. Nusquam enim legitur alias maximumque documentum est, quod in inscriptionibus cum plurimi tribuni, multi laticlavii commemorentur, nondum quisquam repertus est angusticlavius. Quoniam enim homines nunquam ex eo appellantur, quod non habent, sed ex eo quod habent, quia nullum est angusti clavi insigne, sed ipsa lati clavi absentia angustum clavum efficit (quare minus recte emendari arbitror apud Vellei. II, 88 locum desperatum de Maecenatis angusto clavo), apparet non angusticlavios, sed equestris ordinis debuisse dici. Veruntamen, ut originem tribunorum laticlaviorum mittamus, cum laticlavii sint, qui latum clavum habeant, quaeritur, num omnes, qui habent, ita appellentur, nec quisquam pro laticlavio tribuno habendus sit, nisi qui in titulis nominetur. Non videtur; nam cum tantus fuerit senatorum numerus filiique eorum si non omnes, at longe plurimi et lato clavo usi et tribunatu militari tamquam reliquorum honorum quodam initio functi sint, si omnes qui habuerunt latum clavum, appellarentur laticlavii, magnam omnino eorum multitudinem in inscriptionibus inveniri oporteret; inveniuntur autem pauci, unde etiam in eorum, qui non nominentur, numero laticlavios latere probabile fit. Nec vero desunt exempla, quibus hoc manifesto teneatur, quae cum satis multa possim, afferam unum ipsius huius temporis, quo totum hunc, de quo agimus, titulum positum esse constat. Abellini enim repertum titulum affert Borghesius

Dichiaraz. di una Lap. Grut. p. 39 Ti. Claudii Saethiadae Caeliani, qui dicitur *Cl. Frontini cos. filius, Xvir stl. iud., trib. mil. leg. III. Gallicae, quaestor provinciae Siciliae candidatus imp. Antonini et Veri Augustorum.* Fuit igitur hic senatoris filius, sed tamen, quamquam per communem honorum gradum evectus est, non tribunus laticlavius, sed tribunus appellatur. Atque etiam magis illustratur ea res ex titulo fratris eius item Abellini reperto apud Grut. p. 389, 6. Is, Ti. Claudius Frontinus Niceratus, dicitur item *Cl. Frontini cos. filius,* tum *Xvir stl. iudic., tribunus laticlavius leg. IIII Italicae, quaestor, propraetore provinciae Achaiae* (cf. eiusd. hominis titulos Graecos Argis et Spartae inventos apud Boeckh. Corp. inscr. Graec. n. 1133 et 1327, ubi item dicitur *χιλίαρχος πλατύσημος*), ut, cum eundem cursum tenuerit ac frater, ipse appelletur laticlavius, ille non appelletur. Quid addi potest ad hoc? nisi forte eundem hominem requiramus, qui in uno titulo laticlavius, in alio tribunus modo appelletur, cuius sane generis nondum ullum inveni. Simile est exemplum in titulo Gallico, quem refert Ioh. Labus. de marmore antiquo C. Iulii Ingenui p. 23. Ibi celebratur primum T. Flavius Secundus Philippianus, qui imperatoribus Septimio Severo, Caracallo, Geta narratur praefuisse Galliae Lugdunensi, qui quod dicitur *tribunus militum leg. VII Germ.*, non moror hoc loco, quia potuit certe esse equitis Romani filius, sed item celebratur filius eius *T. Flavius Victorinus Philippianus, clarissimus iuvenis, trib. militum leg. V Maced.* Quem apparet et senatorio patre natum esse et laticlavii appellatione carere. Neque minus apertum est exemplum C. Iulii Ingenui, de quo omnem illam disputationem instituit Labus., qui cum appelletur *clarissimus iuvenis,* patrem certe habuit senatorem, sed dicitur tamen *trib. leg. III Ital.*, et C. Precellii Augurini, qui noto titulo Parentinae coloniae celebratur l. l. p. 17, qui non modo *clarissimus iuvenis* dicitur, sed etiam octo nominibus, quae prae se fert, nobilitatem generis ostendit; verum simpliciter *trib. leg. VII Gem.* nominatur.[1]) Nec vero illud probabile, discriminis aliquid intercessisse inter tribunos senatorio ordine natos et inter tribunos laticlavios, ut hi plus vel dignitatis vel spei futurorum honorum haberent; nam utrosque, cum eodem munere inter vigintiviros functi essent, nullo alio munere gesto, ex quo commendarentur, videmus ad tribunatum pervenisse. Ducitque eo ipse locus, quem tribunatus militaris, qui non industria bellica partus, sed ad auspicandos magistratus acceptus sit, sive appellantur laticlavii, sive non appel-

1) Disputavit autem nuper de tribunis militum vir doctissimus Alphonsus de Boissieu in praeclaro opere, quod de inscriptionibus Lugdunensibus condidit, p. 315. Qui cum aliam omnino rationem sequatur ac nos, quamquam rectissime disputavit, citari hic quidem non potuit, sed hoc commemoro optime has duas res vider ab eo intellectas esse, primum male a quibusdam tribunos angusticlavios existimari eosdem ac semestres (cf Orell. n. 3442), deinde qui aliquotiens in titulis commemorantur tribuni militum a populo, non posse esse nisi eos, qui comitiis publice facti essent.

lantur, inter honores reliquos obtinere solet. Quamquam enim paucae sunt exceptiones, velut apud Kellerm. Vig. n. 252, collocatur tamen fere post vigintiviratum et ante quaesturam. Quare videtur prorsus ita accidisse, ut tribuni, qui essent senatorii ordinis, distinguerentur illi quidem lato clavo ab eoque sicubi accurate ageretur nominarentur, sed in titulis modo tribuni modo laticlavii tribuni dicerentur. Idque eo minus debet mirum videri, quod lati clavi significatio etiam alibi omittitur. Etenim Suet. Aug. 9 narrat Augustum senatorum liberis *militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedisse, ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuisse singulis alis.* Iam non arbitror equidem mansisse diu hoc, quod Augustus instituit, non magis quam diuturnum fuit, quod Claudius in simili re edixit (Suet. Claud. c. 25), qua de re G. Henzen. in annalibus Rhenanis anni 1847, XIII p. 49 satis diligenter disputavit, nisi quod senatorii et equestris ordinis tribunos minus videtur distinxisse neglexitque Suetonii illum de Augusto locum, ex quo et Suetonii, opinor, aetate et fere etiam ab reliquis imperatoribus praefecturam alae superiorem esse iudicatam tribunatu legionis discimus.[1]) Sed praefecti tamen nulli omnino laticlavii reperiuntur, in quibus si lati clavi significatio, quamquam item equestris dignitatis homines eum gradum tenebant, omittebatur, non minus facile in ipso tribunatu potuit omitti. Illud vero imprimis est animadvertendum, quod laticlavii tribuni nulli unquam inveniuntur nisi legionum, nulli auxiliorum, nulli cohortium aut praetorianarum aut urbanarum. Cuius rei causa non difficile intelligitur. Quoniam enim laticlavii tribuni sunt fere, qui militiam auspicantur, nec cohorti, quam soli regant, praeponi possunt nec in praetorianos aut urbanam militiam, quam imperatores virtute excellere velint, admittuntur; at legiones cum plures singulae habeant tribunos, unius culpa facile reliquorum usu aut emendatur aut corrigitur. Idque quam diligenter observatum sit, insigne docet exemplum Rustii Rufini apud Kellermannum Vigil. n. 13, quod supra allatum est, qui cum fuisset tribunus legionum III Cyrenaicae et III Gallicae, deinde cohortium primae praetoriae et sextae vigilum, legionum vocatur tribunus laticlavius, ut cum iactatione aliqua senatoria dignitas significetur, at cohortium illarum modo tribunus. Nec vero, quia laticlavii tribuni in legionibus tantum reperiuntur, existimandum est non vere eos functos esse munere suo, sed specie quadam honoris contentos ex imaginario quasi genere tribunorum fuisse, quod quale fuerit parum adhuc exploratum est. Etenim ex ingenio ac studiis cuiusque pendebat, utrum militarem artem discere vellet,

---

1) Insigne enim huius rei exemplum ipso Augusto imperatore exhibet Velleius historicus, equestri loco natus (Hist. II, 104, 3), qui cum sub initia stipendiorum suorum tribunus militum meruisset (vide c. 101), Tiberium praefectus equitum in Germaniam comitatus ac deinde legatus legionis factus est (c. 104).

an tribunatum illum tamquam necessarium, sed parum iucundum percurreret. Velut C. Popilius Carus Pedo, nobilissimus vir, cum tribunus laticlavius leg. III Cyrenaicae esset, a divo Hadriano ob Iudaicam expeditionem donis militaribus donatus esse narratur in titulo Tiburtino apud Kellermannum Vig. n. 247; atque alius apud eund. n. 252 appellatur *tribunus laticlavius leg. VII Geminae ad census accipiendos civitatium XXIII Vasconum et Vardulorum.* Nolim enim haec dirimi, tamquam duo diversa fuerint munera, verum ut aliquando praefectos militares et centuriones imponebantur minoribus populis barbaris, sic tunc illum, cum tribunus esset leg. VII Geminae, quam in Hispania plerumque collocatam fuisse constat, ad census illorum populorum missum esse existimo. Neque magis alias legiones destinatas, alias negatas fuisse invenio tribunis laticlaviis. Nam legionis I Minerviae tribunus laticlavius Q. Petronius Melior est in titulo Tarquiniensi apud Card. diplom. milit. n. 592 (Kellerm. Vig. n. 246) et legionis I Adiutricis M. Marius Titius Rufinus apud Grut. 436, 7 (Momms. inscr. Neap. n. 1426), leg. II Adiutricis C. Iulius Pisibanus apud Orell. n. 1665, legionis III Cyrenaicae C. Caerellius Fufidius apud Grut. p. 379, 7, alium eiusdem legionis supra citavimus, legionis IIII Flaviae C. Lucilius Sabinus apud Grut. 433, 1, legionis IIII Scythicae et X Fretensis Iulius aliquis Marcianus in titulo Africano, qui reperitur in libro Gallico Excursions dans l'Afrique meridionale p. 24 n. 71, legionis IIII Fl. Fel. C. Iulius Clemens apud Mur. 1103, 7, legionis IIII Italicae apud Boeckh. Corp. inscr. n. 1133, alii ibid. n. 4032 et 4033, legionis V Macedonicae aliquis apud Don. 338, 3, legionis VIII Augustae L. Cestius Gallus apud Mommsen. inscr. Neap. n. 3537, legionis IX Hispanae L. Burbuleius Optatus apud eund. n. 4060, legionis X Fretensis *ἀνώνυμος* aliquis apud Borghes. de Burbuleio p. 67, legionis XII Fulminatae M. Aelius Theon apud Grut. p. 1090, 13, legionis XIII Geminae C. Curtius Rufinus apud Orell. n. 3441, legionis XVI aliquis, cuius titulus male descriptus est, apud Mur. 665, 3, et T. Aelius Naevius apud Orell. n. 3046, legionis XX Val. Victr. L. Aemilius Naso apud Kellerm. Vig. n. 251 et M. Caelius Flavius apud Orell. n. 133 (Fabr. p. 411, 350), alius denique apud Kellerm. p. 68, cui quod miror legionis, in qua meruerit, nomen non additur, quod idem videtur fieri apud Grut. p. 180, 3.

Veruntamen quoniam accurate haec nisi qui universi tribunatus militaris rationem persequatur explicare ordine non potest, redimus ad hunc, de cuius titulo Concordiensi agitur, quem cum tribunus laticlavius appelletur neque eum gradum virtute militari meruerit, sed principio ipso auspicandorum honorum causa acceperit, intelligimus nobili gente ortum fuisse, ut rite ab ineunte aetate summa speraret. Profectus autem est ad tribunatum gerendum in Syriam, ubi imperatore M. Antonino legionem IIII Scythicam collocatam fuisse diximus. Nec certum est, quamdiu ibi manserit. Sed mansit certe plus quam annum. Neque enim tribunatus, ut reliqui honores, annuo spatio circumscribebatur, sed ad omnium mili-

tarium munerum rationem ex imperatoris voluntate deponebatur. Sed cum redisset ex Syria, factus est *sevir equestrium turmarum.* Hunc magistratum (si magistratum dici licet, sed militare certe munus non fuit), qui bis apud scriptores, saepe in inscriptionibus commemoratur, constat esse eum, quem ultimum antequam in senatum allegantur, gerant nobiles adolescentes. Vide Marin. de act. fr. Arv. p. 775 et quos ille citat. Item omnes consentiunt eas turmas, quibus praeerant seviri, numero fuisse sex, idque, nisi aliis argumentis probabile fieri posset, ipsum sevirorum nomen, quod alia ratione explicari nequit, evincit. De reliquis fere rebus dissentitur, quae origo fuerit turmarum (neque enim Augustus cum constituit, quod reliqui imperatores tenuerunt, novum aliquid invenit, sed veterem morem reduxit), qui homines in turmis illis fuerint, alia eiusdem generis, de quibus qui cognoscere volet, conferat W. Reinii disputationem in Pauli encycl. real. VI p. 1140. Nos quidem, ut longum atque a proposito nostro alienum fore videmus si persequi hoc argumentum hoc loco velimus, ita turmas illas equitibus equo publico constare iudicamus cum propter Dionys. VI, 13, tum maxime propter ea, quae Suet. Aug. c. 38 de equitum turmis ab Augusto recensitis narrat, ubi sine ullo dubio ii, qui equum publicum habent, significantur. Cf. Ovid. Trist. II, 9, qui item et inter turmas se transvectum esse et equo publico fuisse ait. Sed sunt alia de iisdem his seviris, quae vix tacta esse inveniamus. Primum nomen frequentissimum esse videmus *sevir equitum Romanorum,* uti appellantur C. Matius Sabinus apud Orell. 2242, P. Metilius Secundus apud Marin. act. fratr. Arv. tab. LIX, itemque scribendum erit in fragmento apud Marin. ibid. p. 779, L. Titinius Glaucus Lucretianus apud Orell. n. 732, C. Plinius Secundus apud Orell. n. 1172, L. Aemilius Arcanus apud Orell. n. 2258, C. Passienus apud Mur. 728, 2, L. Eggius Ambibulus apud Mommsen. inscr. Neap. 1110, Ti. Attius Iulianus apud Mommsen. l. l. n. 5773, *ἀνώνυμοι* duo apud Fabr. 411, 351 et Gud. 133, 8, C. Calpetanus in Bullet. Neapol. 1846, p. 34. Inde rite appellatur etiam *sevir,* ut multorum ille nominum Q. Pompeius Senecio apud Orell. 2761, et L. Rugonius Urinatius apud Orell. n. 2377, itemque, ut videtur, M. Cocceius apud Donat. p. 279, 9. Nec minus videntur recta, quod M. Marius Rufinus apud Mommsen. inscr. Neap. n. 1426 vocatur *sevir turmarum equitum Romanorum,* et quod C. Curtius quidam *sevir turmis ducendis,* quem titulum ipsi aliquando explicavimus in museo Rhenano anni 1843 p. 251 sqq., aliusque item apud Chr. Saxium in lapidum vetustorum epigrammatis p. 15, et quod in fragmento apud Mommsen. l. l. n. 4237 est *sevir turmarum equestrium* similiter atque in hoc, quod explicaturi sumus, fragmento est *sevir equestrium turmarum.* Nam equites Romanos scimus in turmas fuisse divisas neque eae non praecipue quasi ab equestri ordine nominantur equestres. Efficiebant igitur hi seviri collegium aliquod, quod imprimis in sacrificiis faciendis ludisque edendis communiter ageret. Sed iidem tamen sin-

guli suae quisque turmae praeerant. Etenim non solum bis *sevirum turmae equitum Romanorum* commemorari video, semel in titulo Telesino Q. Herennium apud Momms. inscr. Neap. n. 4851, qui cum scriptum sic esse in lapide testetur, credo item nominari M. Caelium Flavium apud Orell. n. 133 (Donat. p. 248, 7; Fabr. 411, 350), verum etiam numerus turmae, cui quisque praefuerit, adiicitur. Nam *sevir equitum Romanorum turmae primae* C. Caerellius Fufidius est apud Orell. n. 2379, item L. Fulvius Gavius apud Donat. 72, 1, *sexvir turmae primae* Q. Petronius Melior apud Kellerm. Vig. n. 246; tum *sevir turmae secundae* L. Statius Prosper apud Orell. n. 3045 et L. Flavius Septimius apud Grut. 412, 2, *sevir equitum Romanorum turmae secundae* T. Aelius Naevius apud Orell. n. 3046 et P. Plotius Romanus apud Fabr. p. 411, 353; *sevir equitum Romanorum turmae tertiae* Sex. Cornelius apud Mommsen. inscr. Neap. n. 5359 et L. Cornelius Severus apud Grut. p. 1026, 3 in lapide male descripto et C. Valerius Gratus *sevir eq. R. turmae III* apud Borgh. mem. inst. arch. p. 290, denique *VIvir equitum Romanorum turmae quintae* P. Caelius Balbinus apud Grut. 393, 6 et T. Didius Priscus apud Grut. 1093, 7. Itemque turmae numerus periit in fragmento apud Marin. act. fratr. Arv. p. 779. Qua in re notabile sane est, quod turmae quartae et sextae seviri nusquam reperiuntur. Id si casu accidisse putamus, nihil est quod dicamus; sed magis non casui, sed causae alicui tribuemus. Intelligimus enim ex iis quae disputata sunt, et collegium quoddam fuisse horum sevirorum, in quo communiter agerent, id quod praecipue de sacrificiis quibusdam (Dionys. VI, 13) et de ludis quos edebant (Capitol. in M. Aurel. c. 6) valet, et tamen singulos singulis turmis praefuisse in pompa illa sollemni, quae quotannis celebrari solebat. Iam hi seviri fieri solebant ab equitibus Romanis ipsis, id quod colligi licet et ex similitudine sevirorum Augustalium, de quibus disputavimus in commentatione epigraphica de seviris et seviris Augustalibus p. 58, et demonstratur loco Zonarae X, 35, qui Augustum narrat permisisse, ut C. Caesar filius sevir turmae fieret (*ἵλαρχόν τε φυλῆς γενέσθαι ἐπέτρεψε*). Quamquam, cum imperatorum aetate etiam quae non ab ipsis administrarentur, illorum arbitrio regerentur, non mirum est, loqui aliquando ita scriptores, quasi imperatores ipsi seviratus honorem detulerint, veluti Capit. in M. Aurel. c. 6 ait: *Pius Marcum sevirum turmis equitum Romanorum creavit.* Cohaeret autem cum seviratu alia dignitas, quae imperatorum temporibus saepe commemoratur, nimirum *principatus iuventutis*, de quo imprimis disputarunt Eckhel. in Doctr. numm. VIII p. 371 et nuper Marquardt. de equit. Rom. p. 74. De hoc primum observabo, neminem fuisse principem iuventutis, nisi qui idem esset sevir equitum Romanorum. Duobus id exemplis demonstratur. Nam et M. Aurelium, qui postea imperavit, Capitol. in M. Aurel. c. 6 scribit sevirum turmis equitum Romanorum creatum esse, quem eundem eodem tempore Dio LXXI, 35 *πρόκριτον τῆς ἱππάδος* i. e. principem iuventutis appellat, et C. Cae-

sarem, Augusti filium, quem constat cum fratre principes iuventutis esse factos, Zonaras X, 35 ἵλαρχον φυλῆς nominat. Neque id cum rei ipsius natura dissentit. Cum enim principem iuventutis constet assimilatum esse principi senatus, qui honos ipsi Augusto delatus est, ut senatus non poterat princeps esse nisi qui et in senatu esset et summo ac consulari loco, sic iuventutis principem esse non licebat nisi eum, qui et equum publicum haberet et summum inter equites honorem i. e. seviratum gereret. Sed hoc discriminis intercedit inter seviratum et inter iuventutis principatum, quod ille, etsi nomen honoris perpetuo potest usurpari, ipse tamen est annuus ac semel geritur, hic, qui mera appellatione constat, tamdiu retinetur, quamdiu placet, quare factum est, ut cum superiores imperatores iuventutis principes appellari desierint postquam tribuniciam potestatem acceperunt, reliqui inde ab Geta et Caracallo perpetuo id nomini suo ascripserint. Illud vero certum, principem iuventutis non minus quam seviros factum esse ab ipsis equitibus equo publico; neque enim modo Augustus ipse in rerum suarum indice tab. III, 4 filios suos ait ab equitibus Romanis universis appellatos esse principes iuventutis, verum etiam Commodum Lampridius c. 1 *cooptatum* esse principem iuventutis inter trossulos; nam in cooptandi verbo hoc inest. Quodsi omnes principes iuventutis fuerunt iidem seviri, video coniectura posse probabilem aliquam causam inveniri, cur duae ex sex turmis caruerint seviris. Neque enim credo, eos, qui imperatoria domo orti essent heredesque imperii existimarentur, cum seviratum acciperent, semper turmae primae fuisse seviros, quae sententia etsi prolata est a Marquardtio l. l. p. 76, nulla tamen ratione confirmatur, siquidem turma prima nec rarius quam ceterae nec maiore usquam cum honore commemoratur. Immo ut tribuum Romanarum nulla una habet principatum, sed ordo cum certus sit, initium modo ab hac modo ab illa fit, ita turmarum equitum Romanorum non minus sexta aut quinta aut alia videtur habere potuisse principem iuventutis pro seviro quam prima. Iam fuit et princeps iuventutis et sevir turmae alicuius Germanicus Caesar, Tiberii filius (Ovid. ex Ponto II, 5, 41), in cuius defuncti honoribus narratur a Tac. Ann. II, 83 institutum esse ab ordine equestri, uti turmae Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur, ac videtur hoc inter ea fuisse, quae manere suo tempore Tacitus significat. Pertinere autem honorem illum constat ad sollemnem equitum transvectionem, in qua praecipuum sevirorum munus erat et quod Tacitus ait secutas esse turmas imaginem, quid aliud vult, nisi eam ita esse praelatam, ut ea turma, cui praeferretur, nullo alio seviro uteretur, sed quem vivum olim secuta esset, eundem mortuum pro seviro coleret? Idque eo magis probabile, quod in eiusdem Germanici honoribus a senatu decretis Tacitus narrat hoc fuisse, ne quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Iuliae, crearetur, ut, etiamsi forte filiis nepotibusve imperatorum liceret eiusdem esse turmae seviris, cuius olim fuerat Germanicus, qua de re nihil

audeo dicere, ceteris privatis hominibus non liceret. Quodsi datum hoc est memoriae Germanici, ut locus eius in seviris perpetuo vacuus relinqueretur, idem videtur esse concessum C. et L. Caesaribus, qui primi omnium principes iuventutis appellati sunt. De quorum honoribus sane perpauca nobis sunt tradita, nec vero a probabilitate recedit, quod in Germanico usurpatum est, id esse repetitum ex vetustiore exemplo, cum item princeps iuventutis dilectus a populo Romano decessisset. Neque unus locus non potest concedi Caesaribus, siquidem eos non eodem anno, sed Caesarem anno 5, Lucium anno 2 a. Chr. principes iuventutis sevirosque appellatos esse constat. Vide nos ad mon. Ancyr. tab. III, 4. Quamquam omnia haec, quae de turmis duabus equitum Romanorum disputavimus, non tamquam vera sint affirmamus, sed ut probabilia proferimus de coniectura, qua tamen, ubi certa testimonia desint, necessario in antiquitate intelligenda videmus esse utendum, neque aut, si turmae quartae et sextae sevir quis inventus erit, non laetabimur invento aut, si quid probabilius afferetur, moleste patiemur.

Absolverat militiam equestrem gesto seviratu is cui hic titulus positus est, sed utrum absoluta demum militia equestri an iam antea in senatum intrarit, dubium est. Video enim seviratu nonnunquam functos esse etiam qui iam in senatu essent. Apertum enim est exemplum M. Aurelii, quem Pius cum adoptasset anno 140 p. Chr., in ipsa quaestura cum vicesimum annum ageret, et consulem designavit et sevirum turmis equitum Rom. creandum curavit (Capit. in M. Ant. c. 6). Itaque etiam Titus, cum pater imperio potitus esset, quamquam sine dubio iam senator fuerat, anno 69 in annum insequentem princeps iuventutis appellatus est, cum eoque Domitianus frater, qui eodem anno praeturam urbanam gerebat, similiaque exempla compluria in domo imperatoria inveniuntur. Sed ne quis principum modo liberos, in quos omnium honorum munera congeri solebant, hoc iure usos esse putet, etiam L. Aemilius Arcanus imperante Hadriano apud Orell. 2258 prius dicitur allectus esse in senatum, tum turmis equitum Romanorum praefuisse. Atque hunc Concordiensem certe iam ante seviratum fuisse in senatu suspicor propterea quod omissa quaestura id statim munus accepit, quod sine cognitione moris senatorii recte administrari non posset. Ac rarum omnino est, ut quaestura omittatur, etsi reliquum honorum ordinem ita constat imperatorum tempore esse immutatum, ut multi praetermissis minoribus statim ad maiores pervenirent. Id in aedilitate imprimis accidisse notum est, cuius et potestas esset exigua adeo, ut iam Cicero aedilem parum a privato homine differre iudicaret, et sumptus magni, qui a novis aut parum locupletibus hominibus, qui tunc multi eveherentur, aegre tolerarentur, et numerus denique idem qui antiquitus fuerat, cum reliquorum magistratuum magnopere esset auctus. Nam cum aediles quotannis fierent bini curules, bini plebeii, bini Cereales, omnino seni, at quaestores viceni, ut videtur, praetores varie vel quaterni deni vel seni

deni vel octoni deni, consulum denique loci multiplicarentur, apparet necesse fuisse, ut nec omnes quaestores gererent aedilitatem et ad praeturam consulatumque praetermissa aedilitate perveniretur. Quare eorum, qui praetermissa aedilitate ad summos honores pervenerint, tanta reperitur in inscriptionibus Latinis frequentia, ut exemplis non opus sit, atque unum genus quaestorum, qui principis erant singularique adversus imperatorem officio fungebantur, lege adeo ab Alexandro Severo aedilitate et tribunatu plebis soluti continuo ad praeturam admittebantur. (Lamprid. Alex. Sev. c. 43). Quod antequam lege constitutum est, consuetudine obtinuisse iam docet Borghes. in diurn. Arcad. ann. 1819, 1 p. 193.[1]) Invenimus etiam quosdam, qui quaestura et aedilitate praetermissa statim ad praeturas evecti sint, velut Sex. Palpelius Hister apud Donat. 297, 5, postquam tribunatum militarem gessit, tribunus plebis, tum praetor factus est, qui si antequam honorem gessit, non fuit in senatu, simul atque receptus est, statim ante quaestorios sententiam dicere coepit. Cf. Tac. Ann. II, 32. Sed ille tamen habebat iustum locum, quo sententiam diceret, hic *ἀνώνυμος*, de quo disputatio nostra instituta est, quaero, cum acta senatus curaret, quo loco fuerit inter senatores. Num inter pedarios, qui vocantur? At munere fungebatur non levi eoque quod quaestoriis viris mandari consuevisse intelligamus? Est enim quod intercedat inter quaesturam et inter curam actorum senatus. Ille proprie est magistratus, ut aedilitas, ut praetura, ut consulatus, quibus qui functi sunt, certa habent inter senatores ac lege consuetudineque descripta loca, ut quidam eorum quasi ordo esset, at cura acto-

1) Notum est nomen horum quaestorum principis, qui certis quibusdam muneribus et absentis ab senatu imperatoris et praesentis fungebantur, quamquam natura ac potestas nondum satis explorata est. Qui quia cum principe futuri erant, ab eo commendabantur senatui ideoque principis candidati appellabantur. Commendabantur autem etiam aliorum honorum candidati a principe, unde fit, ut praetores, ut aediles, ut tribuni plebis nominentur candidati principum, quorum hoc commune est, quod principum suffragiis honores assecuti sunt. Quaestorum autem, qui candidati principum sunt, iam duplex oritur genus, prius eorum, qui cum commendati sint a principe, iidem principis sint quaestores orationesque eius in senatu recitent, alterum eorum, qui item commendati a principe aut in provincias proficiscantur aut reliqua, quae quaestoribus obtingunt, munera administrent. Hac ratione explicandam esse censemus difficultatem illam, quam in candidatis principis invenit I. Marquardt. in antiq. Rom. II, 3 p. 203 not., cui assentior tamen amplius quaerendum esse, an candidati principis ad omnes honores peculiari aliqua veste aliisque rebus sibi propriis usi sint. Idem quod in eadem nota reprehendit quam explicationem olim in museo Rhenano ann. 1843 p. 266 proposuimus de Lampridii loco in vita Alex. Sev. c. 43, cum hoc ab Alexandro Severo constitutum esse diximus, ut quaestores candidati ex principis pecunia ludos ederent, aperteque nos falli ait, videmur sane nec falli et bona aliqua ratione, quae alioquin longa est ad explicandum, uti. At hoc non video, cur non Lampridius dicere potuerit hac, quam nos statuimus, sententia: *quaestores iussit ex sua pecunia munera populi dare, sed ita ut post quaesturam praeturas acciperent.* Nimirum imperator cum ipse sumptus quaestoribus candidatis ad munera ministraret, pro hac munificentia aequum esse censuit, ut liceret sibi eos omissa aedilitate et tribunatu statim ad praeturam evehere.

rum senatus munus est, quod extrinsecus quasi accedat atque insuper iniungatur iis, qui proprium magistratum quaesturae gesserant. Quodsi inter quaestorios hunc cum ab actis senatus esset, fuisse statuemus, omissum erit hoc ipsum, eum inter quaestorios allectos esse, sive statim cum intraret senatum quaestorio loco esse iussus est sive postea evectus est ab imperatore. Idque sane est simillimum veri confirmaturque exemplo C. Porcii Prisci, cuius titulus exhibetur a Marin. act. fratr. Arv. tab. LXI, qui simili ratione dicitur *allectus inter quaestorios, ab actis senatus, aed. curulis.* Neque mirum esse debet, quod praetermissum est illud in hoc titulo, in quo cum honores modo ac munera recenseantur neque illud allegi inter quaestorios proprie honos, sed pro honore quasi esset, vix desiderabimus eius rei mentionem, quae extra propositum erat sita. Statuimus igitur *ἀνώνυμον* hunc fuisse quaestorium, cum acta senatus curaret, in eoque ipso vestigium aliquod deprehendimus, unde nobili eum genere oriundum fuisse colligamus.

Veruntamen ipsum illud munus, quod vocatur *ab actis senatus*, quale erat? Disputavit de eo luculente, ut solet, ac docte Marinius in act. fratr. Arv. p. 790 imprimisque errores quosdam virorum eruditorum refutavit. Natum quidem id munus est ut alia multa paulatim Augusto imperatore, cum omnes senatus rationes ad certiorem formam redigerentur. Nam antea quamdiu libera fuit respublica, si quid praeter ipsa senatusconsulta ex actis excipiebatur, privatorum id studiis relinquebatur. At postquam imperator tribunicia potestate ornatus est, ut omnia quae in senatu agerentur, rite vetare posset, nec tamen semper adesse oporteret, accurate et publica quadam ratione omnia perscribi opus erat, commemoraturque iam sub Tiberio (Tac. Ann. V, 4), qui componendis patrum actis praefuerit. Apparet igitur necessitas muneris diversi ab iis, qui iam antiquitus scribendis senatusconsultis adesse consueverant, quorum nomina subscribebantur. Quaeritur unus fuerit an plures? De ea re nihil omnino traditur, sed ut unus erat quaestor Augusti, qui orationes principis recitabat, sic unum etiam fuisse suspicor, qui quae acta essent in senatu componeret ac si opus esset ad imperatorem referret. Nec magis certum est, utrum annuum fuerit munus ac prope adducor, ut non fuisse suspicer. Quemadmodum enim in iis muneribus, quae non modo auctoritatem aliquam, verum etiam artem atque usum postularent, descisci paulatim coepit ab annua vicissitudine, quam vetus respublica observabat, quo ex genere imprimis praefecti aerarii, de quibus infra plura dicentur, afferendi sunt, sic certe, qui semel acta recte curare didicerant, eos exiguis spatiis mutari inutile erat. Atque aliqua eius suspicionis confirmatio possit inde peti, quod eos, qui ab actis senatus fuerunt, antequam praetura augerentur, video nunquam aedilitatem et tribunatum plebis gessisse, sed alterutro horum magistratuum defunctos officio satisfecisse. Maxime vero illud quaerendum est, quis senatus actorum curatorem elegerit (nam ex senatoribus esse electum nec, etiam si

nihil traderetur, dubitari debuit, et ex omnibus eorum titulis manifestum est), non quod ipsius rei causa in servitute illorum temporum magnopere referre putem, utrum princeps an senatus designarit; sed quae senatus constituendi ratio tunc placuerit, hinc cognoscatur. Iam promptum est afferre Tac. Annal. V, 4: *Fuit in senatu Iunius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Caesare eoque meditationes eius introspicere creditus*, qui rem aperte ita videatur tradere, ut nulla dubitatio relinquatur. Sed merito tamen obiiciatur, si *delectus* nihil significet nisi *factus* vel *creatus*, effici, ut omnes, qui ab actis senatus erant, videantur familiares fuisse principis. Neque abhorreat a consuetudine cum aliorum scriptorum, tum Taciti, si Tiberium cum plures essent, qui curam illam peterent, unum illum Iunium Rusticum, quem maxime probaret, commendasse senatui statuamus ad creandum neque is nequeat recte dici ab eo esse delectus. Neque consentire mihi videatur, cum reliqui magistratus omnes, etiam ipse ille Caesaris quaestor, quamvis commendarentur a principe, fierent tamen a senatu, si unus hic actorum curator ab imperatore institutus esse putetur. Quo in genere maxime notabiles sunt duo tituli Graeci eiusdem hominis, unus Argis repertus, alter Spartae apud Boeckh. Corp. inscr. graec. n. 1133 et 1327. In iis Ti. Claudius Quir. Frontinus Niceratus, postquam minores eius honores recensiti sunt, vocatur sic: *ταμίας καὶ ἀντιστράτηγος ἐπαρχείας Ἀχαΐας, ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων τῆς συγκλήτου κανδίδατος αὐτοκράτορος Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου Αὐγούστου Γερμανικοῦ, ἀγορανόμος κουρούλλιος, στρατηγὸς Ῥωμαίων,* quae Latine in eiusdem hominis titulo apud Grut. 389, 6 (Momms. inscr. Neap. n. 1879) sic redduntur: *Quaestori propraet. provinc. Achaiae, ab actis senatus, aed. cur., praetori,* in quibus omnia consentire prorsus videmus nisi quod Graece additur *κανδίδατος αὐτοκράτορος Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου Αὐγούστου Γερμανικοῦ,* cui quod Latine respondeat nihil est. Verum ipsum hoc, quod Graece adiicitur, quid esse dicemus? Explosa enim est eorum sententia, qui censent candidatum imperatoris per se posse intelligi eum, qui dici solet quaestor Caesaris, id quod si fieri posset alias, certe in hoc titulo non posset, quia Niceratus, qui iam quaestor pro praetore provinciae Achaiae fuisset, bis quaesturam gerere non potuit. Atque candidatus principis dupliciter omnino dicitur, ut aut uni alicui honori addatur, si quis eum ipsum imperatoris commendatione accepit, aut, si quis omnes honores beneficio principis consecutus est, omnibus vel anteponatur vel postponatur, veluti apud Grut. 457, 6 C. Popilius Carus, postquam honores eius explicati sunt, nominatur *in omnibus honoribus candidatus imperatoris.* Alia exempla pete ex Marin. act. fratr. Arv. p. 803; Momms. insc. Neap. n. 5983 et 246. At cum idem inter medios honores interponitur, id quod in utroque titulo Graeco fieri videmus, ad unum utique honorem pertineat necesse est, aut ad eum, qui antecedit, aut ad eum, qui sequitur. Iam per linguae rationes fieri non posse intelligo, ut *candidatus Imp. M.*

Aurelii Antonini Augusti anteponatur honoris nomini neque ullum eiusmodi exemplum reperire potui, nec quod Latine non factum est aut recte fieri potuit, Graece videtur usurpatum esse, velut item *ταμίας κανδίδατος, δήμαρχος κανδίδατος* est in titulo Ancyrano apud Boeckh. C. I. G. n. 4029. Relinquitur, ut candidae mentio referenda esse videatur ad curam actorum senatus. Nove id dictum esse sentio, sed ita tamen, ut et res ipsa possit explicari, et cur Graece additum, Latine omissum sit, intelligatur. Etenim, quamvis fieret a senatu, qui acta sua curaret, commendari tamen eum consuevisse ab imperatore, ex iis, quae supra de munere eius disputavi, apertum est eritque Niceratus hic, quod Tacitum supra de Iunio Rustico dixisse vidimus, *componendis patrum actis delectus a Caesare.* Quod quia per se ipsum satis apparebat, Latine solebat omitti similiter ac saepe quaestores imperatorum commemorantur, qui non appellentur candidati, quamvis quin fuerint, vix possit esse dubium, velut Vespasiani tempore T. Rutilius Varus apud Momms. inscr. Neap. n. 1994, adeo imperatori acceptus, ut comes eius postea fuerit, et Ser. Cornelius Dolabella apud eund. n. 5359, multique alii. At Graece cum minus sollemne esset muneris nomen neque, si quis *ἐπὶ ὑπομνημάτων τῆς συγκλήτου* diceretur, statim designatum eum esse ab imperatore intelligeretur, erat sane quod candidae mentio adiiceretur. Quodsi Niceratum aedilem curulem candidatum M. Antonini fuisse putaremus, statuendum esset discessisse Graecum illum titulum ab Latino, quod cum in reliquis honoribus prorsus consentiant, difficile videtur posse credi. Ac nescio an etiam Latine nonnunquam significetur. Nam quid esse putabimus, quod C. Iulius Proculus apud Marin. inscr. Alb. p. 54 dicitur *praetor trib. pl. ab actis Imp. Traiani Aug. trib. leg. IIII Scythicae* cet.? Quod ibi est *ab actis imperatoris Traiani*, eodem prorsus loco commemoratur, quo solet curator actorum senatus, neque fieri potest, ut intelligamus officium aliquod domus Augustae, a quo Traiani tempore senatorii ordinis viri abhorrebant. Quare videtur contra morem solitum ibi imperatoris nomen, cuius commendatione Iulius Proculus curam actorum senatus accepit, additum esse non dissimiliter ac Graece candidatum M. Antonini adiectum esse vidimus. Quae cum ita sint, statuimus, eum qui ab actis senatus esset, cum commendaretur ab imperatore, creatum esse senatorum suffragiis, atque ita eadem eius ratio erit ac consulum, qui cum antequam in comitiis populi renuntiarentur, senatorum iudicium subirent, designabantur tamen ab imperatore, qui quoniam iam electionem et eorum qui praeerant senatui et eius, qui acta componeret, in potestate sua tenebat, facile non solum quid ageretur, verum etiam quomodo quidque ageretur, regebat. Cum autem Augustorum beneficio eligerentur, qui ab actis senatus essent, non mirum videtur, si praecipuo aliquo iure in assequendis ceteris honoribus usi sunt. Cuius rei non dubium vestigium in eo videor mihi invenisse, quod ex duodecim senatus actorum curatoribus, quorum fere honores noti sunt,

septem video continuo factos esse aediles et quidem curules, qui sub imperatoribus coeperunt pro honestioribus haberi quam plebeii, M. Servilium Fabianum apud Kellerm. Vig. n. 248 (Marin. act. fr. Arv. p. 754), Ti. Claudium Frontinum apud Grut. 389, 6, M. Claudium Frontonem, qui Pio imperante vixit, in titulo coloniae Sarmizegetusae (qui refertur in libro, cui inscribitur Archiv des Vereins für Siebenbürgische Landeskunde I, 2 p. 16); L. Cestium Gallum apud Momms. inscr. Neap. 3537, Oppium Priscum, in cuius titulo apud Grut. 446, 3 explendum est *aed. cur.*, C. Porcium Priscum et Frontinum Niceratum, quos supra iam citavimus, denique Domitium Florum, de quo narrat Dio Cass. LXXVIII, 22.[1]) Ex reliquis tres, antequam ad praeturam pervenerunt, tribunatu plebis functi sunt, sed commendati a principe, M. Annaeus Saturninus apud Kellerm. Vig. n. 244, M. Pontius Laelianus apud Orell. n. 3186, Hadrianus, de quo narrat Spart. c. 3: *Post quaesturam acta senatus curavit — tribunus plebis factus est Candido et Quadrato iterum cos.*, ubi casu excidisse puto mentionem commendationis a Traiano ei datae. Itemque statuo de Iulio Proculo, cuius titulum paulo supra citavi. Qui autem reliquus est L. Neratius Marcellus apud Momms. inscr. Neap. n. 4933, qui vocatur singulari nomine, sed recte tamen *curator actorum senatus*, eius honores cum prorsus nullo ordine exhibeantur, nec aedilitas nec tribunatus plebis commemoratur. Neque quisquam inter hos, qui ab actis senatus fuerunt, reperitur, qui, quae proprie legitima erat honorum ratio, et aedilitate et tribunatu plebis gesto ad praeturam ascenderit.

Veruntamen honores hucusque in hoc, de quo disputatio nostra instituta est, titulo commemorati etsi magnam sane de gravissimis reipublicae partibus disserendi materiem praebent, sunt tamen multarum inscriptionum communes nec quicquam habent, quod recte singulare dixeris. At deinceps quod sequitur, insigne prorsus est efficitque ut haec inscriptio plurimi facienda sit. Legitur enim sic: *Praetori, cui primo iurisdictio pupillaris a sanctissimis imperatoribus mandata est.* Quis praetor significatur? Notum enim est, cum dictator Caesar duodecim, Augustus sedecim praetores constituisset, a Claudio adiectos esse duos, qui de fideicommisso ius dicerent, ex quibus cum alterum Titus detraxisset, rursus adiectum alium a Nerva, qui inter fiscum et privatos ius diceret (Pompon. de orig. iur. Dig. I, 2 § 32, Suet. Claud. c. 23, Quintil. III, 6, 70). Nullum ex his dici apparet,

---

1) Apud eum sic legitur: *Λομίτιός τις Φλῶρος περιδρομῇ θεραπείας πρὸς σπουδαρχίαν, καίτοι πρότερόν ποτε τὰ τῆς βουλῆς ὑπομνήματα διὰ χειρὸς ἔχων καὶ ἀγορανόμος ἐπ' αὐτοῖς ἀποδειχθῆναι ὀφείλων, εἶτα, πρὶν ἄρξαι, τῆς ἐλπίδος διὰ Πλαυτιανὸν ἐκπεσών, κατεστήσατο*, unde quod colligebant quidam viri docti, legem vel certam aliquam consuetudinem fuisse, ut, qui ab actis senatus fuissent, deinde aediles fierent, refutavit Marin. act fr. Arv. p. 491; sed repetivit tamen eum errorem Marquardt. antiq. Rom. II, 3 p. 253 not.

et quia munera eorum diversa sunt et quia ante instituti sunt, quam hic titulus, in quo duo imperatores commemorantur, poni potuit. At de M. Antonino sic narrat Iul. Capitolinus c. 10: *Praetorem tutelarem primus fecit, cum ante tutores a consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur.* Nimirum cum antiquitus tutores peterentur a praetoribus urbanis, Claudius, ut Sueton. in eius vita c. 23 ait, *sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a consulibus darentur,* cuius rei exemplum est apud Plin. epist. IX, 13, cum Helvidii ab Domitiano in exilium pulsi filiae tutor datus esse narratur Cornutus Tertullus a consulibus, M. Aurelius ordinarium magistratum instituit, qui tutores daret. Ac commemorantur post eum saepe *praetores tutelares* sive *tutelarii.* Neque dubium est, quin is in hoc titulo dicatur. Qui cum etiam extrema imperii aetate, quamvis mutata reliqua republica conservatus sit, in Theod. Cod. III, 17, 3 appellatur *praetor, qui tutelaribus cognitionibus praesidet*, ibid. III, 17, 4 *praetor, qui impertiendis tutoribus praesidet,* unde intelligimus recte ei iurisdictionem in hoc Concordiensi lapide tribui. Ac Paulum quidem ipsum ex fragm. Vatic. de excusat. extr. cognoscimus libros scripsisse *de iurisdictione tutelari,* ut unum hoc iam discrepare videamus, quod Concordienses vocarunt pupillarem pro tutelari iurisdictione neque ea varietas aut magna omnino est aut mira illo tempore, quoniam recens inventi muneris nomen solet fere esse incertius. Confirmat igitur hic lapis prorsus auctoritatem Capitolini docetque neque antequam bini imperatores rei publicae esse coeperunt, neque post M. Aurelium esse institutum praetorem tutelarem: exhibebit etiam, si recte suppleatur, eius nomen, qui primus eo munere functus sit. At enim exoritur contra Capitolini fidem Bart. Borghesius, summus nunc antiquitatis Romanae apud Italos arbiter, et praeclara, qua praecellit, doctrina usus, et vero testimonio fretus nequaquam contemnendo. Is in diurn. Arcad. anni 1824, 2 p. 82, ubi refert de iuris Romani fragmentis Vaticanis ab Angelo Maio nuper repertis, negat recte tradidisse Capitolinum, propter locum in ipsis illis fragmentis Vaticanis § 244, quo haec sunt: *Paulus libro singulari de officio praetoris tutelaris. Mediocritas et rusticitas et domesticae lites interdum excusationes merentur, ex epistula divorum Hadriani et Antonini et fratrum ad Caerellium Priscum praetorem tutelarem.* Quia enim singulari numero dicatur *ex epistula,* inde intelligendum esse ait Borghesius, de uno agi rescripto, communiter a quattuor illis imperatoribus dato. Itemque unum dici rescriptum apud Paulum in Dig. XLIX, 14 (de iure fisci) l. 3 extr., ubi sit: *Ei qui per errorem se detulit, cum capere solidum posset, non nocere hoc divus Hadrianus et divus Pius et fratres rescripserunt.* Hanc epistolam, quam unam ille fuisse iudicat, non potuisse scribi nec ante a. d. V Kal. Mart. anni 138 p. Chr., quia eo die adoptatum esse constet Antoninum Pium ab Hadriano, nec post a. d. VI Kal. Iul. eiusdem anni, quia tunc decesserit Hadrianus. Per breve igitur hoc temporis spatium epistolas

imperatorias inscribi consuevisse nomine et Hadriani, veteris imperatoris, qui solus esset Augustus, et Antonini Pii recens adoptati et denique adolescentium duorum M. Aurelii et L. Veri, quos item recens iussu Hadriani sibi Pius adoptasset. Quodsi ita esset (nec posse aliter statui), subito decerni de quaestione gravissima, quae doctissimorum hominum ingenia exercuisset, quo anno divi fratres a Pio adoptati essent, utrum anno 138 an 139 p. Chr., et decerni secundum Tillemontium, qui utrumque censuisset eodem die, quo Pius in familiam Hadriani transisset, ab hoc esse adoptatum. Illo igitur anno 138 p. Chr. praetorem tutelarem fuisse Caerellium Priscum nec dubium esse, quin Pauli, gravissimi iureconsulti, qui de praetore tutelari adeo librum scripsisset, auctoritas longe anteponenda esset Capitolini, scriptoris sane parum accurati, testimonio. Haec Borghesius miraturque non iniuria, tantam novarum rerum multitudinem paucis Pauli verbis contineri. Quis enim unquam antea audivit, iam imperante Hadriano quattuor fuisse in republica imperatores, ut rursus manifesti erroris convincantur Spartianus in Aelio Vero c. 5 et Hadr. c. 24, item Capitolinus, qui in M. Aurelii vita c. 7 tradat, postquam ille cum L. Vero fratre imperium communicavit, primum imperium Romanum duos Augustos habere coepisse? Qua in re ei, qui ipse plures imperatores videre consuerit eiusque moris originem notare voluerit, sane fides habenda esse videatur. Atque Antoninum Pium ferremus fortasse communiter in diplomatis appellari cum Hadriano, si iam tunc, id quod fieri non potest, duos imperatores fuisse putaremus; siquidem nomina Imperator Caesar et proconsulare imperium et tribuniciam potestatem ex ipsa adoptionis lege accepit, quamquam Augusti nomine caruit, quamdiu Hadrianus vixit, unde videatur eadem potestate fuisse, qua fuerat Aelius Verus ante Pium ab Hadriano adoptatus, quem Caesarem nominant Capitol. in Vero Imper. c. 1 et Spart. in Hadr. c. 24 nec quicquam imperatoriae potentiae habuisse haud dubie significat Spart. in Ael. Vero. 3. At M. Aurelium quis credat iam anno 138 potuisse nominari in diplomatis, quem et ex nummorum certissimo testimonio et ex Capit. M. Aurel. c. 6 constet insequenti demum anno Caesaris appellatione esse ornatum? Multo autem minus L. Verus potuit tamquam imperii particeps publice designari; eum enim privatum in domo imperatoria viginti et tribus annis fuisse ait Capitol. c. 3 multaque, quae per totum Pii imperium eum ab omni imperio remotum vixisse doceant, affert: nummi etiam confirmant, qui Pio mortuo una ei omnia imperatorum nomina delata esse demonstrant. Atque ut fuerit et Pius Hadriani in imperio collega et divi fratres eodem tempore pro Augustis habiti epistolisque publicis inscripti, cur non defuncto Hadriano tres imperatores relicti sunt? Quorum cum per diuturnum Pii imperium ne levissima quidem reperiatur significatio in actis publicis, ne vivo quidem Hadriano fuisse eos recte colligemus. Quare aut omnis omnium huius aetatis scriptorum evertenda auctoritas aut fatendum est, lapsum esse in Pauli loco interpretando Borghesium,

nimisque cupide, quod novum atque insigne videretur, accepisse. De die vero adoptionis divorum fratrum cum assentiar utique Tillemontio idque videar multis ac bonis rationibus posse stabilire, aliunde tamen eas petendas esse intelligo atque ex Pauli illo loco, quem fragmenta Vaticana exhibent. Quid enim? Num necesse utique est epistola divorum Hadriani et Antonini et fratrum intelligatur de una epistola? Rectius fortasse ita fuisse non negabo, sed necesse esse per Latinitatem non credo. Ac quicquid de Latinitate iudicabimus, possumus liquido demonstrare per res ipsas non posse de una epistola intelligi Ictumque ideo singulari numero usum esse, quod plures epistolas eiusdem argumenti ac iudicii fuisse videret. Mediocritatem (i. e. paupertatem) et rusticitatem et domesticas lites Paulus ait excusare interdum a tutelis gerendis. Eadem prope verba inveniuntur apud Modestinum in Dig. XXVII, 1 (de excus.), 6 § 19 *De rusticis autem et humilibus et illitteratis scribit Paulus ita: Mediocritas et rusticitas interdum excusationem praebent secundum epistolas divorum Hadriani et Antonini.* En eiusdem Pauli verba ac prorsus congruentia de duabus rebus, quae ab tutela excusent, sed in quibus epistolae plures, non una Hadriani et Antonini commemoretur. Ac de paupertate eod. tit. proxime l. 7 ex Ulpiano haec sunt: *Paupertas sane dat excusationem, si quis imparem se oneri iniuncto possit probare, idque divorum fratrum rescripto continetur,* eademque prope verba reperiuntur in fr. Vatic § 240 ex Ulpiano. De domesticis litibus nihil puto in Digestis praecipi, sed videtur fuisse in ipso illo divorum fratrum rescripto, ex quo particulam aliquam Ulpianus citat. Satis enim, opinor, apparet diversorum imperatorum diversas epistolas fuisse de mediocritate et rusticitate tutorum, nec posse amplius de una epistola Hadriani et Antonini Pii et divorum fratrum aut de aliquo eorum coniuncto imperio cogitari. Caecellium autem Priscum iam praetorem tutelarem fuisse statuemus sub ipsis divis fratribus, et quidem unum ex proximis successoribus ipsius huius, cui hic titulus a Concordiensibus positus est, quoniam divi fratres ad eum scripsisse narrantur. Verum etiam alii praetores tutelares cognoscuntur ex Vaticanorum fragmentorum titulo de excusatione, in quo cum saepe praetor i. e. tutelaris certa aliqua ratione iudicare iubeatur (vide § 147 et 159 et 165 et 166), nonnunquam etiam nominantur, ad quos rescripserant imperatores. Ac sub ipsis divis fratribus praetor tutelaris fuit Manilius Carbo, qui § 168 commemoratur, ignotus alias homo, sed cuius tamen nomen me admonet, ut § 236, ubi in codice relictum est *Man.... Cereali,* supplendum esse putem *Manilio Cereali* et hunc illius filium fuisse censeam. Nam quod Maio ceterisque editoribus placuit *M. Anicio Cereali,* ideo improbandum, quod nec in fragmentis Vaticanis, nec omnino in Digestis illius aetatis homines tribus nominibus appellantur. Scripsisse autem huic Ceriali narrantur *imperator noster,* i. e. Caracallus, *et divus Severus,* ut, cum statim unum rescriptum vocetur, epistolam necesse sit datam esse ante annum 211

a. Chr. Sed illud quaeritur, utrum praetor tutelaris fuerit an praefectus urbi. Hoc suadere videtur, quod agitur de suariis, qui cum sub cura ac iudicio praefecti urbis fuerint, huius litteris excusari iubeantur similiterque § 235 de iure pistorum ad praefectos annonae, qui iis praesunt, scribitur. At potest certissime etiam de tutelari praetore cogitari ac debere ostendit § 204, ubi *divus Severus et* (sic enim lacunam explendam esse suspicor) *imperator Antoninus* i. e. Caracallus de iure eorum, qui Romae studiorum causa versantur, *Cereali* scripsisse narrantur. Sine dubio enim idem homo dicitur, ut nonnunquam in his fragmentis saepius iidem homines commemorantur, fortasse etiam idem rescriptum ; quare praefectus urbi nequit dici. Iam anno 215 p. Chr. commemoratur in fastis cum Laeto II Cerealis consul, cuius reliqua nomina ignorantur, ad quem cum magna veri similitudine praetorem hunc tutelarem referemus lucrabimurque, ut alterum certe nomen ignoti adhuc consulis reppererimus. Duos igitur cognovimus praetores tutelares praeter hunc, de quo Concordiensis inscriptio est, ut, cum septem omnino usque ad L. Veri mortem fuisse infra demonstraturi simus, dimidiam prope eorum partem invenerimus. Verum etiam sub M. Aurelio, cum solus imperaret, duo novi praetores tutelares cognoscuntur ex iisdem fragmentis Vaticanis. Nam § 206 commemoratur Claudius Pulcher, cui deus Marcus rescripserit in eo, qui se a re provinciali excusarat. Ubi cum agatur de iis qui ad urbicam dioecesim pertinent, necesse est, non praeses alicuius provinciae aut iuridicus Italiae, sed ipse praetor tutelaris intelligatur. Bis nominatur in iisdem fragmentis Fulvius Aemilianus, primum § 189, quae paragraphus invenitur etiam in Dig. de exc. (27, 1) 15 § 16, ubi incertum tamen est, utrum praetor an provinciae praeses dicatur; at § 210 citatur epistola divi Marci ad Aemilianum, qua *praetori* iubetur is, qui potiorem tutorem nominat, libellos quaternos dare, ut Aemilianum quoque praetorem fuisse sit simile veri. Atque is sine dubio pater est Fulvii Aemiliani, qui consul in fastis notatur anno 206 p. Chr. nec magis abhorret ab vero esse eundem, qui in inscriptione Graeca Ancyrana apud Boeckh. Corp. inscr. 4012 appellatur *consul et legatus Aug. pro praetore,* id quod cum aliis rationibus a Borghes. in diurn. Arcad. 1824, 2 p. 69 et de diplomate militari imperatoris Decii Traiani p. 40 sq. expositis probabile fiat, tum eo confirmatur, quod, si ipse anno 206 consulatum gessisset, quoniam legatione paulo post consulatum fungi debebat, non Augusti, sed Augustorum i. e. Severi et Caracalli legatus appellandus erat. Nunc eum imperante Marco et praetorem tutelarem et consulem et legatum fuisse statuemus. At etiam hic filius, cos. anni 206, praetor tutelaris fuisse narratur in inscriptione, quae paulo post iterum citabitur, apud Donat. 72, 1. Neque enim dubium est, quin ille *L. Fulvius L. f. Ouf. Gavius Numisius Petronius Aemilianus praetor tutelarius candidatus Augg., quaestor candid. Augg.* quaestura et praetura Severo et Caracallo imperatoribus anno 203 et 201 gestis deinde anno 206 ad consulatum perve-

nerit, qui consulatus commemoratur etiam in Dig. XXIV, 1 (de donat.) 32. Huius autem filius fortasse est, qui cos. bis fuit anno 244 et 249, cuius consulatus ex duabus etiam inscriptionibus cognoscuntur. Cf. Borghes. de diplom. Traiani Decii p. 43 et 54 sq., qui paulo aliter, sed minus certis, ut videtur, rationibus de his consularibus viris iudicat, item quae infra de iuridicis disputabimus. Tum Severo imperante dubium est, an praetor tutelaris fuerit Flavius Severianus, de quo est in fr. Vat. § 201, ignotus alias, item Severo et Caracallo imperantibus Polus Terentianus, de quo agit § 200 et Claudius Herodianus, ad quem rescriptum esse dicitur § 191, 208, 247, quem postea Siciliae praefuisse discimus ex Mur. p. 1114, 3. Sed certe praetor tutelaris hac aetate fuit Aelius Diodotus, quinquiens nominatus § 159 et 206 et 211 et 215 et 246, quem ex inscriptione apud Grut. 567, 1 colligimus postea et ad consulatum et ad summos honores pervenisse, cum videatur Pannoniae inferioris legatus dici. Itemque Caracallo imperante praeturam tutelarem gessit Claudius Pompeianus, de quo sic est § 232 horum fragmentorum: *ut Cl. Pompeiano praetori imperator noster rescripsit;* nam Caracallum ab Ulpiano, cuius illud fragmentum est, appellatum esse imperatorem nostrum constat. Hic satis notus est. Est enim is, qui consulatum gessit anno 209 p. Chr. et occisus est a Caracallo anno 212 propter Getae amicitiam (Spart. Caracall. c. 3). Pater eius fuerat Claudius ille Pompeianus, egregius bellica virtute, cui Marcus Aurelius, cum strenuam operam in bellis Germanicis navasset imprimisque cum Pertinace, postea imperatore, Romanorum copias duxisset (Dio Cass. LXXI, 3 et tabul. honestae missionis apud Vernazzam p. 69, Capitol. in Pertinace c. 2), Lucillam, L. Veri imperatoris viduam, in matrimonium dedit ac duos consulatus detulit (Spart. Caracall. c. 3). Is cum Commodo anno 180 frustra suasisset, ne Romam ex bello rediret (Herod. I, 6), vixit deinde plurimum ruri, ut ne spectacula quidem imperatoris unquam frequentaret (Dio Cass. LXXII, 20), modestiaque ubi saevitiam principis effugit (Dio LXXII, 4), Pertinace demum regnante in urbem rediit (Dio LXXIII, 3). Filios quidem videtur habuisse duos (Dio LXXII, 20), ex quibus alter, Quintianus cognomine (vide Reimar. ad Dion. LXXII, 4), cum parum temperanter vixisset, insidiis Commodo structis periit (Dio l. l. et Lamprid. Commodo c. 4), alter hic est praetor tutelaris, de quo agimus, et consul anno 209 propagavitque genus suum. Huius enim filius est is, qui cos. notatur in fastis anno 231 p. Chr., cuius titulus cum etiamtunc tribunus militum esset, legitur apud Mur. p. 1985, 2 (2031, 4; Spon. Misc. erud. antiq. p. 859). Paulo pluribus haec exposui, quia Alex. Aug. de Buchholtz in editione fragmentorum Vaticanorum parum recte de hoc Pompeiano iudicare vidi. Quod autem praetoris munus invenerat M. Aurelius et quidem ipso principatus sui initio (nam anno 162 p. Chr. hunc tutelarem praetorem fuisse docebimus), mansit postea; saepe enim praetores tutelares sive etiam tutelarios (nam etiam sic labente Latinitate appellabantur) commemorari

videmus. Nam Ser. Calpurnius Domitius Dexter *praet. k*(andidatus) *tutel.* est in Bullet. inst. arch. 1833 p. 64 (apud Cardin. Dipl. mil. n. 629), qui cum cos. fuerit anno 225 p. Chr., biennio vel triennio ante gesserat praeturam, Terentius Gentianus *pr. tut.* apud Grut. 312, 1, Balbinus Maximus *pr. k. tut.* apud Mur. 357, 3, C. Valerius Gratus *pr. k. tutelar.* apud Borgh. Mem. inst. arch. I p. 290, item *pr. k. tu* .... apud Passioneum Cl. II n. 3, Anicius Anchenius Bassus *praetor tutelaris* apud Fabrett. p. 100, 225, L. Fulvius Gavius *praetor tutelarius cand. Augg.* apud Donat. 72, 1 (Maff. Mus. Ver. p. 252, 3), C. Sallius Aristaenetus *praetor k. tutelarius* apud Grut. 465, 5 et 6, L. Aradius Valerius Proculus *praetor tutelarius* apud Grut. 360, 4 et 361, 1 et 363, 2, de quo homine conferatur Gothofredus in prosopograph. Theod. Cod. p. 80, itemque in notabili, sed *ἀκεφάλῳ* illa inscriptione apud Fabrett. p. 730, 448 (Maff. Mus. Ver. 449, 1; Henzen. in annal. inst. arch. XV p. 52) (praet. cand. tutel)*ario* scribendum esse vidit Marin. act. fratr. Arv. p. 803. Quos omnes praetores ex certissimis indiciis intelligitur post aetatem M. Aurelii vixisse. Equidem praeterea tria haec in his observo, primum, in omnibus fere titulis vocari praetores tutelarios, non tutelares, cum apud Ictos altera haec forma usitatior vel sola in usu fuisse videatur, deinde item prope omnes dici candidatos Augustorum, ut etiam eos, in quibus commendatio imperatorum non apponatur, commendatos ab iis esse censeam. Nam hic quidem, de quo disputamus, vix putamus esse dubitandum quin item candidatus divorum fratrum fuerit, quippe cui primo novum atque insigne munus mandatum sit, eundemque ab imperatoribus ad acta senatus curanda senatoribus commendatum esse intelleximus. Nimirum placuit magnopere tutelare hoc munus ab M. Aurelio institutum, ut non modo ad extrema imperii Romani tempora conservaretur, verum etiam cum Constantinopoli nova quaedam respublica conderetur, eo transferretur ideoque id candidato maxime imperatorum mandari consuevisse non mirum est. Hoc denique quaeri potest, cum praetorem tutelarem institutum esse a M. Aurelio constet, utrum auxerit ille praetorum numerum, an alicui ex duodeviginti, quos illa aetate fuisse discimus ex Dig. I, 2 (de origine iuris) 2, 32, hoc munus detulerit. De ea re decernere non audeam, cum auctorum testimonia deficiant, in inscriptionibus autem praetoribus reliquis nunquam apponatur significatio quod munus sortiti sint ipsosque tutelares hos saepius simpliciter praetores dici existimem. Illud quidem intelligo, non sublatum esse a M. Aurelio unum illum, quem Titus reliquerat, de fideicommissis praetorem. Novimus enim ex inscriptione apud Borghes. in Explic. lapidis Gruteriani in Memor. Acad. Taur. XXVIII p. 40 Ti. Claudium Saethiadam Caelianum, PRAET. FID. COM, vixisse ac munus suum gessisse ipso imperante M. Aurelio post institutam praeturam tutelarem. Nec detractum esse censeo illum praetorem, quem Nerva instituerat, ut inter fiscum et privatos ius diceret, si verum est, eo pertinere PR. HASTAR., qui est

apud Grut. p. 379, 7, de quo cf. Marin. act. fratr. Arv. p. 808. Quare vel auxit M. Aurelius praetorum numerum, vel alii alicui praetori pupillorum curam mandavit.

Hac igitur praetura, in qua singulare aliquod imperatorum beneficium expertus erat, cum rite hic functus esset, *frater Arvalis* praemii loco factus est. Notum id collegium ex C. Marinii praeclaro opere, quod excribere alienum a proposito est. Sed notabilis hic titulus eo, quod tempus ipsum, quo sacerdotium illud delatum est, indicat. Iam hercle fateor tantam me invenisse in inscriptionibus Latinis sacerdotiorum recensendorum varietatem, ut nondum ullam aut legem aut consuetudinem certam detegere potuerim. Viri docti tradunt illi quidem, in titulis honorariis, ubi neglecto ordine temporis consulatus a principio ponatur, solere etiam sacerdotia, propterea quod maximum honorem afferant, collocari proxime consulatum, quamvis ante accepta sint. Vide, ut unum nominem, Borgh. de cos. Burbul. p. 74. Neque negabo saepe id factum esse ipsumque illud, quod neglecta temporis ratione fieri coepit, consuetudinem vel studium consuetudinis condendae significat. Veruntamen multa atque insignia exemplá sunt, ubi aperte ille mos, si ullus unquam satis certus fuit, violetur. Velut in titulo P. Aelii Coerani, quem Marin. tab. LX exhibet, praecedit consulatus, sequuntur reliqui magistratus, frater Arvalis ponitur extremo loco, etsi vix dubium est, quin Coeranus id sacerdotium acceperit, postquam XXviratum gessit. Similiter in titulo L. Aemilii Cari apud Kellerm. Vig. n. 243 consulatus est antepositus atque exemptus quasi ex ceterorum honorum ordine, at sacerdotia duo quae gessit (fuit autem sodalis Flavialis et XVvir sacris faciundis) post omnes honores extremo loco collocata sunt, quamquam nemo sane ea ab adolescente antequam Xvir stlitibus iudicandis fieret, gesta esse putabit. Idque omnino videtur saepius esse factum, ut sacerdotia, ubi a reliquis honoribus seiungenda esse viderentur, non minus post quam ante ponerentur. Quamquam magna in ea re est varietas neque ullus certus ordo. Ut in lapide C. Caerellii Fufidii apud Orell. n. 2379 sacerdotium est illud quidem antepositum, sed honores ipsi non inverso ordine, ut a superiore ad inferiorem descendatur, sed contra recto recensentur. Maxime autem insignes duo tituli eiusdem hominis apud Marin. inscr. Alb. p. 50, L. Fabii Cilonis. Qui cum in priore consul, comes imp. L. Septimii Severi Pii Pertinacis, sodalis Hadrianalis dicatur ac deinceps reliquorum inferiorum honorum nomina habeat, in altero a consulatu item ad minores magistratus descenditur, sed sodalitatis sacerdotium anté praeturam collocatur. Pauca exempla attuli, cum possem multa, sed hoc tantum agebam, ut nullam talem legem in sacerdotiis enumerandis esse docerem, qualem fuisse constat in consulatu. Omnemque hunc locum eo minus persequi statui, quia ad hunc de quo agimus titulum parum pertinet. Hic enim sacerdotium Arvale eo loco positum esse censeo, quo in cursu honorum acceptum est, post gestam bene praeturam. Eundemque locum obtinet in titulo L. Iulii

Marini apud Marin. act. fr. Arv. tab. LVIII et C. Salvii Liberalis apud Card. diplom. imp. n. 280, ut, quamvis omnia sacerdotia ex beneficio imperatoris penderent neque ulla certa ratione conferrentur, fere solitum hoc fuisse videamus.

Longe autem maiorem difficultatem exhibet proximum munus, quod delatum est ei, cui hic titulus positus est. Id contineri videtur versu 5 et 6 et principio septimi. Nam versum 5 explendum esse IVRID[I]CO PER ITALIA[M RE]GIONIS TRANSPADANAE, facile credent omnes idque adeo apertum, ut argumentatione nulla opus sit; at exeunte vs. 6 quid tandem periit, quod coniungi possit cum duabus litteris, quae versu 7 ante fratrem Arvalem relinquuntur? Versu 6 et 7 aequalem prope fuisse litterarum formam supra diximus, idque etiam inde perspicitur, quod, cum vs. 7 habeat viginti duas litteras, versus 5 ita, ut proposuimus, expletus capit ipsas viginti, unde eum, qui interiectus est, viginti et unam habuisse probabile fit. Efficitur, ut tres supplendae sint. Iam muneris nomen neque est ullum, quod cum duabus, quae servatae sunt, litteris conveniat nec cogitari omnino potest; siquidem consulem nec fuisse nec si fuisset hoc loco potuisse commemorari infra demonstrabimus. Sacerdotium vero posset illud quidem recte hoc loco poni, sed nullum novi, cuius extremae sint litterae MO. Relinquitur, ut sit additamentum aliquod, ei, quod praecedit, muneri adiunctum, nec rursus quicquam poterit inveniri, quod aptius sit quam [PRI]MO, quod idem vs. 8 praetori adiectum esse videmus. Quae cum ita sint, nihil videtur esse dubii, quin is cui hic titulus positus est, primus fuerit iuridicus per Italiam regionis Transpadanae, institutus a M. Aurelio et L. Vero, anno postquam primum praetores tutelares fieri coeperunt.

Verum iuridicorum horum natura ac potestas admodum obscura est, in qua cum omnes intelligerent magnum momentum situm esse ad Italiae administrationem, qualis sub imperatoribus fuerit, cognoscendam, doctissimorum virorum ingenia versata esse non mirum est. Ne enim superiores commemorem, quorum satis magnus est numerus, qui plerumque aliud agentes sententiam suam significabant, ante paucos annos H. E. Dirksenius, cum de scriptoribus historiae Augustae ageret, singulari capite hanc iuridicorum rationem subtiliter sane explicandam suscepit, atque ipsa haec dum scribo, in manus meas pervenit scriptorum gromaticorum a Car. Lachmanno recensitorum volumen alterum, in quo p. 190 sq. Th. Mommsenius praeparans quasi Italiae divisionem, quae saeculo quinto p. Chr. erat, ne iuridicos quidem sibi praetermittendos censuit ac breviter de eorum origine potestateque disseruit. Iam Galliam Transpadanam, quae quia non accensebatur Italiae ad id tempus paruerat praesidi, iure provinciae exolutam esse constat anno 42, cum victis Bruto et Cassio IIIviri reipublicae constituendae totum imperium inter se partirentur, inde a quo tempore aequata reliquae Italiae caruit praesidibus omnique iurisdictione provinciali. Hoc enim

utique conficitur inde, quod et Dio XLVIII, 12 ait Galliam Transpadanam translatam esse *ἐς τὸν τῆς Ἰταλίας νομόν*, et App. bell. civ. V, 3 et 22 semel *αὐτονομίαν*, deinde *ἐλευθερίαν* eius appellat, nec dubitari debet, quin nulli ab eo tempore praesides in Italia, quae iam nominabatur, fuerint. Primum in his ipsis verbis, quae attulimus, satis est testimoniorum, ut omnem provincialem rationem abolitam esse existimemus, deinde quis per imperatorum primorum tempora unquam de legatis aut proconsulibus Italiae audivit? Qui si ulli fuissent, quomodo latere possent in tanta illius aetatis celebritate, quam Tacitus, Suetonius, Dio Cassius accuratissima rerum enarratione illustrant? Porro, cum divisae esse tradantur anno 27 a Chr. provinciae inter Caesarem et senatum, si Gallia Cisalpina ullum habebat praesidem, a quo ille creabatur? Utrum sorte fiebat, quia exercitu carebat, an in una illa omnium Caesaris provinciarum, etsi inermis erat, tamen ab imperatore eligebatur? At qui de provinciarum divisione illa tradunt sane accurate, nullam Italiae partem in iis numerant, neque ullum in ea praesidem commemorant. Quare prorsus extra morem solitum accidit, ut imperator Traianus aliquando unum vel plures Italiae Transpadanae praeficeret, quorum unius memoria superest apud Marin. inscr. Alb. n. 44 p. 54, ubi C. Iulius Proculus dicitur *quaestor Augustorum*, i. e. Nervae et Traiani anno 98 p. Chr., *tribunus legionis IIII Scythicae, ab actis imperatoris Traiani, tribunus plebis, praetor, legatus legionis VI Ferratae, legatus Augusti propraetore regionis Transpadanae.* Eius hanc, de qua agimus, legationem Transpadanam incidere videmus in ipsum tempus alterius belli Dacici, cum imperator metuens, ne qui barbari in Italiam irruerent, et complures colonias in Italia superiore condidit (cf. commentationes nostras epigraph. p. 402) et hunc videtur Iulium Proculum universae regioni Transpadanae imposuisse, ad id exemplum, quo Augustus olim bello imminente colonias Illyricum contingentes libertino milite tutatus erat (Suet. Aug. c. 25). Quare ad temporis modo necessitatem eam Transpadanam legationem institutam esse iudico, non ut perpetua maneret. Sed Hadrianus, cum omnes provincias diligentissima cura amplecteretur, Italiam quoque, si universa sine rectore relinqueretur, minus recte haberi intellexit. Itaque *quattuor consulares per omnem Italiam iudices constituit,* ut ait Spartian. in vita Hadrian. c. 22, de eademque re narrat Capitol. in Ant. Pio c. 2: *Ab Hadriano* (Pius) *inter quattuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partem Italiae regendam, in qua plurimum possidebat, ut Hadrianus viri talis et honori consuleret et quieti.* Hinc et tempus novi instituti et numerus consularium impositorum cognoscitur, denique hoc, in quattuor partes divisam esse Italiam, quibus singuli praeficerentur. Sed illud obscurius, cur *omnem Italiam* dixerit Spartianus. Qui quidem certe non hoc volebat, ut urbem Romam ipsam nomine Italiae complecteretur. Quis enim credet urbem, in qua et imperator et senatus et tot denique magistratus versarentur, praeterea commissam esse consulari viro?

Quod cum nunquam factum sit per totam historiam Romanam, ne in maximis quidem periculorum discriminibus, in pace ab Hadriano institui non potuit. Necesse igitur est, excepta fuerit ex consularium illorum iurisdictione et Roma ipsa et proxima circa eam regio, quae antiquitus urbi accenseri solebat, Spartianus autem eius quo ipse vixit temporis dicendi usum secutus artiore quodam sensu dixerit Italiam, quae distingueretur ab suburbicariis regionibus. Quod si cui dubium sit, etsi non debet esse dubium ac magnopere erravit Mommsenius, qui in disputatione sua de Hadriani consularibus tale aliquid iecerit, confirmatur insigni Appiani loco bell. civ. libr. I, 38, qui ubi narrat de Servilio proconsule, qui initio belli Marsici Asculanam provinciam regebat in eaque occisus est, haec addit: *ἦσαν γὰρ, ὡς ἔοικε, τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἄρχοντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη· ὃ καὶ Ἀδριανὸς ἄρα μιμούμενος ὕστερον χρόνῳ πολλῷ τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν Ῥωμαίοις ἡγούμενος, ἀνεκαίνισε καὶ μετ᾽ αὐτὸν ἐπέμεινεν ἐς βραχύ.* Loquitur non de urbe Roma, sed de reliqua Italia, in qua ut olim veteribus temporibus libertatis proconsules certas quasdam regiones administrare consueverint, item ab Hadriano ait esse praefectos. Unde origo etiam totius rei intelligitur. Hadrianus enim, qui antiquitatis omnis studiosissimus esset, cum Italiam ad rationem reliquarum provinciarum constituere vellet, non dubium est, quin quod olim factum esse invenisset, imitatione ad sua tempora transtulerit neque Appianus quod de imitatione eius dicit, de suo ingenio reppererit. Quamquam erat sane magnum aliquod discrimen. Siquidem Servilius ille aliique eius similes proconsules militari imperio Italiam quae civitate Romana tunc careret rexerant; Hadriano imperante in Italia, quae tota civitatem haberet, militare nullum imperium esse poterat, sed potestas consularium ad easdem tamen res pertinebat, ad respublicas municipiorum regendas et ad ius dicendum, quod cum omni potestate coniunctum esse solebat. Quamquam erat etiam alia quaedam ac propior similitudo, quam Hadrianus potest videri esse secutus. Augustum enim Suetonius in eius vita c. 33 narrat *appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum praefecto delegasse urbis, at provincialium consularibus viris, quos singulos cuiusque provinciae negotiis praeposuisset.* Quid, quaeso, de Italia fiebat? Scilicet haec provinciarum nomine a Suetonio comprehenditur, itemque unum vel plures consulares accipiebat, qui de appellationibus cognoscerent. Veruntamen sic Augusti consulares, praeterquam quod in urbe, non in regionibus ipsis consistebant, hac etiam re diversi sunt ab iis, quos Hadrianus constituit, quod de appellationibus modo cognoscebant. Sed illud rursus simile, quod consulares illi ab Hadriano electi sunt, qui duas res novas invenit, primum quod eos cum antea Romae consistere solerent, in provinciis iam suis versari iussit, deinde quod non de appellationibus modo iudicare, verum omnino praesidum vicibus fungi voluit. Nam quin eligi consuerint ab imperatore accurateque Capitolinus tradiderit de Antonino

Pio, secundum ea, quae paulo post de iuridicis, ad consularium imitationem institutis, disputabuntur, dubitari non potest. Exitus vero consularium illorum apertus est ex iis, quae Appianus tradit, qui cum mansisse eos dicat aliquamdiu post Hadrianum, significat initium M. Aurelii et L. Veri, qui biennio postquam imperare coeperunt, abolitis consularibus iuridicos instituerint. Intercessisse enim aliquam inter consulares illos et hos iuridicos coniunctionem aperte indicat Capitol. M. Aurel. c. 11: *Datis iuridicis Italiae consuluit ad id exemplum, quo Hadrianus consulares viros reddere iura praeceperat.* Neque alia ulla apud historicos fit iuridicorum mentio, si Dionis Cassii locum, quem infra afferemus, excipias; sed hoc tamen docet Capitolinus, similem potestatem fuisse horum iuridicorum ac consularium; hi dicuntur *iudices* constituti esse, illi *ad iura reddenda.* Ac subsidio veniunt primum inscriptiones Latinae, in quibus qui reperiuntur iuridici, collecti sunt prius ab Ed. Böckingio ad Not. dignit. Occid. p. 1175, nunc etiam ab Mommsenio. Inveniuntur igitur in superiore Italia quattuor regionis Transpadanae, nimirum L. Fulvius Gavius, cuius admodum mutilum titulum Campanum edidit Mommsen. in inscr. Neap. n. 3604, quamquam quis ille esset, minus recte videtur finivisse. Certe enim non potest esse is, qui consulatum gessit bis anno 244 et 249, de quo paulo supra dictum est. Nam cum sub Alexandro Severo vel etiam ante eum dicatur iuridicus fuisse, quoniam nullus gradus praetorius supererat, non potuit per decem prope annos consulatum usque ad Philippi imperium differre ac necessario pro alio aliquo, cuius consulatus ignoratur, habendus est. Sed quisquis fuit, quoniam supersunt in eius honoribus haec: *per regionem Tra(nspadanam),* necesse est fuerit iuridicus, etsi non credo veram esse Mommsenii coniecturam sic supplentis: *electo ab op*(timo imp. Severo) *Alexandro Aug. ad* (ius dicendum) *per regionem Tra*(nspadanam). Alter est L. Gabonius Arunculeius *iurid. reg. Transpad.* apud Mur. 704, 6, tertius C. Luxilius Sabinus Egnatius Proculus *iur. reg. Transpad.* apud Orell. n. 3143, quartus denique Simonius Proculus Iulianus *iuridicus per Transpadum* apud Borgh. in explicat. lapid. Gruter. p. 21 (Mem. Acad. Taurinens. Vol. XXXVIII), eiusdem omnes aetatis i. e. incuntis saeculi tertii, antequam Gallienus ad imperium pervenit. Aemiliae et Liguriae commemorantur duo iuridici, unus, cuius nomen periit, apud Mommsen. inscr. Neap. n. 4237 *iuridicus per Aemiliam et Liguriam*, quem, quia consul ordinarius nominatur, intelligimus non potuisse vivere ante Alexandrum Severum (vide Borgh. in Bullett. Inst. arch. 1850 p. 142), sed aliquanto post ac circa Aureliani aetatem vixisse docet, quod *ad corrigendum Italiae statum* dicitur esse electus, alter P. Plotius Romanus *iur. per Aem. Lig.* apud Orell. n. 3044 incertae omnino aetatis est. Tum unus reperitur *iuridicus de infinito per Flam. et Umbriam Picenum* M. Aelius Aurelius Theon apud Orell. n. 3174, qui Gallieni fere tempore vixit, at tres *iuridici per Flaminiam et Umbriam*, C. Sabucius Maior Caecilianus in

Ann. inst. arch. XXI p. 227 ex Commodi aetate, P. Aelius Coeranus apud Marin. act. fr. Arv. p. 779, qui Caracallo imperante vixit, denique C. Cornelius Felix Thrallus apud Orell. n. 3177, incertae aetatis, sed quominus eum iam M. Aurelio imperante vixisse putemus, nihil prohibet. Tum singularis prorsus est Sex. Pedius Hirrutus Lucilius Pollio *iuridic. Pic. et* .... in Bull. inst. arch. 1833 p. 64 (Card. Dipl. imp. n. 620), de quo infra plura dicenda erunt, incertae aetatis; item C. Sallius Aristaenetus, *iurid. per Picenum et Apuliam,* et L. Ragonius Urinatius Larcius Quintianus, quem Mommsenius non recte consulem anno 235 fuisse ait, *iurid. per Apuliam* apud Orell. 2377, et L. Sempronius Celsus *iuridic. per Apuliam et Calabriam* apud Marin. act. fratr. Arv. p. 180; denique M. Caecilius Novatillianus *iuridic. Apul. et Calabr.* apud Mommsen. inscr. Neap. n. 1420, quem post Commodum floruisse intelligo, et Q. Herennius Silvius Maximus *iurid. per Calabr. Lucaniam Brittios* incertae aetatis, apud eundem Mommsen. n. 1851. In his Italiae regionibus taceri Tusciam et Campaniam, quae et proxime ad urbem Romam et fertilissimae ac frequentissimae imperii sunt, sane est memorabile neque casu id videtur accidisse. Distinguuntur enim in fragmentis Vaticanis regiones quae sub iuridicis sunt, a dioecesi urbica, primum §. 205, ubi haec sunt: *Proinde, si quis ad urbicam dioecesim pertinens (testamento tutor designatur), excusare se debebit ab eo patrimonio, quod in regio(nibus iuridicorum situm est, multo magis) a re provinciali;* deinde §. 232: *Observari autem oportet, ne his pupillis tutorem det, qui patrimonia in his regionibus habent, quae sunt sub iuridicis, ut Cl. Pompeiano praetori imperator noster rescripsit, multo magis, si in provincia sit patrimonium, licet is cui petitur in urbe consistat,* denique § 241 *debet excusari, si quis patrimonium in ea regione, quam iuridicus administrat, habet.* Erat igitur dioecesis aliqua urbica exempta a iurisdictione iuridicorum. Sed quaeritur quatenus ea patuerit. Ambigi enim video inter centesimum lapidem, quem praefecti urbis potestatis finem fuisse constat (Dio Cass. LII, 21 et Dig. de off. praef. urb. I, 12 § 4) et ducentesimum, qui commemoratur in fragmentis Vatic. § 147. Sed hunc locum sive recte scriptus invenitur in codice Vaticano, sive emendandus est secundum Dig. de excus. (XXVII, 1) 21, 3, prorsus assentior Dirksenio l. l. p. 104 nihil conferre ad dioecesim urbicam cognoscendam. Ac ducentesimus lapis cum nulla alia re confirmetur, tum refutatur eo, quod infra intelligemus Anconam fuisse in regione iuridico subiecta, quod oppidum intra ducentesimum ab urbe lapidem fuisse constat. Quare sic utique statuemus, urbicam dioecesim iisdem finibus fuisse circumscriptam, quibus praefectus urbi continebatur, idque non tunc primum a M. Aurelio, cum iuridicos faceret, aut ab Hadriano, qui consulares viros Italiae praeficiebat, sed fortasse iam Augusto imperante paulatim introductum esse censeo, a quo appellationibus etiam Italiae aliqua ratione consultum esse diximus. Sed excepta hac urbica dioecesi quas putamus fuesis

regiones, quibus praeerant iuridici? Mire enim atque ita ut vix intelligi possit Mommsenius negat certas regiones iuridicis esse tributas, sed pro tempore modo huic modo illi regioni esse praefectos ex inscriptionibus videtur sibi posse colligere. Quasi vero omnes iuridicorum tituli sint eiusdem temporis nec fieri potuerit, quod solebat paulatim in reliquis provinciis accidere, ut quae sub M. Aurelio ampliores fuerant regiones, eas posteriores imperatores dividerent in plures. Accedit, quod in nominibus regionum factum esse videtur idem atque in plurimis honorum titulis, ut proprie essent longiores, sed saepe in artius contraherentur, velut eos, qui proprie erant IIviri iuri dicundo, constat saepe esse appellatos IIviros, qui proprie IIviri quinquennales, saepe quinquennales, similiaque multa observantur. Certas igitur semper iuridicis regiones commissas esse statuimus, sed non easdem ab omnibus imperatoribus. Nam iuridicos regionis Transpadanae et Aemiliae Liguriaeque non eodem tempore esse potuisse apparet. Siquidem Liguria cum appellata sit postea regio proxime Venetiam sita, cuius caput esset Mediolanum (vide Boecking ad Not. dign. Occid. p 442), eamque iam tunc eodem nomine vocari consuevisse sit probabile, quid relinquetur regionis Transpadanae? Nimirum Venetia et Istria, cuius iuridicus nec notus est nec certe potuit institui iam ab M. Aurelio, qui ampliores provincias singulis regendas traderet. Denique ne nominis quidem ipsius ulla probabilis ratio reddi possit. At recte omnia intelligentur, si ab M. Aurelio statuemus omnem Italiam, quatenus trans Padum sita erat, uni iuridico traditam, postea imperante fere Philippo (nam C. Luxilium Sabinum iuridicum regionis Transpadanae, quem supra attulimus, Gordiani aetate vixisse certum est) eam, quia nimis magna videretur, divisam in Venetiam Istriamque, cuius nullus iuridicus ex inscriptionibus notus est, et Liguriam, cui Aemilia adiiceretur. Quae autem diversitas invenitur inter *iuridicum per Flaminiam et Umbriam Picenum* et alterum *per Flaminiam et Umbriam,* ea in nomine solo posita est. Quia enim Umbriae adiecta erat pars veteris Piceni, qui brevius loqueretur, Umbriam modo nominabat, qui pluribus verbis delectaretur (atque in titulo M. Aelii Theonis iuridici per Flaminiam et Umbriam Picenum inveniri etiam aliam quandam verborum redundantiam infra exponemus), Umbriam Picenum dicebat. Itemque iudico de reliquorum iuridicorum nominibus. Nam ex eo, quod L. Rugonius vocatur iuridicus per Apuliam, non licet colligi, ei non paruisse partem et Piceni et Calabriae. Valeriam vero, quam Mommsenius de coniectura infert in titulum Sex. Pedii, qui supra citatus est, nullam omnino iuridicorum provinciam fuisse video, quia ea regio, quae postea eo nomine appellabatur, cuius caput erat Reate (vide Boecking. l. l. p. 438) prope dioecesi urbica comprehendebatur, quare in illa inscriptione scribendum esse opinor *Picen. et Apul.* Efficitur, ut a M. Aurelio numerum praesidum, quem Hadrianus instituerat, non auctum esse censeam, sed quattuor creatos iuridicos, primum regionis Trans-

padanae, alterum Flaminiae et Umbriae, tertium Apuliae, quartum Lucaniae Bruttiorumque, iique constiterunt usque ad tempora Philipporum, cum unus vel duo adiecti sunt, quae singillatim persequi propter auctorum inopiam non licet. Illud autem in hoc genere addendum, in ea provincia, quae Picenum Apulia vocaretur, fuisse Asculum et Anconam ex titulis C. Sallii Aristaeneti, quos citavimus, intelligi Ariminumque in provincia Flaminia et Umbria ex titulo C. Cornelii Felicis Thralli; Beneventum denique fuisse in iuridicatu Apuliae et Calabriae videri posse colligi ex M. Caecilii Novatilliani inscriptione apud Momms. inscr. Neap. n. 1420.

Veruntamen, si numerum praesidum retinuit M. Aurelius eundem, quem institueral Hadrianus, si item urbica quaedam dioecesis iam fuerat antea, quid tandem est, quod mutarit ille, ut propterea hoc eius institutum omnino apud scriptores commemoretur? Nimirum praetorios viros esse iussit, qui fuerant consulares. Etenim hoc et ex reliquis inscriptionibus, quas citavimus, omnibus et ex hac ipsa, de qua agimus, perspicue intelligitur. Potestas quidem iuridicorum quae fuerit, admodum inter viros doctos ambigitur. Dirksenius enim in disputatione, quam citavimus, p. 94 paruisse eos censet praefecto praetorio, sed ita, ut ipsi de privatis modo causis iudicarent, cum consulares illos Hadrianianos putet de omnibus omnino appellationibus statuisse. Levius aliquanto existimat, qui nuperrime de hac re scripsit Mommsenius. Urbicam enim dioecesim negat debere commutari cum centesimo lapide, intra quem praefecti urbis potestas contineatur; illam fuisse praetorum Romanorum propriam, qui Romae, in Tuscia, in Campania idem ius habuissent ac iuridici in reliqua Italia. Horum igitur iuridicorum potestatem fuisse fere similem praetoribus; ut Romae tutelis et fideicommissis peculiares praetores essent destinati, ita iuridicos imprimis de tutelis et fideicommissis iudicasse. Ac sane Scaevola in Dig. XL, 5 (de fideic.), 41, 5 et Ulpianus in fragmentis Vaticanis, quae citata sunt, haec sola iudicia commemorant. Verum quaeritur, num nihil praeter haec curarint; nam provinciarum praesides certe item de tutelis ac fideicommissis iudicabant, sed praeterea plurimas alias res administrabant. Equidem, ut iuridicorum potestas inveniatur, primum consideranda esse puto, quae Dio Cass. LII, 22 habet in celebri Maecenatis oratione, qua Dio universam imperii rationem persequitur neque ea modo consilia dat, quae Augustus ipse secutus est, sed omnino omnia, quae ad suum usque tempus i. e. ad Alexandrum Severum ad rem Romanam stabiliendam ac constituendam facta sunt, comprehendit. Ille igitur sic scribit: *Ὧδε γὰρ συμβουλεύω σοι διατάξαι· τήν τε Ἰταλίαν πᾶσαν τὴν ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους οὖσαν, καὶ τἆλλα πάντα τά τε ἐν ταῖς νήσοις καὶ τὰ ἐν ταῖς ἠπείροις ὁμολογοῦντα ἡμῖν κατάνειμον ἑκασταχόθι κατά τε γένη καὶ ἔθνη, τὰς πόλεις ἁπάσας ὅσας γε καὶ αὔταρκές ἐστιν ὑφ' ἑνὸς ἀνδρὸς αὐτοτελοῦς ἄρχεσθαι.* Vult igitur Italiam

ipsam extra eam, quam supra diximus fuisse urbicam dioecesim, eadem prorsus ratione dividi ac regi, qua reliquae provinciae regerentur, quod ne cui mirum videretur, extremo capite haec addit: *Καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ καὶ τὴν Ἰταλίαν εἰς τοιαῦτα μέρη νεῖμαί σοι παραινῶ. πολλή τε γὰρ καὶ πολυάνθρωπος οὖσα ἀδύνατός ἐστιν ὑπὸ τῶν ἐν τῷ ἄστει ἀρχόντων καλῶς διοικεῖσθαι· δεῖ γὰρ τοῖς τε δήμοις τὸν ἄρχοντα ἀεὶ παρεῖναι, καὶ τοῖς ἀρχομένοις τὰ δυνατὰ προστάσσεσθαι.* Iam haec Italiae divisio nondum erat ulla Augusto imperante, sed erat Alexandro, cum iuridici ei praeessent, quos prorsus ad similitudinem praesidum reliquorum praefectos esse regionibus nonne hinc manifestum est? Accedit testimonium tituli, quem supra citavimus, C. Cornelii Felicis Thralli, quo praedicatur *iuridicatus eius ob eximiam moderationem et in sterilitate annonae laboriosam erga ipsos fidem et industriam, ut et civibus annona superesset et vicinis civitatibus subveniretur,* unde nonne apparet, non modo iuri dicundo, a quo habent nomen, iuridicos operam dedisse, verum omni administrationi? Quare videntur ab eo munere, quod honorificentissimum existimaretur, esse nominati, non ab eo, quod solum gererent, veluti municipales IIviros iuri dicundo dictos esse constat, quamvis universas municipiorum respublicas administrarent. Quae cum ita sint, iam adiiciemus aliam causam, ex qua plane confirmetur, quod modo testimoniis Dionis et inscriptionis effectum est. Etenim Frontonis epistolarum ad amicos libri II undecima scripta est ad Arrium Antoninum M. Aurelio et L. Vero imperantibus (commemorantur enim in ea § 13 *imperatores nostri*) de causa Volumnii Sereni cuiusdam Concordiensis. Causam ipsam infra paulo plenius commemorabimus, nunc hoc quaeritur, quae urbs Concordia dicatur. Est enim etiam in Hispania Baetica Hispalensis conventus, quam Nertobrigam Concordiam Iuliam appellari ait Plin. nat. hist. III, 3, 14, nec Concordienses, quos Plin. IV, 35, 118 in Lusitania recenset, diversi ab illis videntur esse. Sed huius oppidi incolae Nertobrigenses vulgo appellabantur et stipendiarii a Plinio dicuntur, ut imperante M. Aurelio nondum civitatem Romanam ac rempublicam tanta cura administratam habuisse videantur, quam prodit haec Volumnii causa. Nec si quis Concordiensem modo tunc nominaret, quisquam intelligere poterat nisi civem ex notissima illa Italiae colonia, quae condita ab Augusto et opibus et hominum frequentia floruit. Denique Volumnii Sereni illius filius videtur esse iuvenis Volumnius Quadratus, ad quem Fronto duas epistolas scripsit, quem etiam libr. II, 5 Arrio Antonino commendat, unde Italum potius quam Hispanum et ex nobili civitate neque ipsum ignobilem fuisse coniiciemus. Iam sic orditur Fronto, sicut eos, qui dicta factaque Arrii in administranda provincia maximis laudibus ferant, laetus audiat, ita se, si quis quid remurmuret, multo scrupulosius auscultare et quo quidque modo gesserit aut iudicarit, requirere. Tum ad causam ipsam accedit, quae est de decurionatu Volumnii. Fuerat is scriba et decurio Concordiae per quinque et qua-

draginta annos, tum ob delictum aliquod relegatus, ubi rediit, delatus est ab inimicis, qui negabant eum posse admitti in curiam nisi edicto principis, propterea quod nondum omnibus pensionibus, quas inferre oportet decuriones, solutis ante exilium non fuisset decurio. Res pervenit ad Arrium Antoninum, provinciae praesidem, qui prohibebat eum curia, dum aut docuisset, se ante exilium fuisse decurionem, aut veniam intrandae curiae a principe accepisset. Hoc decretum rescindi vult Fronto; nam Volumnium et muneribus honoribusque decurionatus dudum functum esse, et extrema esse senectute, ut omnis ei mora intolerabilis esset, et periclitari denique cum eo filios nepotesque, qui iniuria ab debito sibi honore arcerentur. In his multa sunt, quae ad nostram disputationem pertineant. Nam Concordia, quae in decima regione Italiae recenseatur a Plin. III, 22, 126, cum M. Aurelio imperante dicitur praesidi provinciae paruisse, certe hic intelligi non poterit nisi iuridicus, et quidem regionis Transpadanae, non Venetiae et Istriae, qui nusquam commemoratur. At hoc ipsum molestum, quod provincia Arrii Antonini a Frontone appellatur. Ac datum sane sit honori veterique iuri Italiae, ut publice non provinciae eius tunc appellarentur, sed regiones, in quo vocabulo nulla servitutis inerat significatio; privatim certe poterat dici etiam provincia, quippe quam vocem de omni munere omnique administratione usurpari constet. Certum igitur sit, Arrium Antoninum cum causam Volumnii cognosceret, fuisse iuridicum, ac si fuit, etiam hoc demonstratur, iuridicos non modo, unde nomen habent, ius dixisse, verum omnia munera, quae provinciarum praesides obibant, explevisse.

Maxime vero, ut omnem iuridicorum potestatem ad ius dicendum referrent, viros doctos movit insignis locus Dionis Cassii libr. LXXVIII, 22, variis vel coniecturis vel emendationibus vexatus atque ita corruptus, ut nisi diligenter ipsa codicum lectio denuo investigetur, restitui non posse videatur. Nam Mommsenii opinionem (in gromat. veter. T. II p. 195) vix morabimur, qui mirum sibi videri ait, quod viri docti locum illum omnino obscurum esse existimarint. Nimirum paulo levius videtur iudicare, ac rem, tamquam facilem, contemnere, qui si locum illum inspexit, certe nec quae antecedunt nee quae sequuntur, consideravit. Loquitur igitur Dio de hominum illustrium vicissitudinibus, quae Caracallo interempto Macrinoque ad imperium evecto acciderunt; capite vicesimo uno narrarat de poenis delatorum, inter quos fuerat etiam Manilius quidam, in insulam deportatus a senatu; tunc praemia aliorum exequens haec habet: *Καὶ ὁ Φλάκκος τὴν τῶν τροφῶν διάδοσιν, ἣν ὁ Μανίλιος* (ille, qui modo damnatus erat) *πρότερον ἔσχε, τῆς κατ' αὐτοῦ συκοφαντίας γέρας εἰληφὼς* (codices *εἰλήφει* habent, sed participium recte videtur Reimarus emendasse), *ἐπετράπη καὶ αὐτὴν· καὶ μετὰ τοῦτο τό τε διαδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγούντων πάνυ θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων, δικαιονόμοι οἱ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσαντο, ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δικάζοντες.* Haec, qualia leguntur in

veteribus editionibus, sententia omni cum careant, alius aliam viam interpretandi atque explicandi ingressus est. Mihi quidem fateor maxime probabilem videri veterem Reimari rationem, quamvis iuridicorum potestatem parum perspectam esse videam. Primum enim quaero, quam occasionem habuerit Dio de iuridicis dicendi. De praemiis eorum narrat, qui a Caracallo iniuria affecti erant, in quorum numero cum esset praefectus annonae, fieri poterat, ut de distributione frumenti et olei aliquid quasi aliud agens adiiceret, ut de omni iuridicorum potestate vel sublata vel amplificata diceret, fieri non poterat. Quod autem excusandi causa afferunt, non Dionem ipsum hoc loco legi, sed Xiphilini excerpta, in iisque inconcinnitatem talem ferendam esse putant, intelligo sane, quantum Xiphilino tribuendum sit alibi, sed tamen et ipsum hunc locum reliquum de poenis et praemiis virorum illustrium optime cohaerere video et Xiphilinum quamvis in artius contraheret quae pleniora erant apud Dionem, ne invenire quidem quicquam de iuridicorum potestate, quae prorsus aliena esset, potuisse censeo. Praeterea hoc observandum, si verba illa *δικαιονόμοι — δικάζοντες* ex reliquis quasi eximantur ac pro peculiari aliqua sententia accipiantur, ea quae antecedunt, relinqui misere lacera, ut intelligi nequeant. Veruntamen constent per se sola illa, quae ad iuridicos pertinere putantur, quae tandem sententia efficitur? Duplicem enim interpretandi viam iniri video, unam in Dionis editione Sturziana, ubi sic prorsus emendatur, quasi a Macrino omnis iuridicorum potestas totumque eorum nomen sublatum sit. Quod falsum esse evincit aperte titulus M. Aelii Aurelii Theonis, qui supra citatus est, quem post id tempus positum esse constat. Relinquitur altera via, quam ingressi praeter alios Dirksenius et Mommsenius statuunt, imminutam a Macrino esse iuridicorum potestatem. Coniungunt enim sic: *δικαιονόμοι οἱ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσαντο ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δικάζοντες*, desisse eos iudicare supra summam pecuniae a M. Aurelio constitutam. Sed quis ita dicat, non modo Latine, verum ulla lingua? Certe is nominandus erat, qui iis potestatem supra illam summam iudicandi dedisset, dein addendum, hanc ab iis potestatem rursus ablatam. Neque enim hercle serio statuent, rempublicam Romanam ita tunc fuisse constitutam, ut iuridici cum per leges non liceret egredi certam aliquam summam, egressi eam sint suo ipsorum arbitrio, qualem fere sententiam Dioni subiicit Sturzius, ita Latine vertens, iuridicos desisse Italiam administrare, quia leges a Marco positas excessissent. Tum sane non potestas eorum tota tollenda, sed ipsi puniendi erant. Nec minus a recta ratione abhorret, si dicantur desisse iudicare ultra summam a Marco praescriptam. Quare ne haec quidem sententia, quam illi perditis reliquis efficiunt, quamvis per linguae leges possit inesse in verbis, per se ipsa ulla aut est aut esse potest. Accedit, quod, qui imminutam putant a Macrino iuridicorum potestatem, eandem statuere debent rursus postea amplificatam, propterea quod post Macrini tempora iuri-

dicus de infinito commemoratur, idque sine ulla alia auctoritate facturi sint. Denique, cum iuridicos prorsus ad eandem rationem viderimus Italiae regionibus praefuisse, qua reliqui rectores suis praeerant provinciis, aut omnes existimare debebimus provinciarum praesides a Macrino esse intra artiores fines cohibitos aut Italiae iuridici cur soli coërciti sint, causam vix ullam reperiemus, quos propter eam ipsam rem, quia in Italia capite imperii versabantur, si ullum eiusmodi discrimen utique statuendum sit, maiore fuisse potestate putabimus. Sed Dio si non dicit de potestate iuridicorum, quid tandem dicit? Nimirum aliquid, quod ad largitionem frumentariam pertineat. Etenim ut Romae ludis frumentum et oleum publice dividebatur, item per municipia Italiae paulatim morem hunc irrepsisse puto, ut cum ludis largitiones quaedam frumentariae coniungerentur, qua de re praecepisse M. Aurelium sane probabile est, quippe quem Capitolinus c. 11 narret *cavisse sumptibus publicis* et *de alimentis publicis multa prudenter invenisse* et *omni rei frumentariae graviter providisse.* Nonne igitur tunc fieri poterat, ut et Romae nimiae largitiones frumentariae vetarentur et iuridici, qui per Italiam erant, easdem per municipia fieri prohiberent, quia iudicabant eas egredi modum a Marco constitutum? Hoc quidem mihi certum videtur extrema illa *ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δικάζοντες,* sive infinitivus *εἶναι* alicubi addendus, sive ex medio *ἐπαύσαντο*, quod antecedit, emendato activo *ἔπαυσαν* pronomen *τοῦτο* adiiciendum est, eo pertinere, quod iuridici iudicarint, quae fieri solerent in municipiis, supra modum a Marco constitutum fieri. Atque hoc quomodo paulatim invaserit, sane intelligitur, cum contra Marci praescriptum mala paulatim ambitione frumentariae largitiones usurparentur ac solitae fierent. Quamquam hanc universam horum verborum Dionis sententiam cum esse intelligam, ipsa restituere non audeo, nec puto posse restitui, nisi quis ab iis quae tradita sunt, ita discedat, ut non legem aliquam criticam, sed arbitrium suum sequi videatur. Illud certum, non agi de iuridicorum aut abolitione, qui fuerunt etiam postea, aut imminutione, quae nec recte cogitari neque in iis, quae supersunt, verbis ullo modo significari potest neque denique secundum certa quaedam testimonia videtur ulla fuisse.

Veruntamen, amoto illo Dionis loco, quem nisi quis ad confirmandam illam de iuridicorum potestate opinionem, quam supra exposuimus, adhibere volet, nihil prorsus ad eorum potestatem definiendam pertinere diximus, quid faciemus titulo M. Aelii Aurelii Theonis apud Orell. n. 3174, qui iam a nobis citatus est, in quo est *iuridicus de infinito per Flaminiam et Umbriam Picenum?* Eum equidem dupliciter intelligi posse video, primum ita, ut omnes adhuc interpretati sunt, qui potestatem de infinito iudicandi, qua Theon usus est, negant fuisse apud reliquos, qui iuridici modo appellantur eaque ipsa de causa illud quod est de infinito esse adiectum. Sed eadem ratione, qua supra diximus magistratuum nomina

modo esse longiora modo in brevius contrahi, potest etiam ita explicari, ut non maiorem potestatem habuerit Theon, sed quod reliqui cum modestia quadam tacuerint, id ipse apposuerit. Atque hanc rationem sequendam esse sine dubio arbitror, eam maxime ob causam, quam paulo ante significavi, quod nusquam per imperatorum Romanorum historiam praesidum potestatem auctam esse video. Cum enim quamdiu libera fuit respublica, ingentes fuissent provinciae, eorumque potestas qui praeerant adeo nullis finibus circumscripta, ut ne si deliquissent quidem, facile punirentur, imperium paulatim imminuit provincias, quo iustius et diligentius possent administrari, neque unquam quae semel disiunctae erant, eas denuo sub unius rectoris imperium coniunctas esse invenimus, deinde leges severiores et sanxit et diligenter observavit, ut, si qui peccassent, celeriter ac sine magna sociorum molestia poenas darent, denique altera provinciarum parte principibus prorsus tradita effectum est, ut non harum modo rectores, qui legatorum tantum vicibus fungerentur, etiam in parvis rebus imperatorem adirent eiusque iudicium sequerentur, sed senatus etiam, iam non tot aliis negotiis districtus, diligentius in altera provinciarum parte quid gereretur cognosceret. Quare saepe accidisse censeo, ut quae res olim rectorum arbitrio relictae essent, eae aut ad imperatorem aut ad senatum deferrentur, quarum rerum memoria intercidit; illud credere nequeo unquam factum esse, ut, si quo ab imperatore imminuta esset rectorum potestas, ea ab alio denuo augeretur. Est enim contra ingenium reipublicae, qualis sub imperatoribus erat, quod qui periti sunt in hoc genere, intelligent multum valere ad eas res, quarum memoria vel nulla vel exigua relicta est, cognoscendas.

Quae cum ita sint, qualis iuridicorum potestas instituta est ab M. Aurelio, talem mansisse intelligo usque ad eorum interitum neque imminutam neque auctam. Sed illud imprimis quaeritur, a quo facti sint. Etenim etsi tanta tunc erat imperatoria potentia, ut senatus neminem faceret nisi quem probasset princeps, confert tamen aliquid ad rempublicam intelligendam cognoscere, quis non modo re ac vere, sed quis iure etiam facere consuerit. Iam citavimus supra inscriptionem veterem repertam prope viam Tiburtinam Sex. Pedii Sex. f. Arn. Hirruti Lucilii Pollionis, qui sic appellatur *cos. praef. aer. militar.* IIQ AVG IVRIDIC PICENET || . VAL . . . PR . . . . ., in qua diximus pro eo, quod in exitu intelligi nequit, legendum videri *Apuliae.* Sed hoc levius, et quomodocunque explebitur, minus valet ad iuridicorum naturam cognoscendam. Illud multo est gravius, quid sit illud, quod inepte legitur IIQ AVG, quod verum esse negavit Borghesius in commentariolo, quem inscriptioni adiecit in Bullett. inst. arch. ann. 1833 p. 65 sq. Quo enim, quaeso, pertinebit illud II, i. e. *iterum,* cum neminem bis aerario Saturni vel aerario militari praefuisse constet? Atque etiamsi illud ferri posset, quod non potest, quid erit Q. AVG.? cum appareat honores Sex. Pedii ita perscribi, ut a maiore descendatur ad inferiorem, neque quaestor Augusti

aut iuridicum, qui praetorii ordinis est, aut praetorem ipsum antecedere possit. Quare cum emendandum sit, duas rationes proponit Borghesius. Prior est, ut scribatur SOD. AVG, i. e. *sodalis Augustalis*, sed minus id ipse probat, quod et nimis recedat ab litteris traditis et raro fieri putet, ut sacerdotia collocentur in mediis reliquis honoribus. Quorum alterum hoc etsi minus rarum esse ante docuimus, quam putat, illud tamen merito tantum valebit, ut SOD. AVG. in lapide fuisse vix probabile sit. Longe igitur similius vero est alterum, quod Borghesius coniecit, nimirum ut emendaretur LEG. AVG. Quotiens enim in lapidibus fit, ut detritis lineolis transversis, quod est L aut E, legatur I? Littera autem G, qualis Antoniniana aetate scribitur, quia deduci solet infra versus ordinem, si exigua pars orbiculi accedere visa sit, facile accipi potest pro simillima littera Q. Quare cum ipsa litterarum similitudine magnopere commendetur coniectura Borghesiana, difficile tamen dictu est, quomodo iam legatus Augusti intelligendus sit. Neque enim per se potest explicari, quia cum tot legatos ad multas res habeant Augusti, imperatorum tempore nunquam omittitur, ad quam quisque rem ab imperatore legatus sit. Nam in libera republica si eius solius nomen adderetur, cui quis esset legatus, ferrem facile, similiter ac pro praetore et pro consule dici invenimus omissis provinciarum nominibus (vide Borghes. in diurn. Arcad. ann. 1824, 4 p. 311 et saepe alibi), sed imperatorum aetate non magis potest quisquam appellari legatus Augusti, quam praefectus, nisi, cui rei vel legatus vel praefectus fuerit, adiiciatur. Itaque ipse Borghesius, dubitanter ille quidem, sed iudicat tamen coniungenda esse LEG. AVG. IVRIDIC, ut plenum nomen fuisse statuat *legatus Augusti iuri dicundo*. In quo ille non debebat aut dubitare aut oculorum confirmationem, quae ad coniiciendi rationes accederet, desiderare. Citavimus enim iam inscriptionem apud Orell. n. 3174, in qua sic est: *M. Aelio Aurelio Theoni Aug. iuridico de infinito per Flam. et Umbriam Picenum sodali Hadrianali praetori* positusque est titulus ob singularem abstinentiam industriamque in iuridicatu exhibitam. In qua quid est, quod ab honorum principio legitur AVG? Possit cogitari de augure, sed accipi id prorsus nequit propterea quod et duo sacerdotia in praetorio homine, qualis Theon fuit, nimia fuisse post docebimus et titulus positus est, dum iuridicatu fungitur Theon ideoque eum honorem, ad quem refertur, utique aut ab ipso initio aut in exitu collocari oportet. Nihil igitur relinquetur, nisi ut Augusti interpretemur, unde efficietur, ut Theon appelletur *Augusti iuridicus de infinito per Flaminiam* cet., a quo quantulum distat legatus Augusti iuridicus? Nam si imperatores eligebant, qui iuri dicundo per Italiae regiones praeessent, certe ad similitudinem reliquorum praesidum legati et existimabantur et aliquando nominabantur. Deprehendimus igitur certe Augusti iuridicum ex aetate fere Gallieni; nam eidem Theoni cum sit positus alius titulus apud Orell. n. 3392 a centurionibus legionis III Cyrenaicae Valerianae Gallienae (cf. Borghes. in

Actis Academ. Taur. Vol. XXXVIII p. 22), vix dubium est, quin sub Gallieno iuridicus per Italiam fuerit. Tenemus etiam cum summa probabilitate legatum Augusti iuridicum ex aetate fere M. Aurelii; nam Sex. Pedius Hirrutus, sive est Ictus ille, cuius saepe in Digestis libri de edicto citantur, sive eius filius (nam hoc nisi longa de aetate multorum Ictorum disputatione decerni non potest), certe non multo infra M. Aurelium potest reiici. De medio igitur, quod tanto spatio interiectum est, tempore non aliter iudicare poterimus. De hac autem, de qua omnis disputatio nostra instituta est, inscriptione quid censebimus? Ante versum 5, quo iuridicus incipit, vacuum relictum est spatium, quod quomodo explendum sit quaeritur. Ac cum inde a versu septimo ad quartum, ubi aequales fere ab eo qui lapidem vidit traduntur esse litterae, hanc rationem observari videamus, ut septimus versus sit litterarum viginti et duarum, sextus viginti et unius, quintus viginti ipsarum, probabile fit, in quarto fuisse undeviginti. Iam undecim sunt traditae, duae certissima coniectura supplentur, ut supersint sex, de quibus dubitari possit. Quis igitur deest honos, qui sex litteris efficiatur? Potest provinciae alicuius administratio commemorata esse videri vel senatoriae vel imperatoriae, sed necessario id longius spatium postulat quam vacuum est. Ex honoribus autem, qui proprie appellantur, unus reliquus est consulatus, qui nondum commemoratus sit, neque eum esse in hoc titulo commemoratum apertissime infra docebimus. Relinquuntur sacerdotia, quibus ornatus fuerit hic adhuc *ἀνώνυμος*. Ac possit suppleri vel SOD. AVG, i. e. *sodali Augustali,* vel AVGVRI vel etiam PONTIF., reliquorum enim sacerdotiorum nomina spatio vacuo non continentur. Neque sacerdotium non possit ferri inter medios reliquos honores, cum etiam vs. 7 fratrem Arvalem ante praeturam in hac ipsa inscriptione commemorari videam. Verum, ne alia, quae leviora esse concedo, afferam, nescio quomodo hoc loco tale sacerdotium poni non placet. Omnino enim privati homines sub imperatoribus non saepe plus quam unum sacerdotium accipiebant, nec fere plus quam tria, velut Galbae antequam imperavit Sueton c. 8 narrat quasi singulare aliquod beneficium ob res in Africa et in Germania gestas sacerdotium triplex esse collatum, ut inter XVviros et sodales Titios, item Augustales cooptaretur, totidemque habuit Claudius Caesar, quamdiu privatus fuit. Vide Marin. act. fratr. Arv. p. 707. Salios Palatinos constat omnes fuisse nobiles adolescentes, cooptatos antequam honores maiores adipiscerentur, ut consulatu accepto adeo ex collegio eos exisse discamus ex eorum fastis, qui sunt apud Marin. act. fratr. Arv. p. 166. Quare, qui id sacerdotium adolescens acceperat, certe aliud assequebatur ad consulatum evectus. Tacitus historicus unum modo sacerdotium videtur habuisse, XVviratum, quo ornatum se esse ait ante quaesturam (Ann. XI, 11), qui si aliud postea assecutus est, certe non ante consulatum. Q. Petronius Melior apud Cardin. Dipl. Imp. n. 592 sodalis Augustalis factus est ante quaesturam, sed nullum

aliud sacerdotium accepit, quamquam ad summos honores consulatumque pervenit. Plinius iunior unum omnino sacerdotium habuit; nam in Epist. X, 8 petit a Traiano, ut sibi vel auguratum vel septemviratum det, cum iam consulatu ornatus provinciae praeesset, ac de auguratu, quem accepit, Epist. IV, 8 ita prorsus loquitur, ut se propter unum illud sacerdotium beatum esse praedicet. Ac plerumque ita videtur accidisse, ut consulares viri in maiora sacerdotia cooptarentur. Plane enim ita loquitur Seneca de ira III, 31 *Dedit mihi praeturam? sed consulatum speraveram. Dedit duodecim fasces? sed non fecit ordinarium consulem. A me numerari voluit annum? sed deest mihi ad sacerdotium. Cooptatus in collegium sum? sed cur in unum? Consummavit dignitatem meam? sed patrimonio nihil contulit.* Sacerdotium hic sequitur consulatum et duobus sacerdotiis consummata esse putatur omnis dignitas. Quare hic cum vel in praetura vel statim post eam in collegium fratrum Arvalium cooptatus esset, non videtur ante consulatum uno modo eoque non difficili munere interim gesto aliud rursus sacerdotium accepisse, quem quod tam iuvenis sacerdotio ornatus est, vel nobilitate vel novo munere strenue administrato merere oportuisse censeo. Si autem sacerdotii alicuius nomen non recte potest suppleri spatio vacuo, nescio hercle, quid perisse putemus, nisi illud, quod in Sex. Pedii titulo praemitti videmus iuridico et quod apud Theonem certe significatur, nimirum LEG. AVGG, vel, quoniam eae septem litterae sunt, LEGATO, quod etiam propterea magis commendetur, quia ab principio huius tituli omnia vocabula plene scribi, non omissis postremis litteris notarum quadam ratione significari modo videmus. Quamquam hoc, quod de more huius inscriptionis dixi, non multum valet, nec aegre feram, si quis in usitatissimis legati et Augustorum vocabulis item postremas litteras omissas esse statuat, ut vs. 10 AEDIL CVRVL et postea TVRMAR et LEG scriptum est. Quod si cui videatur, malim tamen LEG. AVG. scribi quam LEG. AVGG, quoniam etiam vs. 9 legitur *sanctissimis* IMP, dubitarique potest, an eo tempore, quo primum duo Augusti reipublicae praeesse coeperunt, duplicandarum litterarum consuetudo minus in usu fuerit. Nam quod Marinius in act. fratr. Arv. p. 545 iam ante M. Aurelii aetatem id usu venisse putat, id in aliis fortasse vocabulis acciderit, non in eo, cuius plurali numero usurpandi tunc primum occasio data est. Certe notabilis videtur res et longiore fortasse quaestione digna. Quae cum ita sint, supplendum videtur esse vs. 4 LEG. AVG., sed etiamsi quis melius aliquid inveniat, hoc efficiatur, quod maxime quaesivimus, ut iuridici creari consueverint ab ipsis imperatoribus, idque etiam ex ipsa eorum origine, quam supra explicavimus, probabile fit. Quodsi fiebant ab principibus, sequitur etiam, ut ad exemplum reliquorum legatorum, qui in provincias imperatorias mittebantur, non necessario fuerint annui, sed quamdiu imperatori placuisset, provinciis suis functi sint.

Denique ex hoc titulo cognoscitur, sollemne quasi ac plenum horum iuridicorum nomen fuisse *legati Augusti iuridici* (nam sic, non *iuri dicundo* ab ipso initio esse appellatos et haec inscriptio et Ictorum loci, qui supra citati sunt, demonstrant) *per Italiam regionis huius* vel *illius*. In reliquis inscriptionibus provincia, cui quisque praeest, plerumque praepositione *per* adiungitur, rarius genitivo. Atque hoc quidem videtur vetusto iuri Italiae, quae non esset provincia, nec tamquam talis propria quasi existimaretur rectoris, esse tributum, sed illud cur omnino additur *per Italiam?* Num quid iuris erat his iuridicis etiam praeter eas, quas regerent regiones, in reliqua Italia? Non videtur, sed similitudinem tamen quandam invenio dicendi in nominibus legatorum, qui rectoribus provinciarum addebantur. Nam, ut exemplum afferam, in Sicilia proconsuli constat adfuisse duos quaestores, qui saepe dicuntur *Siciliae;* sed iidem quia unus Lilybaetanae, alter Syracusanae dioecesi praeerat, poterunt appellari quaestores per Siciliam dioecesis Syracusanae vel Lilybaetanae, ac quamquam non memini id factum esse in Sicilia, in Africa tamen apud Mommsen. inscr. Neap. n. 1433 appellatur aliquis *legatus provinciae Africae dioeceseos Hipponensis* similiterque alius ibid. n. 4237, itemque in reliquis provinciis quaestores et legati praesidum appellari poterant.

Demonstravimus fere, quae iuridicorum origo, quae potestas fuerit, idque satis est huic disputationi neque Italiae historiam porro persequi iuridicique quo pacto in correctores transierint explicare placet. Supersunt enim duo nobis munera, quae antequam ad nomen eius, cui hic de quo agimus titulus positus est, perveniamus, illustranda esse videantur. Ac prius quidem est *praefectura aerarii Saturni.* Neque enim dubium est, quin vs. 3, in quo quae ultima est littera, incertior paululo esse traditur ab eo, qui lapidem descripsit, legendum sit PRAE[FECTO] AER[A]RI SATVRN[I]. Id munus cum inscriptionum complurium memoria, tum scriptorum testimoniis non paucis nobis notum occasionem praebuit Bart. Borghesio praeclarae disputationis in libello, quem de titulo L. Burbuleii Optati Ligariani scripsit, qua eius et originem et gradum et tempus persecutus est, in qua nos paucula quaedam supplebimus, unam rem, in qua ille minus recte statuisse videatur, aliter constituemus. Aerarium igitur populi Romani cum in libera republica semper quaestores administrassent, dictator primum Caesar anno 45 a Chr. quia quaestores nulli omnino facti erant, ad binos praefectos ordinis praetorii (non aediles, quos parum recte intelligit Lipsius in excursu ad Tac. Ann. XIII, 29) transtulit, qui illo anno praeessent (Dio Cass. XLIII, 48); nam in perpetuum eum hoc instituisse ideo parum probabile est, quod per bellorum civilium tempora quaestores rursus praeerant. At vero Augustus cum omnem rempublicam componeret, anno 28 sanxit, ut aerario bini quotannis aerarii praeessent (Dio LIII, 2), electi a senatu ex praetoriis (Tac. Ann. XIII, 29), quare etiam

Suet. Aug. c. 36 ait: *Auctor fuit, ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresve transiret.* Nam cum suffragiis senatorum minus idoneos fieri videret, mox anno 33, cum decem omnino praetores creari iussisset, constituit, ut duo ex his aerarii curam susciperent (Dio LIII, 32), ut iam ex numero praetorum, qui praeessent, sorte ducerentur. Quodcum sorte minus idonei fierent, instituit, ut extra sortem ipso sine dubio commendante ex praetoribus eligerentur a senatu. Sic enim intelligo, quod obscurius significat Tac. l. l. *neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos.* Augustusque ipse in indice rerum a se gestarum tab. III, 35 cum curatores aerarii significare vellet, appellavit *eos qui praeerant aerario.* Tales *praetores aerarii* saepe commemorantur, velut apud Tac. Ann. I, 75, Frontin. de aquaed. § 100, tum in inscriptionibus L. Calpurnius Piso et M. Salvius apud Grut. p. 200, 4 ex Augusti tempore (nam M. Salvius est avus imperatoris Othonis, de quo Sueton. c. 1 narrat) eodemque tempore P. Paquius Scaeva apud Momms. inscr. Neap. n. 5244 et C. Ummidius Quadratus apud eund. n. 4234, et sub Tiberio P. Plautius Pulcher *pr. ad aerarium* apud Grut. p. 452, 5. Hi mansere praetores aerarii, dum Claudius anno 42 p. Chr. omnem aerarii curam emendavit (Dio LX, 10) ac biennio post abolitis praetoribus aerarii quaestores binos constituit, qui extra sortem per triennium continuum ei negotio praeessent praemiique loco deinde vel praeturam acciperent vel salario augerentur (Dio LX, 24; Suet. Claud. c. 24). Ac primum inter hos quaestores aerarii Borghesius ostendit fuisse T. Domitium Decidium, Agricolae socerum, qui apud Grut. p. 1103, 2 nominatur *delectus a Ti. Claudio Caesare Augusto Germanico, qui primus quaestor per triennium citra sortem praeesset aerario Saturni, praetor.* Sed deerat quaestoribus, qui eum primum magistratum gererent, robur aetatis. Itaque Nero anno 56 p. Chr. *praetura perfunctos et experientia probatos delegit,* ut Tacitus l. l. ait, i. e. cum antea praefecti et praetores et quaestores, quamvis ab imperatore designarentur, suffragiis tamen senatorum fierent, Nero sublata illa libertatis specie ipse eos constituit. Nec videtur hoc, quod Nero sibi soli aerarium publicum reservarat, sine offensione quadam publica fuisse. Siquidem Tacitus Hist. IV, 9 narrat anno 69 p. Chr. rursus ad vetus Augusti institutum praetores praefuisse aerario, quos Galba sine dubio, qui initio anni solus imperium tenuerat, ut senatui gratificaretur, ab eo eligi iusserat. Sed brevis haec fuit veteris moris restitutio nec dubito, quin Vespasianus, cum reditus publicos summa cura constitueret, ad praefectos praetorii ordinis redierit, a principe ipso deligendos. Nulla enim deinceps diversitas invenitur a Neronianis praefectis. Illud mansit ex veteri instituto, ut essent bini, velut Plinius Epist. V, 15 narrat collegam sibi in eo munere fuisse Cornutum Tertullum et IX, 13 ex decessoribus suis nominat Vectium Proculum cum Publicio Certo. Sed illud iam, cum electio praefectorum ad solum principem pertineret, necessario mutari coepit, ut non amplius per triennium conti-

nuum in aerarii procuratione detinerentur, sed pro iudicio principis etiam breviore spatio defungerentur. Sic enim fit in omnibus muneribus, quae imperator defert. Quamquam plus quam annum ac plerumque biennium ad aerarium mansisse coniicio. Etenim Plinius Panegyr. c. 91 ait se et collegam nondum complesse biennium in praefectura aerarii, cum ambo a Traiano consules fierent. Quid, quaeso, significat illud biennium, nisi solitum fuisse illud praefecturae tempus; quod si triennium fuisset, quantopere gloriaretur, dimidiam prope consueti spatii partem sibi esse remissam, qui iam quod vix unus mensis ad biennium deesset, praedicarit? Nec decessores eius diutius eodem munere functos esse certis ex testimoniis colligimus. Etenim consulem fuisse scimus Plinium a Kal. Sept. ad Kal. Nov. anni 100 p. Chr., quare, cum nondum biennium in praefectura aerarii versatum se esse dicat, necesse est eam acceperit exeunte ann. 98, cum Traianus iam solus imperaret. Quapropter dubito magnopere, num recta sint verba Plinii in Epist. X, 20 *Ut primum me, domine, indulgentia vestra promovit ad praefecturam aerarii Saturni.* Neque enim solet imperatorem plurali numero pronominis alloqui, ut *vestra* ad solum Traianum pertinere possit, neque illa praefectura, quod ab interpretibus eius loci statui video, a Nerva et Traiano una imperantibus deferri potuit, quia Nerva mense Ianuario eius anni, quo exeunte Plinius eam accepit, decesserat, et agi denique de praefectura aerarii Saturni certum est ex eo, quod dicit propter praefecturam illam se petisse a senatu veniam accusandi Marii Prisci, quem Afri repetundarum postulabant, quam causam ex Epist. II, 11 discimus actam esse anno 99 a Chr., cum Ti. Iulius Ferox, Plinii in cura Tiberis decessor, consul esset. Neque afferri debet, quod Epist. X, 24 sibi ait officium delatum esse a Traiano et Nerva, quo loco de praefectura aerarii militaris dicit, cui Plinium praefuisse ex titulo eius Comensi scimus. Quae ipsa epistola, opinor, minus recte explicata effecit, ut priore illo loco pro eo quod oportet esse *tua* male scriberetur a librariis *vestra.* Sed delatam esse Plinio praefecturam aerarii Saturni constat exeunte anno 98. Cuius decessores proximos ignoramus, at ante hos praefuerant Vectius Proculus et Publicius Certus, quos iam commemoravi, facti a Domitiano. Ac Certum quidem Plinius Epist. IX, 13 ait praefecturam accepisse praemii loco, quod Helvidium, filium illius, quem Vespasianus occidit (Suet. Vespas. c. 15), apud Domitianum detulisset (Suet. Domit. c. 10). Factum id esse oportet exeunte anno 94 p. Chr. in ingenti illa clade, qua Domitianus omnes philosophiae magistros et studiosos perculit, quae eo anno accidisse narratur a Dione LXVII, 12, atque insequenti anno occisus Herennius Senecio, quod patrem illius Helvidii libro scripto laudasset. Plinius autem causam Certi ad senatum detulit, non primis ille quidem Nervae diebus, cum alii multi iam malos delatores opprimerent (vide § 4 eius epistolae), sed paulo tamen post i. e. vel Kal. vel Idib. Octobribus anni 96, cum Certus praefectus aerarii esset et brevi consu-

latum speraret. Eventus accusationis, quam Plinius instituerat, hic fuit, ut rursus post paucos dies Nerva Certo in praefectura aerarii nullo omnino praemio addito successorem daret, collegam eius Vectium Proculum ad consulatum eveheret. Ac cum anno 96 Kal. Septembribus consules fuerint Ti. Catius Fronto M. Calpurnius Flaccus (vide Borghes. in Mem. inst. arch. I p. 45), consulatusque illa aetate bimenstres esse soleant, efficitur, ut Vectius Proculus Kal. Novembribus consulatum inierit. Certus igitur et Proculus, quos *brevi consules* appellat Plinius § 11 illius epistolae, biennium fere aerarium administrarant. Sed horum quidem causa videatur esse singularis nec pro regula accipienda. At successores eorum, in quibus quia nihil traditur, non videtur a solita consuetudine esse recessum, cum Kal. Novembribus anni 96 praefecturam accepissent, retinuerunt usque ad Kal. Nov. anni 98, cum Plinius successit, qui bimenstre spatium de praefecturae suae tempore ademptum esse gloriatur. Habemus igitur tria deinceps praefectorum paria, qui per biennium fuerunt, unde satis certa coniectura videtur posse fieri. Accedit quod etiam praefecturae aerarii militaris tempus brevius tunc fuisse intelligimus quam fuerat initio. Instituerat id munus eadem prorsus lege qua praefecturam aerarii Saturni Augustus, ut bini praefecti ordinis praetorii praeessent ei per triennium. At Plinium constat praefuisse aerario militari ex titulo eius Comensi, ac delatum sibi id munus testatur Epist. X, 24, quem locum paulo ante citavimus, a Nerva et Traiano. Triennium igitur in eo explere non potuit, sed potuit biennium, si ab Kal. Novembr. anni 96 eum praefuisse statuamus, dum aerario Saturni praefectus est. Longiores fortasse hoc loco videamur fuisse quam opus erat, sed confert hoc paululum ad tempus non huius modo, in quo disputatio nostra versatur, tituli, verum etiam ad praetoris tutelaris et iuridicorum originem accurate definiendam.

Illud vero certissime docuit multarum inscriptionum testimoniis Borghesius, ex praetorio ordine electos esse praefectos aerarii Saturni eoque munere cum fide gesto eos aut statim consuevisse ad consulatum evehi aut uno alio interiecto honore. Itaque is, cuius hic titulus Concordiensis est, cum aerario Saturni praeesset, certe consulatum nondum gesserat nec gessit continuo post praefecturam, item ut, antequam a praefectura aerarii Saturni ad consulatum pervenerunt, M. Iuventius Secundus apud Orell. n. 4910 proconsul provinciae alicuius ignotae et legatus Aquitaniae et L. Funisulanus Vettonianus apud Card. Dipl. n. 586 curator viae Aemiliae fuerunt. Curator enim datus est ab imperatoribus civitati Concordiensi, in quo munere ei hic titulus positus est. Etenim appellatur inde a versu 13 sic: *Qui providentia maximor(um) imperat(orum) missus urgentis annonae difficultates iuvit et consuluit securitati fundatis reip(ublicae) opibus*, in quibus verbis quod scripsimus *annonae difficultates* pro eo, quod in lapide male lectum est ANNONALDIIICVII || TATES, certissima coniectura niti existimamus. Efficiunt autem haec commentarium quasi eorum,

quae breviter significat Capitolinus in vita M. Aurelii c. 11: *Curatores multis civitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates, a senatu dedit. Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex urbe donavit omnique frumentariae rei consuluit — Rei frumentariae graviter providit.* Curator igitur fuit hic reipublicae Concordiensium, datus ab imperatoribus M. Aurelio et L. Vero. Dixerunt de hoc munere complures nostra aetate, Borghesius de cos. Burbuleio p. 35, sed minus subtiliter quam solet, Boecking. ad Not. dign. Occid. p. 1000, qui illud fere solum egit, ut ex inscriptionibus Latinis omnes civitatum curatores colligeret, nos denique ipsi in comment. epigraph. p. 150 sq. Ibi docuimus inde a Traiano commemorari curatores civitatum, datos ab imperatoribus cum ad alias calamitates sublevandas, tum ad reditus imprimis et expensas rerum publicarum emendanda; ac cum ingravescente temporum iniuria frequentiores fierent hi curatores, paulatim extitisse sub Septimio vel Alexandro Severo ordinarium magistratum, qui electus a principe primum locum in municipiis obtineret. Quamdiu autem is esset quasi extraordinarius, modo equestris, modo senatoriae dignitatis esse datos, sed hos tamen frequentius ab aetate M. Aurelii, quippe quem Capitolinus narret *multis* civitatibus curatores e senatu dedisse. Neque nunc est, quod huic disputationi adiungamus, nisi quod insigne exemplum eorum, quae et ipsi demonstravimus et Capitolinus tradit, hic lapis Concordiensis exhibet. Ex quo discemus causam, cur et multis civitatibus et senatorii ordinis daret curatores M. Aurelius, non tam fuisse eam, quam Capitolinus significat, ut augeret munerum senatoriorum numerum, quam magnas illius aetatis calamitates, quae bellis ac pestilentia incredibilem in modum vexaretur. Antecessit autem pestilentiam magna fames, de qua Capitolinus et eo, quem diximus, loco tradit et rursus c. 13: *Et cum famis tempore insinuasset de bello, fratre post quinquennium reverso, in senatu egit, ambos necessarios dicens bello Germanico imperatores,* unde accidisse eam discimus anno 166 p. Chr., quo ineunte L. Verus ex Oriente revertens pestilentiam secum adduxit, et exeunte ambo imperatores contra barbaros proficiscendi consilium ceperunt. Abisse quidem videntur Roma ineunte anno 167 eodemque redisse; nam anno 168 mense Ianuario in urbe eos fuisse docet M. Aurelii oratio in castris praetoriis habita, quae citatur in fragm. Vatic. § 195, ut recte Tillemontius eos non continuo ab anno 167 usque ad 169 abfuisse ab urbe statuat, sed duas diversas profectiones distinguat. Sed anno 166, cum fames ingruisset nec dum ipse in regionem Transpadanam excurrere posset, M. Aurelius hunc, cui Concordienses hunc titulum posuerunt, quem biennio ante in eadem regione cum summa laude versatum esse nosset, misit Concordiam sublevandae annonae causa, fecit fortasse etiam, quod Capitolinus eum in Italicis civitatibus fecisse ait, ut frumento Roma misso Concordienses adiuvaret, denique examinatis ac constitutis reipublicae reditibus atque impensis prospicere iussit, ne quid postea simile in

oppido accideret. Huc enim pertinet quod in inscriptione est *consuluit securitati fundatis reip. opibus.* Notabile autem in hac inscriptione, cum potestas curatoris, quam imprimis in reditibus civitatum corrigendis positam fuisse constat, haud dubie significetur, nomen ipsum curatoris non inveniri, neque id inscitia eius factum esse ostendunt exempla curatorum a prioribus imperatoribus datorum, Capitolinique verba, quae citavimus, sed tamen frequens ac solitum erat munus, in quo sollemne nomen non adhiberi habebat excusationem. Iam hoc curatoris munus cum administrasset hic, quisquis fuit, Concordienses ei statuam cum hoc, qui legitur, titulo posuerunt, et quidem continuo. Nam cum supra secundum Borghesii disputationem docuerimus, praefectos aerarii Saturni vel continuo vel uno alio interiecto honore ad consulatum evehi consuevisse, item hunc anno 167 vel 168 consulem fuisse probabile est; nec tamen in hoc titulo nominatur, unde positum esse eum, antequam fuit, colligemus. Extrema autem verba, quae vs. 19 sunt, *ob innocentiam et labori,* continent aperte causam tituli positi, in quibus tamen vitii aliquid insit necesse est. Neque enim credo fuisse in lapide *labori,* non quod nesciam saepe peccari in inscriptionibus vel lapicidarum vel eorum, qui poni iusserunt, inscitia (velut in hac ipsa praepositione *ob* peccatum in Surrentino lapide apud Momms. inscr. Neap. 2118, ubi est *ob meritis),* sed primum publicum hoc est monumentum, positum a magna ac nobili civitate, ut decuriones ipsos peccasse parum sit probabile, deinde reliqua omnia emendate sunt scripta, ut ne sculptorem quidem erroris arguere velim. Quare excidisse potius censeo extremam litteram M, ex eo autem, quod erat E, detritis supra et infra lineolis extitisse I. Neque longior fiet versus quam debet; siquidem etiam versum 10 paululum extra reliquos excurrere videmus. Asteriscus denique in medio collocatus est, ne quid vacui spatii relinqueretur. Nec debet singulare videri, quod *labor* sive *labores* (nam etiam pluralis recte supplebitur) dicunt fuisse curatoris sui Concordienses. Nam optima Latinitas hanc vocabuli significationem respuit illa quidem, sed hac aetate laborem pro industria poni posse docet Fabr. p. 398, 297 (Momms. inscr. Neap. 2116), ubi ordo Surrentinorum dicitur statuam collocasse Flavio Furio Fausto *ob merita laborum suorum.* Cf. etiam C. Cornelii Felicis Thralli iuridici titulus, quem supra p. 47 citavimus.

Iam vero postquam singulos magistratus atque honores ab eo, cui hic titulus positus est, gestos illustravimus, universam eorum rationem videmus fuisse hanc, ut *curator Concordiensium* fuerit anno 166, biennio ante *praefectus aerarii Saturni,* anno 163 *iuridicus per Italiam regionis Transpadanae,* anno 162 *praetor tutelaris.* Praetorem igitur hunc novum M. Antoninus instituit primo statim, postquam imperare coepit, anno, iuridicos biennio post, unde praeclarum huius tituli Concordiensis meritum cognoscitur, qui de duobus maximis magistratibus, quibus respublica Romana sub imperatoribus ad illam formam,

quam Diocletiani et Constantini aetas excoluit, progressa est, non modo egregie scriptorum parum certa testimonia confirmet, verum etiam, quod illi praetermiserunt, tempus ipsum, quo uterque primum usurpari coepit, accurate definiat.

Haec tituli utilitas cum sit tanta, quantam significavimus, eo magis dolendum est, quod non additur, quod solent plerumque inscriptiones exhibere, nimirum nomen eius, cui positus est, ut non solum, quo tempore primus praetor tutelaris et iuridicus factus esset, sed etiam quis primus eos magistratus gessisset, certo constaret. Sed periit principium eius, ut nomen eius qui celebretur obscurum sit neque illa aetas adeo aut scriptorum narrationibus aut inscriptionum nummorumque memoria illustratur, ut invenire id facile sit. Cui tamen incommodo, quantum poterimus, coniectura subvenire conabimur, cuius aliqua certe facultas eo datur, quod versu 3 supersunt ante commemorationem praefecturae aerarii Saturni hae litterae: N. NO, quas supplendas esse NINO nemo est quin videat. Nam versu 2 una modo littera T superest, primo autem tam incerti ductus, ut nihil dici possit. Iam ex iis, quae ante a nobis ad explendum versum quartum disputata sunt, efficitur, ut nullus magistratus intercedere potuerit inter praefecturam aerarii et inter consulatum, ut si quis magistratus in hac lacuna fuisset scriptus, qui ipse cuius generis esse potuerit invenire nequeo, antecedere oporteret consulatum, ex more inscriptionum a principio positum. Item hoc demonstratum esse arbitror, ne sacerdotium quidem ullum hunc potuisse accipere ante consulatum; quare si sacerdotii perisset nomen (nec potest ullum excogitari, quod cum litteris NINO quae relictae sunt conveniat), item interisset consulatus. Utraque autem ratione tantum consumitur spatium, quantum non superesse videmus. Nam versu tertio fuisse certum est tredecim litteras; nec primus et alter certe habuerunt plures, quibus hac aetate Antoninorum, cum tot nobilibus familiis extinctis incredibilem in modum nomina illustrium hominum augebantur, vix unius nomen capitur. Hinc certe videmur posse colligere litteras NINO partem effecisse cognominis eius, cui totus hic titulus positus est quaerendumque ex his satis levibus vestigiis, num forte in magna horum temporum obscuritate inveniri tamen possit, cui cum probabilitate aliqua eum tribuendum esse statuamus.

Atque illud quidem inutile erit, omnia cognomina in NINVS exeuntia persequi, quorum plurimis nec demonstrari potest quemquam hac aetate usum esse, nec si posset demonstrari, quicquam ad probabilitatem proficeretur, ut is, qui usus esset, hoc titulo celebratus esse videretur. Pauca igitur quaedam eligemus, quae etiam hominum, qui gesserunt, fortuna commendentur. Ac late hac aetate patuisse scimus cognomen Saturnini, multis illustribus viris commune, idque solum ex cognominibus fratrum Arvalium, qui noti sunt, huc pertinere potest. Quamquam M. Aponius Saturninus, qui imperatore Othone Moesiae praeerat, apud Marin. act. fr. Arv. p. 99 ea aetate vixit, ut nec de ipso nec de progenie

eius alias ignota cogitari possit. At Volusius quidam Saturninus imperante, ut videtur, Commodo, commemoratur in tabula Arvali XXXV, quem non sine aliqua veri similitudine existimabimus esse eum, qui anno 198 in fastis notatur. Huius proavus videtur fuisse Q. Volusius Saturninus, cos. ann. 92 cum Imp. Domitiano XVI, qui rursus filius est Q. Volusii Saturnini cos. ann. 56, nepos L. Volusii Saturnini cos. suffecti anno 3 p. Chr. cum P. Silio, ut nobilissimam ac divitissimam (Tac. Ann. IV, 56 et Colum. de re rust. I, 7) gentem, de qua imprimis Marin. act. fratr. Arval. p. 123 et Borghes. in diurn. Arcad. anno 1831, 1 p. 282 disputarunt, etiam hac Antoninorum aetate et durasse et floruisse intelligamus. Nec cum complures inter fratres Arvales nominari inveniamus, ab vero videtur abhorrere, omnes prope ex ea gente sacerdotio Arvali fuisse quodam quasi hereditario iure praeditos; sed nec ipse ille, qui imperante Commodo vixit, nobis ulla re notus est, ut ne de praenomine quidem eius quicquam constet, nec de patre eius quicquam traditur, quamquam cum ipsum Pio potius imperante quam filiis eius inter Arvales receptum esse arbitror. Quare quemquam ex hac Volusiorum Saturninorum familia hoc titulo Concordiensi celebratum esse vix potest credi. Quamquam Saturnini cognomen invenitur etiam in aliis familiis, velut cum L. Volusius Saturninus, cos. anno 3 p. Chr., in matrimonium duxisset Corneliam ex familia Scipionum (Plin. nat. hist. VII, 5), Saturnini cognomen etiam ad quosdam ex Scipionibus transiit, ab iis rursus ad alios, unde anno 93 cos. suffectum fuisse scimus M. Lollium Paullinum Valerium Asiaticum Saturninum, ex diplomate militari apud Card. dipl. milit. p. 116. Veruntamen haec persequendo vix fieri potest ut ad ullam probabilitatem perveniamus; etiamsi enim demonstremus vel Lusium aliquem vel Pompeium vel Sentium vel Vigellium Saturninum, qui inter provinciarum rectores commemoratur a Tertulliano ad Scapulam, vel alium denique Saturninum videri vixisse Antoninorum aetate, nisi eundem docuerimus aliquo eorum honorum, qui huic Concordiensium patrono tribuuntur, functum esse, nihil prope effecisse non immerito iudicabimur. Tam longinqua enim plurimorum ac tam alte repetenda est memoria, ut vix coniecturis singula constituere liceat. Veniamus igitur ad propiorem aliquem fontem, in quo quae invenerimus, maiore auctoritate commendabuntur. Atque uberrimi quidem Antoninorum aetatis auctores sunt iurisconsultorum libri, ex quibus excerpta leguntur in Digestis, in quibus tot praetores, consules, rectores provinciarum reperiuntur, ut non dicam homines, at familiae praecipuae, quae tunc floruerunt, in iis commemorentur. Iam in iis Saturnini non inveniuntur nisi Claudii, in quibus viri sunt et iurisprudentiae laude clari et summis honoribus conspicui. Ex iis aetate superior estreliquis Claudius Saturninus, legatus Belgicae, ad quem Hadrianus epistolam dedisse narratur in fragm. Vatic. §. 223. Qui cum provinciae illi praeesset, certe praeturam antea gesserat, nec tamen necessario diversus erit ab Claudio Saturnino, ad quem quae

rescripsit Divus Pius, citantur a Marciano in Dig. XX, 3 (quae res pignori), 1, 2. Eidem et Faustino item Pius rescripsisse narratur ab eodem Marciano in Dig. L, 7 (de legation.) 4. Quem si statuamus extremo Hadriani imperio praetura ante gesta praefuisse Belgicae, intelligemus principio Pii collega Faustino accepisse consulatum, deinde etiam alii fortasse provinciae esse praepositum. Nam consulem fuisse eum, cum Pius ad eum de legationibus scriberet, et collega, qui nominatur, demonstrat, qui nullus esse poterat in provinciae administratione, et argumentum epistolae, quod maxime ad eos, qui senatui praesunt, videtur esse accommodatum. Hunc igitur, qui multo ante divos fratres ad summos honores pervenerit, apparet non posse celebrari hoc titulo Concordiensi. At potuit fortasse filius eius. Sed is videtur esse ille Claudius Saturninus, cui praetori divi fratres scripsisse narrantur ab Ulpiano in Dig. XVII, 1 (mandati vel contra) 6, 7. Habemus igitur re vera aliquem praetorem sub divis fratribus Saturninum, quem tamen ex ipsa causa, qualis ab Ulpiano exponitur, intelligimus alium aliquem, nequaquam tutelarem fuisse praetorem. Ita cadit hic quoque. Nec magis de alio quodam Claudio Saturnino, qui librum singularem de poenis paganorum scripsisse narratur in Dig. XLVIII, 19 (de poenis) 16, qui alter ex iis, quos modo diximus, videtur fuisse, nec de Venuleio Saturnino, cuius plurimi libri in Digestis laudantur, qui imperante Alexandro vixit (Lamprid. Alex. Sev. c. 68), cogitandum erit. Sed praeter hos fuisse illa aetate etiam M. Claudium Saturninum aliquem docet titulus parvus apud Grut. p. 1150, 8, item T. Claudium Saturninum sigilli aenei inscriptio allata a Borghes. in diurn. Arcad. 1824, 2 p. 73, ut, cum multis nobilibus viris commune fuerit Saturnini cognomen, neminem tamen invenerimus, cuius fortuna cum Concordiensi patrono eadem fuisse videatur.

Veruntamen haec cum deficiant, auxilium quoddam videtur peti posse ab iis, qui proprie eius aetatis, in qua versamur, auctores sunt. Saepius enim in Frontonis epistolis commemoratur, de quo supra iam diximus, Arrius Antoninus. Nam Sardius Saturninus, qui apud eundem epist. ad amic. I, 24 et 25 nominatur, adeo ignotus est, ut nihil de eo affirmare possimus. At Arrium Antoninum docuimus supra ex ipsius Frontonis verbis fuisse iuridicum regionis Transpadanae ac praefuisse ipsis his, qui hunc titulum posuerunt, Concordiensibus. Quem si ostenderimus ineunte M. Aurelii aetate vixisse ac praefuisse Italiae, nihil, opinor, relinquetur, quin eum ipsum hunc, quem quaerimus, Concordiensium patronum fuisse statuamus. Iam Frontonem, cuius auctoritate utimur, constat, cum natus esset Cirtae in Africa imperatore fere Domitiano, vixisse ad summam senectutem, ac consulem quidem fuisse anno 143 p. Chr. mense Iulio et Augusto; mortuum esse veri simile est paulo postquam L. Verus confecto bello Parthico in Italiam rediit; haec enim temporis significatio ultima in eius epistolis (ad L. Verum Aug. 10) observatur. Epistolas autem

Frontonis ad amicos Niebuhrius aperte demonstravit non eo ordine esse scriptas, quo leguntur in codice; sed modo argumentum modo eius, ad quem scriptae sunt, nomen collocandi causam fuisse. Quare cum ex reliquis epistolis nihil de tempore earum, quae ad Arrium Antoninum scriptae sunt, colligi possit, hoc tamen apparet, quoniam Frontonem et vixisse et scripsisse epistolas constat usque ad annum 166 p. Chr., potuisse eum anno 163, quo Concordiensium patronum iuridicum regionis Transpadanae fuisse docuimus, ad hunc scribere. Quattuor autem extant epistolae ad Arrium Antoninum scriptae, primum ea, quae quinta est libri II, qua Volumnium quendam, filium, opinor, Concordiensis Volumnii, de cuius causa epist. 11 agit, commendat, quae sine ulla temporis significatione est; deinde ea, quae nona numeratur apud Niebuhrium, qua Baburianae cuiusdam, ignotae mulieris, causa commendatur, unde videmus, Frontonem ipsum, qui tamquam parentem sese observari dicat, iam provectae aetatis, Arrium fuisse iuvenem ac magistratu tunc aliquo praeditum, ipso illo iuridicatu, qui postea commemorabitur. Tertia, quae insequitur, epistola nihil habet iniuria temporis relictum nisi nomen eius, quem Fronto commendabat, qui cum ignotus sit, nihil efficitur. Quarta denique est illa de Volumnio Sereno, qua iam usi sumus, quae cum item in commendando versetur, non sine probabilitate aliqua quattuor has epistolas ad Arrium Antoninum cum iuridicus esset regionis Transpadanae scriptas esse iudicabimus. Quarta autem haec cum fere tota in inanibus orationis flosculis versetur, unam tamen certam habet temporis significationem; siquidem *imperatores nostri*, i. e. M. Aurelius et L. Verus, in causa Lysiae cuiusdam statuisse aliquid narrantur, quo fit, ut cum nullam a Frontone epistolam post annum 166 scriptam esse dixerimus, haec ad Arrium Antoninum intra quinquennium, illud coërceatur, quod ab anno 161 usque ad L. Veri in Italiam reditum fuit. Hinc ea sane nascitur similitudo veri, ut Frontonis illum Arrium Antoninum existimemus fuisse ipsum hunc, qui a Concordiensibus celebratus est, regionis Transpadanae iuridicum, quae vix quicquam a vero ipso differre videatur. Docet autem eadem epistola Frontonem, qui scriberet, fuisse senem, Arrium, cui scriberetur, iuvenem. Hunc enim et ab initio et postea saepius appellat filium, sollicitum se esse ait de eius fama, tamquam debeat esse, denique adhortatur tamquam pater filium. Quis igitur est ille Arrius Antoninus? Neque ignotus nobis est aliis testimoniis. Etenim Lamprid. Commod. c. 7 narrat Commodo imperante Cleandrum, potentissimum illum principis libertum, ficta crimina contulisse in Arrium Antoninum, quia is in proconsulatu Asiae Attalum quendam damnaverat. Sic Arrium occisum, sed ea re tantam Cleandri invidiam apud populum Romanum esse concitatam, ut Commodus libertum occidere cogeretur. Item Capitol. in Pert. c. 3 Pertinacem ait malam famam sibi contraxisse, quod apud Commodum affectati imperii insimulasset Arrium Antoninum, idque accidisse, paulo antequam Pertinax Britanniae provinciae

regimen, quod magna severitate gesserat, deposuit. Iam Cleandrum occisum a plebe Romana constat anno 189 p. Chr., Pertinacem autem praepositum Britanniae triennio ante, ut Arrii Antonini caedes facta esse videatur fere anno 188. Hoc autem tempore quis poterat esse Arrius Antoninus, vir consularis et qui proconsul Asiae fuisset, praeter illum, quem diximus anno 162 praetura gesta videri circa annum 168 ad consulatum pervenisse? Solebat enim tunc inter consulatus et inter proconsulatus Africae et Asiae, qui veteri more consularibus viris deferebantur, tantum spatium intercedere, ut nonnunquam quindecim anni et amplius explerentur. Eius rei ex Caracalli aetate duo habemus exempla insignia. Nam Scapulam Tertullum consulem fuisse constat anno 195; ad eundem autem, cum proconsulatu Africae fungeretur, epistolam, quae extat, scripsit Tertullianus, qua admonet ne Christianos persequatur. Neque eam epistolam credo Borghesio in Bullett. arch. Neapol. anni 1845 p. 101 scriptam esse anno 207, quod ille ex eclipsi solis, quae in ea significatur, colligit. Fuerit illa sane eo, quo dicit, anno (neque enim hoc loco ad calculos astronomicos descendere possumus), certe non necesse est fuerit eo ipso tempore Scapula proconsul. Nam Tertullianus cum Severum, patrem Antonini i. e. Caracalli saepius tamquam iam mortuum commemoret, Scapulam initio Caracalli Africae praefuisse censeo, unde plus quam sedecim annos praeterisse intelligimus, antequam ex consulatu sortiretur proconsulatum. Anno 199 Kal. Ian. consulatum gesserat M. Aufidius Fronto, nepos rhetoris: eum autem anno 218 ad proconsulatum vel Africae vel Asiae perventurum fuisse ait Dio LXXVIII, 22, nisi prohibitus esset adire provinciam a Macrino. Hanc igitur eandem rationem si adhibebimus ad Arrium Antoninum, efficietur, ut circa annum 183 ad proconsulatum Asiae pervenerit, in quo cum offendisset Cleandrum, non multo post occisus est. Ipsum autem illum proconsulatum commemorat etiam Tertullianus in exitu epistolae ad Scapulam, quam citavimus, ubi narrat ab Arrio Antonino in Asia Christianos magnopere esse vexatos. Idemque Arrius Antoninus est is, cuius mentio fit apud Ulpianum in Dig. XXXVI, 1 (ad SConsultum Trebellianum), 37, 1 *Divus Severus in persona Arrii Honorati pupilli decrevit, qui Arrio Antonino patruo et tutori suo* (hereditatem) *restituerat.* Quamvis enim haec lis, de qua Severus decrevit, extitisset paulo post annum 193, causa litis orta erat sex vel septem annis ante, cum viveret etiamtunc Antoninus. Videmus igitur Arrii Antonini patri, ignoto prorsus nobis, duos fuisse filios, quorum unus ad summos honores perveniret, alter mature moriens filium puerum in tutela patrui relinqueret. Verum praenomen etiam huius, de quo dicimus, Antonini colligere poterimus ex Galeno *περὶ τοῦ προγινώσκειν* c. 10 p. 459 ed. Bas. Narravit ibi Galenus mortuo L. Vero M. Aurelium cum denuo adversus Germanos proficisceretur, imperasse sibi, ut Commodum filium suum, tum octo annorum puerum, si qui morbus incidisset, curaret; educatum autem eum esse Romae ab Pitholao quodam. Dein-

ceps morbum describit Sexti, Antonini filii, qui item sub cura Pitholai erat, quem aegrotantem visere consuerat Claudius Severus ita prorsus, tamquam id iure quodam propinquitatis faceret. Quis igitur Antoninus ille, quis Sextus? Claudium quidem Severum constat esse Claudii Severi, philosophi peripatetici, qui ipsius imperatoris magister fuerat, consulatumque circa annum 163 gesserat, filium, Vibiae Aureliae Sabinae, Marci filiae quartae, maritum. Qui cum gener fuerit imperatoris, item Pitholaus, qui Sexti educationi pracerat, magister Commodi, recte colligemus et Antoninum fuisse propinquum M. Aurelii et Sextum, eiusdem prope aetatis ac Commodum, una cum hoc esse educatum. Neque Antoninus, M. Aurelii propinquus, poterit alius inveniri nisi hic, de quo disputamus. Nimirum haec propinquitas attulit ei etiam mortem; Commodus enim occidit eum una cum L. Antistio Burro, cos. ann. 181, Fadillae marito, M. Aurelii genero. Nec dubium est, quin eius propinquitatis origo repetenda sit ab T. Arrio Antonino, imperatoris Antonini Pii avo materno (Capit. Ant. Pio c. 1), viro et nobilissimo et sanctissimo. Is consul suffectus fuit primum ann. 69, a Nerone olim designatus (Tac. Hist. I, 77), tum iterum incerto anno, idem, ad quem Plinius tres epistolas scripsit (lib. IV, 3 et 18 et V, 10), quibus non mores solum eius, verum etiam ingenium, ad epigrammata imprimis Graeca facienda aptum, laudatur. Vixit quidem ultra Nervam, cui cum principatum adipisceretur, non ut ceteri senatores gratulatus, sed mala potius, quae imperium haberet, conquestus esse narratur a Victore. Maxime vero proconsulatus, quem in Asia gessit, propter severitatem ac sanctitatem celebratur (Plin. epist. IV, 3), quare Capitol. in Pio c. 2 Antoninum Pium, qui postea imperavit, sic ait proconsulatum Asiae gessisse, ut solus avum vinceret, unde tamquam hereditariam eam provinciam in genere Antoninorum fuisse videmus. Sed illud incertum est, ad utrum ex duobus his Antoninis, de quibus narravimus, pertineat inscriptio apud Grut. p. 494, 5 (Gor. Inscr. Etrusc. II p. 339), in qua *ex sententia Aemilii Frontonis clarissimi viri, postea deinde Arrii Antonini clarissimi viri* municipales quidam homines pecuniam numerasse narrantur reipublicae Tifernatium, magis tamen alterum hunc, Concordiensium patronum, dici puto, maxime propter Aemilium Frontonem, quod cognomen hac demum aetate videtur increbruisse; neque enim aliis certioribus testimoniis hominem quis fuerit, persequi potui. Incertius enim videtur esse, quod Borgh. in Mem. inst. arch. I p. 45 putat, filium esse Aemilii Frontini, qui nominatur proconsul Asiae apud Euseb. hist. eccl. V, 18 et Aemilii Frontiniani, quem imperante Commodo vixisse docet Grut. 302, 2. Illud quidem iam apparet falsum esse, quod idem suspicatur eos fuisse ex consularibus viris, quibus Hadrianum Italiam regendam mandasse diximus, quoniam Arrium Antoninum iuridicum potius fuisse constat.

Haec cum nota sint de Arrio Antonino, quem hoc titulo ab Concordiensibus celebratum

videri demonstravimus, superest ad explendum hunc titulum, ut praenomen eius ac cognomen inveniamus. Diximus enim supra, Sextum, de quo Galenus narrat, fuisse huius Antonini filium. Ac videtur fuisse unicus, quia Galenus filium modo appellat, cum paulo ante c. 7 in simili morbo explicando Boëthum duos filios habere significarit. Quod si ita est, non dubitandum, quin pater quoque Sextus nominatus sit. Etenim etsi tunc nondum invaluisse existimo, quod postea moris erat, ut praenomen sine discrimine ad omnes filios descenderet, vetus tamen erat lex anno 240 a. Chr. lata, ut filiorum maximus praenomen patris acciperet; quanto magis, si esset unicus? Atque habet hoc praenomen in hoc titulo aliquam probabilitatem etiam ex vestigiis litterae unius, quae in medio fere versu supersunt, quae maxime inferiorem partem litterae S videntur referre, neque ea littera, nisi hoc praenomen fuisse statuas, in toto nomine invenietur. Quare nos Sextum appellare hominem non dubitamus. At cognomen prius (nam alterum certum est) vix videtur fieri posse, ut coniectura assequamur. Tanta enim illa aetate erat cognominum licentia, quae modo a matre, modo ab avunculo, modo ab avo vel materno vel paterno, modo ab iis, quorum quisque heres esset, sumebantur aut integra aut terminatione aliqua producta, ut hoc fortasse aliquando liceat, si tota familia nota sit, ex cognominibus cognoscere, a quo quodque sumptum sit; sed illud fieri nequeat, ut, si ignota sint cognomina, quae quisque habuerit, reperiamus. Veruntamen in hoc Arrio Antonino subvenit, quod fratris eius filium didicimus appellatum esse Honoratum. Quid igitur, si ipsum eodem cognomine fuisse putamus? Convenit certe optime cum eo littera T, quae sola relicta est versu secundo, convenit etiam mire spatium ipsum, ut, si Honoratum nominabimus, totidem versu altero litterae efficiantur quot sunt in versu tertio, ac tres primos versus aequalibus prorsus litteris scriptos fuisse testis est, qui descripsit. Neque invenimus non aliquando ab patruis vel avunculis illa aetate cognomen esse sumptum, quod cum in privatis hominibus, quorum cognationes minus notae sunt, demonstrare nequeamus, in imperatoribus certe accidisse videmus. Velut Commodus, M. Aurelii filius, ipsum hoc Commodi cognomen accepit a L. Vero, qui antequam imperavit, appellatus est L. Ceionius Aelius Commodus Verus Antoninus (Capitol. Ver. c. 1), isque per adoptionem eius erat patruus; velut Didius Iulianus, qui post Pertinacem imperium accepit, hoc Iuliani cognomen sumpsit ab Salvio Iuliano avunculo (Spart. Iul. 1), velut qui deinde imperator factus est, Severi cognomen sibi imposuit a patruo, consulari viro (Spart. Sev. 1). Ac quantopere ea consuetudo vel omnino apud Romanos vel illa potissimum aetate invaluerit, ostendit Spart. in vita Getae c. 1, qui Septimii Severi filium Getam *vel a patrui nomine vel avi paterni* sic dictum esse ait. Quare cum illo certe tempore, quo Arrius Antoninus vixit, hunc morem in domo imperatoria fuisse constet, quidni cum privatos quoque homines imitatos esse existimemus, praesertim

cum tanta, quantam modo exposuimus, externa quasi in ipsis litterarum vestigiis posita confirmatio accedat? Quae si absit, nihil sane ne tamquam probabile quidem afferre audeamus.

Scripseramus haec ac prope iam librario typis describenda tradideramus, cum ecce contigit nobis, quod vix posse contingere speraveramus. Cum enim Immanueli Cicognae, equiti illustrissimo, qui prius exemplum miserat, scripsissemus, vitiosum id nonnullis locis videri lapidemque, qui tot rerum novarum notitiam contineret, denuo conferendum esse, ille, humanitatis litterarumque nostrarum amoris plenus, saxum ipsum diligentissime inspiciendum curavit atque hoc, quod iam accuratissimum esse spondet, *ἀπόγραφον* misit:

A R R I O
V I R A N T O
N I N O P R A E
A E R R I ⁝ S A T V R N .
IVRID CO PER ITALIAM . . 5
GIONIS TRANSPADANAE I . .
MO FRATRI ARVALI. PRAETOR
CVI PRIMO IVRIS DICTIO PVPILLA
RIS A SANCTISSIMIS IMP. MANDATA
ESTAEDIL CVRVLAB ACTIS SENATVS. SE 10
VIRO EQVESTRIVM TVRMAR TRIBVNO
LATICLAVIO LEG IIII. SCYTHICAE. IIII
VIRO VIARVM CVRANDAR QVI PRO
VIDENTIA MAXIMORIMPERATMIS
SVS VRGENTIS ANNONAE DII CVLI 15
TATES IVVIT ET COSVLVIT SECVRI
TATI FVNDATIS. REIP· OPIBVS ORDO
CONCORDIENSIVM PATRONO OPT
OB INNOCENTIAM — ET LABORI

Haec aliquantum discrepant ab priore exemplo, quae si ante nactus essem, nonnulla, quae supra a nobis disputata sunt, potuissent omitti. Etenim primum, ut ab initio tituli incipiamus, quis eo celebraretur, non erat amplius quaerendum. Nam superest nomen Arrii Antonini, quem nos probabili coniectura modo effeceramus. Hunc igitur, ipsum illum, de cuius vita et rebus et genere quae apud scriptores huius aetatis traduntur exposuimus,

constat fuisse Concordiensium patronum, constat primum praetura tutelari ab imperatore M. Aurelio esse ornatum, constat denique in quattuor illis fuisse, qui ab eodem principe primi regionibus Italiae regendis praepositi iuridicique appellati sunt. Sed cadunt ea, quae dum spatia vacua litterarumque vestigia sequimur de cognomine collegeramus, quae ipsi significavimus paulo esse incertiora, vel ita certe cadunt, ut quodcunque fuit cognomen, id in hoc titulo non videatur fuisse scriptum. Nullum enim alterum cognomen Arrio Antonino additur neque videtur omnino habuisse. Certe si habuit, minus usurpabatur minusque notum erat. Item de praenomine Sexto quae disputavimus, eadem ratione retractanda. Eius enim inserendi nullum spatium in exemplo altero nobis misso relinquitur. Neque aliud ullum, quod una littera significari possit, esse admittendum iudico. Nam si tantundem ante Arrii nomen vacuum esse oportet, quantum vacare post id constat, nullus locus praenomini supererit atque insigne hoc exemplum erit, quo iam illo tempore hominem nobilem ac principem civitatis publice ac sollemniter solo nomine et cognomine appellatum esse discamus. Nam apud scriptores quidem imprimisque apud iureconsultos, quamvis distincte atque antique dicere studerent, hanc tunc rationem vel maxime vel unam fuisse usitatam iam supra p. 35 diximus. Eo notabilius est eidem tribum, quam haberet, esse adiectam; nam vs. 2 quin QVIR legendum sit, dubitari non potest. Tum vs. 3 non PRAEFECTO omnibus litteris, sed omissis ultimis PRAEF scribendum est, ut infra legitur *Imp.* et *aedil curul* et *turmar* et *leg* et *curandar* et *maximor imperat*; item vs. 4 post vocabulum SATVRNI nihil addendum, ubi cum in priore exemplo spatium vacaret, magis quod necesse esse putaremus quam quod moris id esse videremus, LEG AVG addendum esse diximus. Nec tamen quae de iuridicis, qui ab imperatoribus fierent, de eorumque nomine disputavimus, mutanda; nam etiamsi hic titulus demitur, relinquuntur alii, in quibus eius rei significatio videatur superesse. Vs. 15 confirmatur coniectura nostra *annonae difficultates*. Quamquam in saxo videtur esse *dificultates*, quam formam nondum in aliis inscriptionibus me invenire memini, ut et alterum F omissum, et contra consuetudinem I insertum sit. Quod denique in exitu tituli est *et labori*, etiamnunc video posse dubitari, utrum sic errore sculptoris scriptum sit an I in E mutandum, et littera M addenda sit, quae si, quod saepe fit, in marginem coniecta erat, facile vel deteri vel non animadverti poterat.

Haec, quibus inscriptio nobilissima, quam prius de coniectura expleramus, certissime constituitur, addere hoc loco in exitu disputationis nostrae placuit; nam ut retexeremus totam omniaque ita componeremus quasi de uno ac vero exemplo deducerentur, eo minus faciendum esse putavimus, quod pauca nec magna ex iis, quae dixeramus, mutanda esse videbamus. Sed hoc tamen utile erit, totum titulum expletum atque emendatum litteris vulgaribus repetere, quo iam viri docti tuto utantur. Est igitur hic:

Arrio (Q)*uir. Antonino, prae*(f.) *aer*(a)*ri Saturn*(i), *iurid*(i)*co per Italia*(m re)*gionis Transpadanae* (pri)*mo, fratri Arvali, praetor*(i), *cui primo iurisdictio pupillaris a sanctissimis Imp(eratoribus) mandata est, aedil(i) curul(i), ab actis senatus, seviro equestrium turmar(um), tribuno laticlavio leg(ionis) IIII Scyt*(h)*icae, IIIIviro viarum curandar(um), qui providentia maximor(um) imperat(orum) missus urgentis annonae di*(f)*iculitates iuvit et cosuluit securitati fundatis reip(ublicae) opibus, ordo Concordiensium patrono opt(imo) ob innocentiam et labor*(em).

De

Syria Romanorum provincia

ab Caesare Augusto ad T. Vespasianum.

Ex provinciis populi Romani nullam constat imperatorum quidem tempore fuisse maiorem atque opulentiorem quam Syriam, quae cum diu maximam Asiae partem contineret atque etiam postquam finibus deminuta est, dignitate legionumque numero inter reliquas Asiaticas princeps esset, praecipuam semper Caesarum curam requirere solebat. Quare etsi ceterarum provinciarum ratio ad hunc diem fere latuit, Syria tamen multorum et doctissimorum ingenia exercuit. Nam, ut superiores praeteream, qui quia Syria cum Iudaea sacrisque rebus coniuncta est, diligenter eius historiam explorandam esse putarunt, cardinale Norisio, qui et in celeberrimo opere de cenotaphiis Pisanis et in altero non minus insigni de epochis Syromacedonum praesidum Syriacorum historiam tractavit, quid potest esse aut accuratius aut eruditius? Tum nostro tempore et Bartolomaeus Borghesius, antiquarum litterarum in Italia praecipuum decus, Syriae provinciae res multis locis illustravit et, qui nuperrime provinciarum Romanarum, quales sub imperatoribus fuerunt, rationem primus exponere coepit, Ioach. Marquardtius, Syriam imprimis magna cura dignam esse intellexit. Veruntamen etiam post horum virorum disputationes superesse putabamus, quae rectius constituerentur, perpetuaque serie Caesarum legatos, qui inde a proelio Actiaco Syriae praefuerunt, explicare statuimus.

Etenim anno 30 a. Chr., quo Caesar Augustus victum et fugientem Antonium persecutus est atque undique provinciae ad novum dominum defecerunt, praefuisse ei Q. Didium scimus ex Dione LI, 7, qui Arabes narrat ab eo motos classem, quam Antonius fugae causa compararat, exussisse, deinde gladiatores Antonii frustra temptato in Aegyptum itinere eidem sese dedidisse. Hunc Q. Didium constat non fuisse consularem virum, sed praetorium; nam in antecedentium annorum consulibus, qui omnes noti sunt, nemo eius nominis reperitur. Ac dubitari potest, an Didius antea Antonii legatus fuerit imperatoreque infelici deserto interim Augusti nomine provinciam tenuerit. Etenim et Ioseph. Antiq. XV, 6, 7

(bell. Iud. I, 20, 2) eum in gladiatoribus domandis opera imprimis regis Herodis, qui item ab Antonio defecerat, usum esse scribit, neque commemoratur usquam (cui autem Caesar in tantis periculis tantam provinciam modo receptam commisisset, is non poterat non facile et consulatu et reliquis honoribus et magna historiae luce illustrari) et per brevissimum denique tempus provinciae praefuit. Eosdem enim illos gladiatores, qui Didii fidei sese commiserant, Dio addit ab M. Valerio Messalla Corvino, qui consul anno 31 fuerat, per legiones distributos ac deinde per occasionem occisos esse. Hinc Messallam illum Syriae praefuisse colligo neque credo Norisio de cenotaph. Pisan. II, 16, 7, nimis severe eum ex praesidum numero eiicienti statuentique cum imperio modo eum in Syria fuisse. Nam quod egisse narratur in Syria, non video quo modo agere potuerit, si alius ei praeesset, neque alius quisquam ei praefuisse narratur illo tempore, ut quem sciamus ibi fuisse cum imperio, eundem provinciae imperasse recte statuamus. Quamquam concedo hunc quoque per breve tantum tempus Syriam obtinuisse; nam Appian. bell. civ. IV, 38 eum post proelium Actiacum pro consule in Aquitaniam missum esse scribit, unde a. d. VII Kal. Oct. anni 27 a. Chr. triumphavit isque triumphus in fastis notatur. Fuisse igitur eum iudico Syriae legatum inde a medio fere anno 30 usque ad annum 29 medium ac facile fieri poterat, ut Appianus imperium tam breve, in quo nulla praeterea res memorabilis accidisset, silentio praeteriret. Messallae quis successerit, non traditur spatiumque relinquitur fere quadriennii, quod eo difficilius expletur, quod hoc tempore nondum normam illam, quae postea observata est, ut consulares viri Syriae praeessent, valuisse intelligemus. Collocandus tamen erit hoc spatio M. Tullius Cicero, oratoris filius. Eum enim Seneca Suasor. VII tradit, cum Asiam obtineret coenaretque apud eum Cestius rhetor, qui multum de ingenio atque eloquentia Ciceronis patris detrahere soleret, flagris cecidisse hominem patrique de corio Cestii satisfecisse; tum Appian. bell. civ. IV, 51 narrat Octavianum, ut memoriam patris, quem turpiter Antonio prodidisset, restitueret, filio statim pontificatum aliquem, paulo post consulatum et Syriae regimen detulisse (*ἱερέα τε εὐθὺς ἀπέφηνε καὶ ὕπατον οὐ πολὺ ὕστερον καὶ Συρίας στρατηγόν*), quibus testimoniis minus quam oportuit fidem haberi video. Nam Drumannus in hist. Rom. Tom. VI p. 718 Appianum, qui Syriam nominet, deceptum esse censet unique Asiae eum praefuisse iudicat; Henr. Meyerus in Orator. Roman. fragm. p. 537 Senecam memoria lapsum male de Asia tradidisse putat. At utriusque et Appiani et Senecae fides prorsus confirmatur inscriptione apud Orellium n. 572, de qua non recte dubitari ait Borghes. in Bullett. inst. arch. anni 1845 p. 164. In ea enim Cicero filius appellatur *Cos. pro cos. prov. Asiae leg. imp. Caes. Aug. in Syria.* Iam tempus, quo Cicero et Syriae et Asiae praefuerit ut inveniamus, primum observabimus, dupliciter hunc titulum ex certissima consuetudine posse intelligi, ut Ciceronem aut

primum Asiae, deinde Syriae, aut contra praefuisse statuamus; cum enim a principio collocetur consulatus, utraque ratio admitti potest. Deinde Asiae proconsulatus his finibus circumscribitur. Eum obtinere non potuit ante annum 27 a. Chr., quo diviso inter Augustum et inter senatum imperio ea provincia proconsularis constituta est; nam antea imperatorum legati tenuerant. Nec magis administrare eam potuit post annum 13 a. Chr. Cestius enim rhetor est ille, qui saepe apud Senecam commemoratur, qui L. Cestius Pius a Suetonio de claris rhetoribus vocatur, quem denique Hieronymus ad Euseb. Chron. anno 13 a. Chr. Smyrnaeum ait Latine Romae docuisse. Qui cum a Cicerone Asiae proconsule narretur invitatus esse ac castigatus, certe tunc Smyrnae in patria vivebat necdum Romam commigrarat. Tum Syriae administratio ab Appiano, qui inter pontificatum et inter consulatum acceptum paululum temporis intercessisse dicit, ita commemoratur, ut fere subsecuta esse videatur consulatum. Nam quod in ipsa hac inscriptione appellatur *legatus in Syria,* cum antea sit *proc. provinciae Asiae,* non debet esse pro argumento, ut eum initio Augusti nondum satis constituta provincia Syria legatum fuisse putemus; similiter enim cum alias tum imperatoris Neronis tempore in insigni titulo apud Fabrett. 171, 326 *C. Ummidius Quadratus* dicitur *legatus in Illyrico et in Syria*, at *legatus provinciae Lusitaniae et proconsul provinciae Cypri,* unde nihil interesse videmus, utrum praepositio *in* an genitivus provinciae ponatur. Denique si proconsulatus legationis tempori anteponetur, cum proconsul esse non potuerit nisi ex celebri Augusti lege anno 27 lata, qua item constitutum est, ne quis ante quinquennium provinciam sortiretur, legatio in eos annos reiicietur, quorum omnes Syriae legati certissime noti sunt. Quare eum Syriae legatum fuisse iudico paulo postquam consul fuerat, circa annum 28 a Chr., postea Asiae praefuisse, id quod non commemorat Appianus, quia eam non Augusti beneficio, sed legis necessitate ac sorte accepit. Atque aliquot annis post proconsulem eum fuisse inde fit vero simile, quod qui tertius ab eo est in consulum serie, si ab ipso Augusto et M. Agrippa, quorum in proconsulatu sortiendo ratio haberi non poterat, discedas, M. Iunius Silanus, cos. anni 25 a. Chr., proconsulatum Asiae demum anno 14 a. Chr. accepit. Vide Borgh. in Ann. inst. arch. 1849 p. 20.

Iam quamdiu Cicero Syriam obtinuerit aut quis ei in legatione successerit ignoratur; sed proxime tamen ab eo commemoratur Varro quidam. De eo narrat Ioseph. Antiq. XV, 10, 1, cum Zenodorus quidam regulus latronibus, qui in Trachonitide habitabant, auxiliaretur, petisse imprimis Damascenos ab Varrone, Syriae praeside, ut Caesari rem aperiret, eumque rescripsisse exciderentur latrones illi ipsaque eorum terra Herodi custodienda traderetur. Narrarat autem antea Ioseph. XV, 9, 1 de fame, quae tertio decimo Herodis anno i. e. 25 a. Chr. Iudaeam vexarat, proxime narrat XV, 10, 2 de Agrippae adventu, quem anno 23 a. Chr. in Syriam missum esse paulo post intelligemus. Unde hoc

quod de Trachonitide narrat, anno fere 24 a. Chr. accidisse perspicimus. Veruntamen etiam accuratius Varronis illius tempus definit Ioseph. bell. Iud. I, 20, 4, cum ait *μετὰ τὴν πρώτην Ἀκτιάδα* adiectam esse Herodis regno Trachonitidem atque accidisse id ideo, quod Zenodorus latrones illos, quos diximus, adiuverit; propterea Varronem iussu Caesaris regionem expugnasse et purgasse eamque postea traditam esse Herodi (*ἣν γῆν ὕστερον Καῖσαρ ὡς μὴ γένοιτο πάλιν ὁρμητήριον τοῖς λῃσταῖς ἐπὶ τὸν Δαμασκὸν, Ἡρώδῃ δίδωσιν*). Hinc, quod ne priore quidem illo Iosephi loco excluditur, inter Trachonitidem Herodi rite datam et eandem ab Zenodoro ablatam intelligimus intervallum aliquod temporis intercessisse, cum interim eam Syriae praesides tenerent. Subiecta autem est Herodi Trachonitis *μετὰ τὴν πρώτην Ἀκτιάδα*. Actias enim appellatur spatium quadriennii, quod est inter ludos quinquennales in memoriam victoriae Actiacae celebratos, eosque ludos Dio LIII, 1 scribit primum actos esse anno 28 a. Chr. et quidem mense Septembri, quo olim Augustus ad Actium vicerat. Qui cum ita instituti essent, ut per quattuor magna pontificum collegia deinceps celebrarentur, i. e. per pontifices, augures, septemviros, quindecimviros, idem Dio LIV, 19 per quindecimviros impensis Agrippae actos esse scribit anno 16 a Chr., ut discamus Augustum cum primum anno 28 faceret, eos pontificum nomine fecisse, anno 24 celebratos esse ab auguribus, anno 20 a septemviris. Iam cum prima Actias dici possit aut tempus inter ipsam victoriam Actiacam et inter ludos primum celebratos situm aut id quod inter primam et inter alteram ludorum celebrationem intercedit, hanc intelligendam esse docet Iosephi, quem temporis ordinem sequi constat, narratio supra a nobis exposita. Efficitur ut anno primo alterius Actiadis i. e. anno 24 exeunte vel 23 ineunte a. Chr. adiecta sit regno Herodis Trachonitis, Varro autem paulo ante hoc tempus Syriae praefuerit.

Quis autem fuit hic Varro, Syriae legatus? Eum principio observabimus non videri fuisse consularem virum. Cum enim inde ab anno 28 a. Chr. diu nullos consules suffectos esse ex fragmentis Capitolinis constet, qui autem plurimi sane superioribus annis suffecti sunt, praeter unum illum, quem Octaviano Caesari cos. V Kal. Oct. suffectum esse videri disputavimus in comment. epigraph. p. 27, reliqui omnes ope tabulae Campanae notae sint, nemo in his reperitur, qui cognomen Varro habere potuerit. Unde discimus non continuo postquam provinciae inter Augustum et senatum divisae sunt, morem illum, qui postea obtinuit, coeptum esse, ut consulares viri Syriae praeficerentur. Neque id mirum est. Unus enim tunc patebat privatis hominibus locus consularis, cum alterum teneret Caesar, neque iis, qui ante bellum Actiacum suffecti fuerant, quorum pars ex Antonii amicis fuerat, satis fides haberi poterat. Quare demum post annum 23, quo Caesar ipse consulatu abstinere coepit, paulatim hoc introductum esse censeo. Neque tamen probabile est, cui commissa esset a principe Syria, latuisse postea nec ad summum honoris fastigium pervenisse.

Sed Norisius Cenot. Pisan. II, 16, 7 nescit, quis hic fuerit Varro, Sanclementius de aerae vulgaris emendatione p. 417 vel Visellium vel Terentium aliquem Varronem fuisse putat nec tamen definit, quis fuisse videatur. Iam Visellius Varro nullus hac aetate commemoratur nisi is qui cos. suffectus est anno 12 p. Chr., quem non statuemus ante quadraginta prope annos tantae provinciae praeesse potuisse. Qui vel filius est C. Visellii, qui consobrinus erat oratoris Ciceronis, qui paulo post aedilitatem decessit (Cic. Brut. 76, 264), vel, quod magis credo, nepos, ut interiectus sit aliquis C. Visellius, ad quem pertineat Horat. Serm. I, 1, 105; sed ne hic quidem, qui nullis honoribus usus esse videatur, pro legato Syriae haberi poterit. Omninoque Viselliorum familia sub Tiberio maxime florere coepit. Terentii autem Varrones duo hac aetate commemorantur. Unus est ille, qui coniurationem in Augustum fecit, qui anno 22 a. Chr. maiestatis crimine damnatus et occisus est. Is L. Murena vocatur a Velleio II, 91, 2, Licinius Murena apud Dion. LIV, 3, Varro apud Tac. Ann. I, 10, Varro Murena apud Suet. Oct. 19, Tib. 8, ut plena eius nomina fuerint L. Licinius Varro Murena, fraterque Terentiae, Maecenatis uxoris, et C. Proculeii, Augusto familiarissimi, dicitur apud Dion. l. l., unde intelligimus eum cum ex gente Terentia esset, adoptatum esse ab Licinio aliquo. Sed hunc propter duas causas Syriae ab Augusto praefectum esse non credo. Dio enim LIV, 3 narrat eum immodica fuisse linguae libertate, ut in Augustum ipsum petulanter sane inveheretur (cf. Horat. Carm. II, 10), quae res etsi ei impune aliquamdiu cessit, effecit tamen ut Augustus damnato parcere nollet. Quod eius ingenium cum notum esset, non videtur maximam legationem accepisse. Deinde honores eius nulli omnino commemorantur, unde iuvenem fuisse censeo, nobilem nec dicendi imperitum, qui propter ferociam quandam animi et a republica abstineret et tandem ad coniurationem ineundam adduceretur. Etenim diversus utique ab eo est alter Varro Murena, cuius mortis indicium invenitur in fastis Capitolinis, quorum hoc superest fragmentum, quod cum apud Smetium et Gruterum minus emendatum exhibeatur, secundum exemplum a Sanclementio de vulg. aer. emend. p. 14 et 49 prolatum referimus. Ibi igitur anno 23 a. Chr. haec sunt:

CAESAR. DIVI. F. C. N. AVGVSTVS XI A. T . . . . . O. MVREN
ABD. IN. EIVS. LOC. FACT. EST . . . . . EST. IN. E. L. F. E
VS. CN. F. CN. N. PI . . .
LATV. SE. ABDICAVIT. TR . . . .

Quae cum antea alii aliter supplessent, Sanclementius sic intelligenda esse iudicavit, ut scriberet:

CAESAR. DIVI. F. C. N. AVGVSTVS XI A. T[ERENTIVS. VARR]O. MVREN[A
ABD. IN. EIVS. LOC. FACT. EST IN MAG. MORT.] EST. IN. E. L. F. E
[L. SESTIVS. P. F. . . . N CN. CALPVRNI]VS. CN. F. CN. N. P][SO
IMP. CAESAR. DIVI. F. C. N. AVGVSTVS POSTEAQVAM CONSV]LATV. SE. ABDICAVIT. TR[IB. POT.

caque sic solent ab iis qui nunc fastos componunt, accipi. A quo cum ultimus versus rectissime videatur esse suppletus, quae ad A. Terentium Varronem Murenam pertinent, minus satisfaciunt. Eum enim Sanclementius statuit in ipso magistratu decessisse, contra quam sententiam pugnat reliquorum, qui de consulibus huius anni tradiderunt, auctoritas, quorum nemo Varronem Murenam consulem nominat. Nam Dio LIII, 30 Augustum XI cum Pisone habet, item reliqui scriptores certissimumque documentum petitur ex fragmento quod Colotianum nominatur, in quo omnes suffecti perscribuntur. Quod cum solum L. Sestium P. f. habeat, spatium contra positum, in quo alterius suffecti, si ullus esset, nomen collocari debebat, vacuum relinquat, intelligimus Cn. Pisonem non suffectum fuisse, sed ordinarium Kalendisque Ianuariis inisse; eademque ratione in fragmento Albano feriarum Latinarum huius anni consules appellantur Caesar Augustus et Cn. Piso. Quid igitur existimabimus? Nimirum quod necesse est, non inisse Varronem Murenam, sed antequam iniret, esse mortuum. Nam si damnatus esset ante initum magistratum, eius nomen in fastis certe omnino non inveniretur; cum autem in gratia Augusti ante debitum honorem decederet, datum est eius memoriae, ut in publico monumento perscriberetur, cum reliqua, quae rem, non honorem sequerentur, silentio praetermitterent. Ac simile aliquid in comment. epigraph. p. 29 observavimus accidisse anno 34 a Chr., cum M. Antonium, qui quamvis designatus esset, consulatum Romae non iniit, a plurimis auctoribus omitti explicavimus. Certum igitur sit, decessisse hunc A. Varronem exeunte anno 24 a. Chr., unde diversum eum esse ab illo, qui in Augustum coniuravit, quocum a quibusdam confusus est, intelligimus. Nec iam dubium videtur, quin hic sit idem, qui anno 25 legatus Augusti cum Salassis pugnavit, qui Terentius Varro a Dione LIII, 25, Varro a Strabone IV p. 205 vocatur. Recte autem Manutius existimavit, filium esse eius A. Varronis, qui legatus erat Pompeii ante bellum Pharsalicum (Caes. bell. civ. III, 19), qui idem a Cic. epist. XVI, 12, 6 Pompeio imperatore negotium aliquod militare suscepisse narratur, sed victo Pompeio veniam acceperat et in Italia commorabatur (Cic. ad Att. XIII, 50, 4). Cf. etiam Cic. epist. XIII, 22, 1 et p. Caec. 9, 25. Huius igitur filius, qui Caesaris partes ab initio videtur esse secutus, certe fuit hic quem quaerimus legatus Syriae, quem intelligimus ei provinciae praefuisse ab anno fere 28 a. Chr. usque ad annum 26., cum ab Augusto ad aliam legationem avocatus est. Neque obstabit Iosephi quod supra allatum est testimonium, quippe qui tempus aliquod intercessisse dicat, dum Trachonitis a Varrone capta anno 24 a Chr. regno Herodis adiiceretur.

Varroni huic, de quo disputavimus, quis successerit nescitur magnumque spatium vacuum est usque ad annum 12 a. Chr., quo nullus Augusti legatus in Syria nominetur. Atque eo quidem biennio fere quod proxime Varronem insequitur, fuisse quidem censemus legatum Augusti, sed intercidisse eius nomen, in qua lacuna quis collocandus esse videatur,

infra postquam omnem seriem praesidum ab Caesare Augusto Syriae praefectorum persecuti erimus, explicabimus. At anno 23 a. Chr. M. Agrippa in Orientem missus est, et quidem ineunte; nam Dio LIII, 52 eo profectum esse narrat statim postquam Augustus ex morbo convaluit et antequam a. d. V Kal. Iul. tribuniciam potestatem accepit. Succensebat enim Marcellus, quod Agrippam Augustus sibi in morbo praetulisset atque imperii successione dignum esse haud dubie ostendisset. Quare, ne quae apertae inter eos inimicitiae orerentur, Augustus *ἐς τὴν Συρίαν εὐθὺς τὸν Ἀγρίππαν — ἔστειλε· καὶ ὃς ἐκ μὲν τῆς πόλεως εὐθὺς ἐξώρμησεν, οὐ μέντοι καὶ ἐς τὴν Συρίαν ἀφίκετο, ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον μετριάζων ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατηγοὺς ἔπεμψεν, αὐτὸς δὲ ἐν Λέσβῳ διέτριψε,* ut Dio ait, accuratius certe quam Suet. Aug. 66 et Tib. 10, qui Agrippam similiter prope ac postea Tiberius Rhodum se contulit, in honestum quoddam exilii genus abisse tradit. Nam subtraxerit sese sane invidiae Marcelloque, at specie honoris magnaque potestate usus est, quam Dio commemorat, ac breviter etiam significat Ioseph. Antiq. XV, 10, 2 *πέμπεται δὲ Ἀγρίππας τοῦ πέραν Ἰονίου διάδοχος Καίσαρος,* supplens quasi quae Dio prodit. Neque enim recte de hoc loco statuere videtur Norisius in cenotaph. Pisan. diss. II, 16, 8, qui Agrippae tunc censet omnes Orientis provincias esse commissas ad id exemplum, quo anno 17 p. Chr. Germanicus Caesar senatusconsulto accepit provincias quae mari dividuntur maiusque imperium quoquo adisset quam ii qui sorte aut missu principis obtinerent (Tac. Ann. II, 43). Hanc sententiam cum aliis, tum his praecipue de causis probare nequeo. Primum enim Germanico data est pars eius potestatis, quam imperator ipse tunc habebat, ut etiam in populi provinciis plus posset quam qui sorte a senatu eas accepissent, recteque cum totum imperium proconsulare esset penes imperatorem, pars eius Germanico mandari potuit. At anno 23 ineunte, quo Agrippa in Orientem missus est, quomodo potuit mandari, cum Dio LIII, 32 post dimissum Agrippam ipsi Augusto perpetuum imperium proconsulare, ut in omnibus etiam senatus provinciis supra praesides esset, delatum esse narret? Quae porro extitisset Marcelli invidia, si eum, quem ut aemulum timeret, tanta, quantam nemo tunc haberet, potestate exornari vidisset? Nam quod Dio de senatus consulto, quo certe ad Agrippam imperio proconsulari instruendum opus erat, nihil commemorat, nolo urgere, qui eius mentionem saepe intelligam omitti. Deinde nec Dio nec Iosephus de toto Oriente permisso narrant, quorum ille solam Syriam nominat, hic *τὸ πέραν Ἰονίου* commemorat, quod cum possit etiam ad Asiam minorem referri, ne tamen eo referatur, addit Agrippam fuisse *διάδοχον Καίσαρος* i. e. opinor, legatum Caesaris, qui cum tunc nullam potestatem in provinciis senatus populique haberet, ne Agrippa quidem habere potuit. Denique Dio ait Agrippam insigni modestia usum constitisse Lesbi neque in Syriam perrexisse, legatis modo suis eo missis. Qua igitur in re sita erat eius modestia? In eo,

opinor, quod provinciam sibi mandatam, in qua maximi essent exercitus, non adiit atque extra eam potestatem, quam legitime usurpare liceret, remansit. Lesbum autem constat in provincia Asia fuisse: quare Asia non erat in provinciis Agrippae commissis. Quae autem hae erant? Imprimis Syria, tum Cilicia et Cyprus, ac cum Cyprus ab Augusto anno 22 senatui restituta Ciliciaque cum Syria, de qua re infra plura disputabantur, coniuncta esset, Syria sola relicta est, ut iam Dionis, qui hanc unam nominet, et Iosephi, qui *τὸ πέραν Ἰονίου* appellet, auctoritates non amplius inter sese pugnent. Iam Agrippa utrum sic praefuit huic provinciae, ut eodem tempore legati Augusti essent in ea atque ipse superius modo quoddam imperium exerceret, id quod Norisio videtur, an nulli in ea, quamdiu Agrippa praeerat, versabantur Caesaris legati? Mihi quidem nulli videntur esse versati. Quid enim? Num Agrippa suos legatos, qui certe praetoriae dignitatis erant, in Syriam ad res administrandas mittere potuit, si ibi Augusti legatus, fortasse consularis, versaretur? Impudentiae, non modestiae illud erat atque aliter egit postea Germanicus in eadem provincia, qui praesens ipse iussit Pisonem, Tiberii legatum, provincia cedere. Qui cum moriens legatos suos relinqueret, ea ipsa de causa Piso provinciam repetere statuit, quod suum ius potius esse diceret (Tac. Ann. II, 70 et 77). Ac quantopere providerint imperatores, ne in provinciis ex pari praesidum dignitate contentiones existerent, docet etiam Tiberii exemplum apud Tac. Ann. II, 47, qui cum ad urbes Asiae, quae terrae motu afflictae erant, sublevandas legatum mitteret, quia consularis vir Asiam obtinebat, praetorium eligendum esse putavit. Itaque vix videtur esse dubium, quin, quamdiu Agrippa imperium hoc ab Augusto acceptum obtinuit, neque in Syria neque in Cilicia neque in Cypro ulli Augusti legati fuerint, sed iis provinciis Agrippae legati ipso absente praefuerint. Ac cum M. Terentium Varronem docuerimus supra usque ad annum 26 fere exeuntem Syriae praefuisse, Agrippam autem ineunte anno 23 eo venisse constet, biennii illa lacuna existit, quae a nobis significata est.

At quo tempore Agrippa ab hac sua legatione Syriaca abierit, invenire difficilius est occurritque in ea quaestione nobis, quod omnem rationem, quam modo explicavimus, evertere videatur. Nimirum Agrippa cum anno 13 a. Chr. (741 ab urbe) ex Syria Romam redierit (Dio LIV, 28), Iosephus Antiq. XV, 3, 3 sic narrat: *Ἀγρίππᾳ μὲν οὖν ἀνιόντι εἰς τὴν Ῥώμην μετὰ τὴν διοίκησιν τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας δεκαετῆ γεγενημένην*, ut per decem annos eum in Asia imperium habuisse statuat, ac numerare eum apparet hos decem annos ab anno 23, quo primum eum in Syriam profectum esse diximus. Quo loco nonne videtur significare, per totos illos decem annos idem fuisse Agrippae imperium, eandem potestatem? Videatur sane, sed ut praetermittamus quae supra disputata sunt, singulares haec res habet alias difficultates. Scimus enim Agrippam etiam anno 21 Lesbo redisse Romam.

Abierat ipse Augustus anno superiore exeunte in Siciliam, ut et hanc provinciam et reliqua usque ad Syriam (*καὶ τἆλλα τὰ μέχρι τῆς Συρίας*, Dio LIV, 6) constitueret. Quas has provincias, quae usque ad Syriam pertinerent, fuisse putamus? Certe non erat Africa; in hanc enim Suet. Aug. c. 47 semel eum traiicere voluisse ait Sex. Pompeio victo, postea defuisse vel occasionem vel voluntatem. Necesse igitur est fuerint Graecia et Asia. Ipsam Syriam adire noluit, nimirum quia Agrippam ei praefecerat cum summa quam mandare posset potestate, ut ipsius praesentia ibi non opus esset, unde novum deducitur argumentum, ut Agrippae Asiam non commissam fuisse credamus. Veruntamen dum in Sicilia Augustus res componit, ingens seditio Romae orta est propter comitia consularia: unus modo creatus M. Lollius, de altero loco explendo ita certatum est, ut vix tandem Q. Lepidus fieret. Videbat igitur Augustus Romam sine rectore relinqui non posse, redire autem ipse nolebat, quod Asiae et Graeciae res urgerent. Facillimum erat, ut Agrippae praeter Syriam etiam has provincias committeret; sed nec id omnino solus sine senatus consulto facere poterat, nec illum irascentem tunc ac dubiae fidei prorsus sibi aequari volebat. Arcessivit igitur Agrippam Lesbo in Siciliam, nuptiisque Iuliae filiae ornatum atque auctum urbi praefecit, ipse in Graeciam, inde in Asiam perrexit ipsamque adeo Syriam, quamvis tunc etiam Agrippae imperii, visit. Revertit autem Romam IV Id. Oct. anni 19 (cf. nos ad mon. Ancyr. II, 30), quo etiam Agrippa, qui interim Gallias et Hispanias pacaverat, mense Maio rediit (Frontin. de aequaed. c. 10). Tum Agrippa mansit Romae usque ad annum 16, cuius initio denuo in Syriam abiit. Nam cum eodem anno Augustus ipse rursus in Gallias proficisceretur, urbi Italiaeque praefecit M. Statilium Taurum; *τόν τε γὰρ Ἀγρίππαν ἐς τὴν Συρίαν αὖθις ἐστάλκει καὶ τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα οὐκέθ' ὁμοίως ἔχαιρε.* Quare necesse est iam ante profectionem Augusti abierit Agrippa nec recte Norisius auctumno demum abisse censet, propterea quod ludis Actiacis, quos illo anno quartum celebratos esse constat, interfuerit. Dio enim LIV, 19 haud dubie ipsum ab urbe abfuisse significat, cum celebratos eos esse scribat *Ἀγρίππου ἀναλώσαντος* i. e. sumptibus modo eius, non ipso praesidente. Iam Agrippa quomodo in Oriente versatus sit, accurate traditur. Primum enim Asiam provinciam adiit, inde exoratus ab Herode Iudaeorum rege anno 15 Syriam ipsaque Hierosolyma petiit (Ioseph. Antiq. XVI, 2, 1), tum hieme appropinquante reversus in Asiam anno 14 in Pontum Bosporumque navibus abiit (Ios. Antiq. XVI, 2, 2), unde lustrata omni Asia per Ephesum insulasque maris Aegei revertit. Pariter igitur eum in senatus populique et in Caesaris provinciis cum summa potestate versatum esse videmus eandemque rem testantur edicta in Iudaeorum gratiam data, quae Ioseph. Antiq. XVI, 6 affert, et Agrippae ipsius ad Ephesiorum magistratus et senatum et populum, et Iuli Antonii item ad Ephesios, quo exponit, quid Augusto et Agrippae placuerit.

Commemoratque Iosephus adeo epistolam Agrippae ad Cyrenensium magistratus, qui extra Asiam in provincia senatus erant, eodem hoc tempore scriptam, qua item de Iudaeorum commodis praecipit. Quae cum ita sint, quid de Agrippae potestate decennali statuemus, quam in prima eius profectione Caesaris provinciis contineri, in altera ad omnes omnino provincias non Asiae modo, verum etiam Africae pertinere viderimus? Nimirum sic videtur accidisse. Augustus ei primum anno 23 a. Chr. proficiscenti suas modo provincias Asiaticas i. e. Syriam mandavit permisitque, quod saepe factum est, ut absens eam per legatos administraret. Cum autem eum anno 21 in Siciliam revocasset generumque sibi ascivisset, anno 18 senatus eum principi aequandum esse existimans et tribuniciam potestatem et alia quaedam tribuit, qua de re Dio LIV, 12 sic scribit: *ἔπειτα δὲ καὶ τῷ Ἀγρίππᾳ ἄλλα τε ἐξ ἴσου πη ἑαυτῷ καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον ἔδωκε.* Quae erant alia illa, quae Agrippam quodammodo aequarent Augusto? Nimirum proconsulare imperium perpetuum, quod Augustus ipse anno 23 una cum tribunicia potestate acceperat, ut non in urbe modo ipsa sacrosanctus esset, sed etiam in provinciis plus posset quam praesides. Atque hoc ille proconsulari imperio usus est in altera profectione, cum Asiam et Pontum et Cyrenas, quae senatus provinciae erant, constitueret. Namin Caesaris quidem provinciis i. e. in Syria (nam ea tunc una erat in Asia imperatoris provincia) nullo amplius mandato opus erat, quam etiam cum abesset ab anno 21 usque ad annum 16 per legatos suos rexit, neque in ea ullos alios fuisse Caesaris legatos per totum hoc decennium ex ipsa hac Iosephi auctoritate, qui decennii ei imperium tribuat, apparet, quod imperium nullum prorsus esse poterat, nisi legatis usus esset. Unum modo in Iosepho possit reprehendi, si tamen potest, quod in Asia imperium Agrippae fuisse minus accurate scribat, cum proprie in Syria tantum fuerit. Itaque Iosephus, cum huius temporis res diligentissime enarret, nullum Syriae legatum, qui cum rege Herode egerit, commemorat, at anno 12 a. Chr., cum abisset Agrippa, continuo nominat. Ut autem in Syria nulli fuerant praeter Agrippam Caesaris legati, ita suos solitos praesides habuerant Asia ceteraeque senatus provinciae, velut anno 14 a. Chr. Asiae M. Silanum, qui cos. fuerat anno 25, praefuisse constat.

Successit M. Agrippae, sed nequaquam pari potestate M. Titius, qui cos. fuerat ex Kal. Maiis anni 31 a. Chr., neque omnino inde ab hoc tempore quisquam Syriam rexit praeter consulares homines. Diximus de eius consulatu ipsi in commentationibus epigraphicis p. 43 neque repetemus, quae de eius vita tradita sunt. Syriae quidem eum praefuisse ait Ioseph. Antiq. XVI, 8, 6, cum ab rege Herode Archelaum Cappadocum regem cum Titio Syriae legato reconciliatum esse scribit idque accidisse significat, antequam Herodes tertium Romam profectus est. Veruntamen haec tertia profectio Herodis quo anno acciderit,

incertum est, cum alteram ab eo anno 12 a. Chr. susceptam esse optime docuerit Norisius Cen. Pis. II c. 6. Nam unum illud temporis signum, quod de tertia profectione invenit Norisius, admodum videtur esse dubium. Cum enim Herodes Augustum Romae adisse videatur, hunc anno 10 fuisse in Gallia, item inde a Kal. Ian. anni 9 usque ad ineuntem annum 8, quo luctu Drusi deposito in urbem introisse eum narret Dio LV, 5. Hoc igitur anno 8 a. Chr. Herodem Romae fuisse. Veruntamen Iosephus nequaquam scribit Romae Herodem ad Augustum adisse, qui cum Drusum lugens anno 9 exeunte prope Romam versaretur, non minus facilem praebebat aditum quam in ipsa urbe; tum anno 10 exeunte Augustum fuisse in urbe testatur Dio LIV, 36, ex Gallia Lugdunensi reversum, atque hoc maxime anno tertiam Herodis profectionem collocandam esse duabus ex causis statuo. Quarum prior haec est, quod cum revertente in Iudaeam Herode iam praefuisse Syriae constet Sentium Saturninum, hic, si anno 8 a. Chr. inierit legationem, quoniam anno 6 eum rursus decessisse certum est, in nimis angustos fines coerceatur. Alterum de Titio testimonium est Strabonis XVI, 1, 28, qui Phraatem, Parthorum regem, narrat tantopere Augusti amicitiae studuisse, ut ei et tropaea, quae de Romanis erexerant Parthi, remitteret et in colloquium congressus cum Titio, qui Syriam regeret, quattuor filios cum uxoribus et quattuor nepotibus Romam deducendos asservandosque traderet. Hoc visum est multis pugnare cum diligentissima Dionis narratione, qui libr. LIV, 8 refert anno 20 a Chr. Phraatem Augusto tum in Asia commoranti bellumque minanti restituisse et signa (σημεῖα) et captivos qui reliqui erant. Quae res cum saepe ac multum a scriptoribus illius aetatis celebrata sit, diversa ratione a duobus gravissimis auctoribus tradi non potuit. Nec videntur inter sese dissentire. Etenim aut Dio de legionum aquilis et de captivis redditis loquitur, quae Parthi metu belli adducti restituerunt, Strabo, qui etiam libr. VI, 4, 2 tropaea appellet, postea, ut maiora amicitiae testimonia exhiberet, Phraatem ait integra tropaea destructa remisisse: aut, si cui hoc quod inter signa militaria et inter tropaea statuimus discrimen minus placuerit, Strabo, quae diversis temporibus facta sunt, de signorum restitutione et de liberis Romam missis, quia genere similia erant, coniunxit. Veruntamen sive haec sive illa ratio placebit (neque utra rectior sit decernere audeo), quo tempore est factum, ut filii nepotesque Phraatis Romanis traderentur? Nam neque Augustus, qui in indice rerum a se gestarum tab. VI, 3 ipse commemorat, nec Tac. Ann. II, 1 tempus addit. Referenda huc videntur esse, quae in Livii epitome libr. CXXXIX sunt: *Pax cum Parthis facta est, signis a rege eorum, quae sub Crasso et postea sub Antonio capta erant, redditis.* Haec ibi media inter Claudii Drusi bella Germanica commemorantur videnturque interpretibus librariorum fraude in falsum locum esse traiecta. Equidem ut eum qui epitomen confecit, minus apte quae apud Livium invenerat, coartasse fateor, ita librariorum

ullam culpam intercessisse nego. Explicarat Livius id ipsum quod Strabo narrat, de artiore amicitia iuncta filiisque Phraatis Romam missis: commemorarat ibidem de signis olim redditis vel quae antea de ea re uberius narrarat, paucis repetiverat. Quae epitomator ille imperite sane, sed suo tamen loco retulit, ex quibus intelligemus, ante ultimam Drusi expeditionem, i. e. anno 10 exeunte, et Phraatis liberos esse Romam missos et Titium praefuisse Syriae.

M. Titio in regenda provincia successisse C. Sentium Saturninum constat ex Ioseph. Antiq. XVI, 9, 1, qui Herodem narrat, simul ac Roma rediit, cum latrones quidam eius regnum vexassent, egisse cum Saturnino et Volumino, *τοῖς Καίσαρος στρατηγόσι*, eosdemque paulo post *τῆς Συρίας ἐπιστατοῦντας* appellat. Item Saturninum, Syriae legatum, virum consularem magnaeque auctoritatis esse ait Antiq. XVI, 11, 3 et XVII, 2, 1 tertium commemorat. Unde duae res certo efficiuntur, primum Saturninum hunc esse C. Sentium Saturninum, qui anno 19 a. Chr. per sex menses solus consulatum obtinuit, cui Kal. Iuliis M. Vinicius successit, deinde anno 9 praeesse coepisse Syriae. Multa doctissime de hoc viro disputat Norisius in Cen. Pis. II, 16, 10, ex quibus faciendum videtur esse, ut praecipua quaedam persequamur, praesertim cum denuo nunc dubitationes moveri viderimus. Atque hoc quidem non est dubium, quin sit ille C. Sentius C. F. C. n. Saturninus, qui in fastis Capitolinis anno 17 a. Chr. inter magistros XVvirum sacris faciundis secundus post Augustum nominatur, unde quanta auctoritate fuerit, intelligimus. Nam qui tertio loco commemoratur M. Claudius Marcellus, qui fuit cos. anno 22 a Chr., si sola dignitas spectaretur, quia vetustior consularis erat, antecedere debuit. Nisi forte, id quod sane probabile est, praeter Augustum ex magisterii tempore nomina collocata esse putabimus. Ad eundemque hunc C. Sentium refert Norisius, quod Vellei. II, 77 narrat anno 39 pace Misenensi *et alios clarissimos viros et Neronem Claudium et M. Silanum Sentiumque Saturninum et Arruntium ac Titium* reipublicae esse restitutos, cum Hoekhius in Pauli Encyclop. Real. VI p. 1048 hunc Velleianum diversum esse statuat. Minus, ut mihi videtur, recte. Nam si a Nerone Claudio, Tiberii imperatoris patre, qui anno 32 obiit, discedamus, M. Silanus fuit cos. ann. 25, Arruntius ann. 22, Titius ann. 31, ut Sentium Saturninum postremum illum quidem ex his quos Velleius nominat, sed eadem tamen aetate consulatum adeptum esse videamus. Quodsi Velleianus hic Saturninus est is, de quo dicimus, certe item est ille, qui apud Appian. bell. civ. V, 52 narratur anno 40 a. Chr. cum L. Scribonio Libone aliisque nobilibus viris a Sex. Pompeio missus esse, ut Iuliam matrem ad M. Antonium Athenas deduceret, nec minus ad eum pertinebit Appian. bell. civ. V, 139, qui anno 35 tradit Cassium Parmensem, Nasidium, Saturninum, Thermum, Antistium ipsumque Libonem a Pompeio ad Antonium defecisse. Erat autem C. Sentius hoc Pompeii bello

iuvenis etiamtunc, certe non ultra trigesimum aetatis annum progressus, siquidem supervixit etiam postquam Syriae praefuit. Missus enim est anno 2 vel 3 p. Chr. ab Augusto in Germaniam, cuius legatum eum fuisse ait Vellei. II, 105; tum postquam anno 4 Tiberius, iam in spem imperii adoptatus, cum summo imperio in Germaniam et Illyricum venit, ita retinuit imperium, ut huius legatus fieret, easque res gessit, quas Velleius l. l. luculente narrat. A quibus cum anno 6 p. Chr. ingenti Pannoniorum et Delmatarum seditione avocaretur, gravatus, opinor, senectute Romam rediit triumphaliaque insignia accepit: bello quidem eum non amplius interfuisse putamus. Nam in Germania P. Quinctilium Varum, de quo paulo post dicemus, ei successisse constat, neque in Pannoniarum excidio commemoratur. Quodcum C. Sentius usque ad annum 6 p. Chr. adeo aetate ac viribus floruerit, ut molestissimum bellum administraret, dubium non est, quin etiam ultra vixerit Tiberiique imperium assecutus sit, cuius initiis si decessit (ac videri tunc decessisse aliis documentis infra demonstrabimus), paululum aetatis annum septuagesimum egressus est. Tardius autem eum cum ad alios honores tum ad legationem Syriacam esse evectum, ex filiis etiam eius perspici potest, quos in ea tres secum habuit, ex quibus duo iam praetoriae dignitatis patris legati erant. Nec dubium est, quin duo hi fratres, C. et Cn., sint ii, qui anno 4 p. Chr., quo tempore pater in Germania bellum gerebat, alterum locum consularem obtinuerunt [1]).

Successorem C. Sentio in legatione Syriaca missum esse narrat Ioseph. Antiq. XVII, 5, 2 P. Quinctilium Varum, celebrem clade, qua in Germania periit, quem consulem fuisse scimus toto anno 13 a. Chr. ex tabula Colotiana. Eundem Africae proconsulatum administrasse

---

1) In his filiis existit singularis quaedam difficultas, quae si nulla esset, de legatis proconsulis Syriae quot tunc fuerint nulla relinqueretur dubitatio, quae nunc quodammodo superest. Etenim Ioseph. Antiq. XVI, 11, 3, de iudicio referens, quod rex Herodes de filiis suis Beryti habuit, primum praesidis Saturnini, qui capitis absolvebat, sententiam narrat, deinde sic ait: *μετ' ἐκεῖνον οἱ Σατουρνίνου παῖδες, εἵποντο γὰρ αὐτῷ τρεῖς ὄντες πρεσβευταὶ, τὴν αὐτὴν γνώμην ἀπεφήναντο*, ut significare videatur, tres fuisse Saturnini filios eosque apud patrem legatorum munere esse functos. At idem Iosephus bell. Iud. I, 27, 3 de eodem iudicio narrans paulo aliter dicit: *σύμψηφοι δὲ αὐτῷ καὶ οἱ δύο πρεσβευταὶ γίνονται καὶ τούτοις ἕτεροί τινες ἠκολούθησαν;* paulo autem prius eos qui iudicio intererant enumerans sic habet: *προκαθέζοντο δὲ οἱ ἡγεμόνες — Σατουρνῖνός τε καὶ οἱ περὶ Πεδάνιον πρέσβεις.* Quot igitur erant Saturnini filii, quot legati? Nam Pedanius quoque, etsi nulla alia ratione notus est, dubitari non debet, quin legatus fuerit. Necesse est igitur Iosephus priore loco paulo minus accurate dixerit. Tres tunc in Syria legiones fuisse ait Ioseph. Antiq. XVII 10, 9 et bell. Iud. II, 5, 1; totidem igitur legatos Saturninus habebat, quot omnino consularibus viris esse ait Dio LIII, 14. Neque tres Saturnini filios fuisse legatos videtur probabile. Nam cum legatione qui fungerentur, praetores vel fuissent vel futuri essent proxime, nec tanti viri filii non possent cito ad consulatum evehi, quoniam duo modo anno 4 p. Chr. reperiuntur fuisse consules, tertium vel antequam ad honores pervenit, interceptum esse vel honoribus omnino abstinuisse putabimus. Tertii autem legati locum obtinebit Pedanius.

docent nummi apud Eckhel. D. N. IV p. 133, de quibus doctissime disputat Borghesius in Observat. numism. dec. VI n. 5 (Diurn. Arcad. ann. 1822, 3 p. 57 sq.). Syriae autem eum praefuisse ex nummis, quos Norisius de anno et epochis Syromacedonum diss. III § 7 et Eckhel. D. N. Vol. III p. 275 afferunt, intelligimus annis 6 et 5 et 4 a. Chr. Proconsulatum Africae quaeritur quando gesserit. At cum celeberrima sit Augusti de provinciis populi administrandis lex, ne quis post gestum honorem ante quinquennium in provinciam proficiscatur, quoniam anno 13 consul fuit, certum est eum ante annum 7 a. Chr. in Africam abire non potuisse. Ut autem ante legationem Syriacam i. e. ipso anno 7 a. Chr. eum Africae praefuisse doceat, Borghesius l. l. sic ratiocinatur. In sortiendis provinciis cum ea quam supra diximus lex esset, ne quis ante quinquennium sortiretur, tum hoc moris fuisse, ut aetatis ordine provincias sortirentur quique vetustissimi essent consularium, ii primi, reliqui deinceps alterutram ex consularibus provinciis, aut Africam aut Asiam, acciperent. Iam Iulum Antonium, cos. anni 10 a. Chr., proconsulem Asiae fuisse tradi apud Ioseph. Antiq. XVI, 6, 7, eundemque anno 2 a. Chr. propter adulterium Iuliae esse occisum, qui si in ultimum annum reiiciatur, necesse esse Asiae praefuerit anno 3 a. Chr., sed videri adeo antea in provincia versatum esse, quia extremo tempore ante mortem probabile sit eum in urbe et cum Iulia fuisse. Quem cum Varus consulatus tempore antecesserit, oportere etiam proconsulatu anteierit. Ita cum Varum constet inde ab anno 6 per triennium fuisse in Syria, effici, ut antea ipso anno 7 a. Chr., quo primum per leges licuit, in Africa fuerit. Qua ex ratiocinatione quod efficitur probo, ipsam ingeniosiorem esse iudico quam veriorem. Observavi enim, his initiis Augusti aliam esse rationem proconsulum Africae, aliam Asiae, id quod cum longum sit multis exemplis demonstrare, intelligetur tamen satis ex iis, quos infra commemorabimus, utriusque provinciae praesidibus. Africa enim fere iusto tempore i. e. statim post exactum legitimum quinquennium obtinebatur, Asiae proconsulatus in multos annos differebatur. Idque ea de causa videtur accidisse, quod Africa, quae tunc et exercitu ornata et barbaris populis circumdata esset, non videretur posse committi nisi iis, quos Augustus ipse virtute atque usu belli spectatos ad consulatum evexisset, at Asia pacata facile cuivis, quem civilium discordiarum necessitas extulisset, mandabatur. Veruntamen quacunque hoc de causa accidit, certe accidit, efficiturque hac quoque ratione, quod Borghesius statuit, ut P. Quinctilius anno 7 a. Chr. Africae praefuerit, ac continuo post proconsulatum per triennium Syriam rexerit. Ac consentiunt quae Iosephus de eo narrat. Primum enim commemoratur ab eo in Antiq. XVII, 5, 2, ubi iudicium exponitur, quod rex Herodes Hierosolymis de Antipatro filio habuit. Cf. bell. Iud. I, 31, 5 sq. Id iudicium cum legatione Romam missa ab Augusto confirmatum patrique omnis potestas de filio statuendi relicta esset (Antiq. XVII, 7, 6), acciderit necesse

est anno 5 a. Chr., quo imperatoris beneficio laetus cum Herodes paululum convaluisset, deinde Antipatrum filium immature regno imminentem occidisset testamentumque mutasset, decessit anni 4 a. Chr. Aprili mense ineunte [1]). Verum etiam postea Varum Syriae praesidem Iosephus nominat, qui postquam Herodis obitum comperit, in Iudaeam ipse pervenerit (Antiq. XVII, 9, 3), deinde Antiochiam redierit, tum rursus Archelao rege Romam profecto cum seditio magna Hierosolymis festis diebus Pentecostes orta esset, cum duabus legionibus accurrerit tumultusque omnes compresserit, ad quod tempus pertinent etiam quae Tacitus Hist. V, 9 scribit. Necesse igitur est, usque ad exitum fere illius anni quarti a. Chr., quo Herodes mortuus est, Varus Syriae praefuerit. Quaeritur autem, quando ex provincia decesserit. Nihil enim aliud quod in Syria gesserit, traditur, ac Iosephus ipse et in Antiq. XVII, 7, 3 et bell. Iud. II, 7, 3, postquam initia regis Archelai Varianae legationis exitui tempore aequalia accurate narravit, tam insignem lacunam habet, ut, ubi confirmatum regnum ab Augusto retulit, de ipso regno nihil omnino commemoret idque solum tradat, demptum id ei esse ab Augusto. Quam rem eo magis mirari soleo, quod per illud decem annorum spatium plurimas res accidisse video commemoratione dignissimas, velut Gaii Caesaris, Augusti filii, adventum bellumque Parthicum, quae silentio ab Iosepho praetermissa esse vix mihi persuadere possum. Veruntamen in Syria quidem Varus non amplius commemoratur; postea autem notum est praefuisse eum Germaniae, in qua provincia cum successisset, ut in Syria, Sentio Saturnino anno 7 p. Chr., imprudentia cladem illam Teutoburgiensem accepit, qua nomen eius nobilitatum est. Mors eius diserte a Velleio libr. II, 120 illustratur; uxor eius fuit Claudia Pulchra, propinqua Agrippinae, neptis Augusti (Tac. Ann. IV, 52), filius duxit Iuliam, filiam Agrippinae illius et Germanici (Senec. controv. I, 3) accusatusque ab Domitio Afro anno 27 p. Chr. periit (Tac. Ann. IV, 66). Ita cum esset coniunctus cum domo imperatoria, nemo tamen fuit virorum doctorum, qui eum Syriae praefuisse censeret inde ab anno 6 a. Chr. usque ad annum 6 p. Chr., quo Germaniae praefectus est neque ipse Norisius Cenot. Pis. III, 16, 11, qui nihil nosset nisi anno 6 p. Chr. Q. Sulpicium Quirinium in Syriam missum esse, dubitavit, quin legati alicuius inter hos duos interiecti memoria intercidisset. Etenim Dio Cass. LII, 23 inter consilia, quae Maecenas Augusto ad imperium obtinendum dat, etiam hoc refert, ne quem legatum provinciae praeesse pateretur diutius quinquennio neve brevius triennio: sic enim maxime effici, ut qui provinciis praesint, et satis eas cognoscant neve diuturnitate imperii supra principis dignitatem extollantur. Quam etsi non arbitror certam fuisse legem aliquam (cur enim lege uteretur imperator in ea re, quae ex arbitrio suo penderet), mos certe fuit ac consuetudo: quare quis putabit Varo provinciae maximae tri-

1) Accurate enim hoc expositum est ab Idelero in Chronolog. Vol. II p. 392.

busque legionibus instructae imperium plus quam undecim annos esse relictum? Atque inventus est, postquam Norisius illa scripsit, unus certe, qui hoc spatio Syriam rexerit, L. Volusius Saturninus. Etenim nummus est Antiochensium apud Eckhel. D. N. Vol. III p. 275, in quo legatus Syriae appellatur anno trigesimo quinto aerae Antiochenae, qui annus incipit ab auctumno anni 4 p. Chr. Qui si hoc anno Syriae praefuit, certe etiam insequenti praefuit usque ad annum 6 p. Chr., quo P. Sulpicium Quirinium in Syriam missum esse constat, ut Archelai regnum in formam provinciae Romanae redigeret. Disputavit de eo cum solita sua eruditione Borghes. in Observat. numismat. dec. VI, 6 (Diurn. Arcad. anni 1822, 3 p. 63). Nam filius videtur esse Q. Volusii, qui legatus fuit Ciceronis in Cilicia (Cic. ad Att. V, 21, 6 et epist. V, 20, 3), eiusdemque in eloquentia discipulus (Cic. epist. V, 10), quem quidam satis commode generum esse existimarunt Ti. Neronis, avi imperatoris Tiberii. Hic autem Lucius, cum maiores intra praeturam constitissent, primus in familiam suam consulatum intulit. Constat enim ex inscriptione eum anno 12 a. Chr. Kal. Aug. in locum P. Sulpicii Quirinii suffectum esse notabilisque de eo locus est apud Tac. Ann. III, 20, qui anno 20 p. Chr. eum decessisse ait et inter honores eius hunc consulatum ac censoriam potestatem aliquando ad legendas equitum decurias acceptam commemorat. Praeterea nummus apud Eckhel. Doct. numm. Vol. IV p. 133 aliique apud Borghes. l. l. eum ostendunt Augusto imperante viventibusque etiamtunc C. et L. Caesaribus proconsulem fuisse Africae, unde, cum consulatu P. Sulpicium Quirinium exceperit et a P. Quinctilio Varo tertius fuerit, eum anno 5 a. Chr. Africam administrasse satis certe colligemus. Nec vero ipse modo floruit honoribus, verum etiam posteri, ut filius, anno 3 p. Chr. Kal. Iul. consul suffectus cum P. Silio, qui in summa senectute anno 56 p. Chr. decessit (Tac. Ann. XIII, 30), quo eodem anno Kal. Ian. nepos eius Q. Volusius consulatum iniit. Veruntamen hunc L. Volusium, de quo disputamus, etsi nescimus quando inierit legationem Syriacam, decessisse certum est anno 6 p. Chr. A quo anno si regredimur ad annum 6 a. Chr., quo P. Varum inisse constat, efficiuntur undecim vel duodecim anni, qui ex more Augusti, quem supra diximus, duorum consularium legationibus expleri nequeunt, unde efficitur, ut unus certe legatus inter P. Varum et L. Volusium intercesserit; sed duo etiam facile ferentur.

Iam ut hunc qui desideratur Syriae praesidem inveniamus, quoniam aliorum scriptorum auctoritate deserimur, accedamus ad quaestionem illam difficillimam, quae inde a veteribus temporibus plurimorum virorum doctorum ingenium ac doctrinam exercuit, quo anno Christus natus sit, sed ita accedamus, ut id sequentes, quod nobis propositum est, ut praesides Syriae inveniamus, reliqua praetermittamus. Nam omnia hercle quae cum hac quaestione sunt coniuncta, si persequi vellemus, longe alio deduceremur. Lucas enim

evangelista c. 2 init. quo tempore a Maria conceptus sit Christus, censum actum esse scribit per totum imperium Romanum eumque censum primum fuisse praeside Syriae Quirinio. Haec autem eius verba sunt: *Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην· αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.* Ea cum doctissimi viri varie vel explicarint vel etiam correxerint, nunc video ab iis, qui diligentiam quandam criticam cum rerum accurata exploratione coniungere cupiunt, sic maxime exponi, ut censum actum esse statuant antequam Quirinius Syriae praefuerit. Quem cum constet anno 6 p. Chr. in hanc provinciam ad regnum Archelai componendum advenisse eodemque tempore genus quoddam census egisse, non aliter putabant Lucae testimonium cum reliquorum scriptorum auctoritate posse conciliari. Sed hanc interpretationem etiamsi concedamus non abhorrere ab Graecae linguae consuetudine (ac de hac quoque re non immerito poterit dubitari), recedere certe intelligo ab eo, quod aptum et naturae est conveniens, neque ipsi illi, qui sic interpretantur, si ulla alia ratio detur, non libenter eo redeant, quo sponte sua deducantur. Longissime vero recedit ab vetustissimorum doctrinae Christianae patrum opinione, qui Lucae fidem similiave testimonia ita sequuntur, ut anno 3 a. Chr. exeunte vel anno 2 ineunte et censum a Quirinio actum et Christum natum esse existiment. Apertissime dicit Eusebius hist. eccl. I, 5: *Ἦν δὲ οὖν τοῦτο δεύτερον καὶ τετρακοστὸν ἔτος τῆς Αὐγούστου βασιλείας, Αἰγύπτου δὲ ὑποταγῆς καὶ τῆς τελευτῆς Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰς ἣν ὑστάτην ἡ κατ' Αἴγυπτον τῶν Πτολεμαίων κατέληξε δυναστεία, ὀγδόον ἔτος καὶ εἰκοστὸν, ὁπηνίκα ὁ σωτὴρ καὶ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐπὶ τῆς τότε πρώτης ἀπογραφῆς, ἡγεμονεύοντος Κυρινίου τῆς Συρίας, ἀκολούθως ταῖς περὶ αὐτοῦ προφητείαις, ἐν Βηθλεὲμ γεννᾶται τῆς Ἰουδαίας.*[1]) Augusti imperatoris annos apparet numerari ab anno 43 a. Chr., quo primum consul factus est, ex quo quadragesimus et alter incidit in annum 3 a. Chr., item duodetrigesimus ab Aegypto subacta, ex quo tempore omnino Aegyptios tunc annos numerare consuevisse notum est. Nihil igitur dubii est, quin Eusebius anno 3 a. Chr. et censum actum et Christum natum esse censuerit, itemque Irenaeus adv. haer. III, 25, Tertullianus adv. Iudaeos c. 8 p. 89, Clemens Alexandrinus Strom. I p. 147, quorum verba ipsa afferri non opus est. Tres hic quaestiones miscentur, quarum prima est de anno, quo Christus natus sit, ex aliis multis praeterea testimoniis apta, altera de censu, qualis fuerit, deinde utrum Augusti imperatoris an Quirinii Syriam regentis primus fuerit (etenim hoc quoque quamvis fere a viris doctis omitti videam, recte potest quaeri), tertia denique de

1) Cf. Zonaram Annal. X, 39, qui auctore Eusebio usus eandem sententiam profert et quibus argumentis ex ipsa Christi historia petitis commendetur explicat.

Quirinio. Quae quaestiones cum sint quadam ratione inter se coniunctae, sunt tamen proprie diversae. Fieri enim potest, ut anno 3 a. Chr., quem dicunt veteres Christianorum scriptores, Syriam rexerit Quirinius, non natus sit Christus aut census actus. Quare nos hoc loco, praesertim cum propositum nostrum egredi non placeat, duas quaestiones vel omittemus vel alii tempori relinquemus: de solo Quirinio quando Syriae praefuisse videatur, agemus. Certe enim quoniam legatus Syriae appellatur, omitti a nobis non debet. Praecipuum igitur de eo testimonium est apud Tacitum Annal. III, 48, ubi mortem eius anno 21 p. Chr. referens sic tradit: *Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit* (Tiberius) *in senatu laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat.* Qui cum obscuro et ignoto genere ortus esse dicatur, de genere nihil narrari potest nec magis de acribus ministeriis, quibus Augusti gratiam meruit. Consulatum quidem adeptus est Kal. Ian. anni 12 a. Chr. cum M. Valerio Appiano tenuitque usque ad Augustum fere mensem, cum suffectus est is, de quo modo diximus, L. Volusius Saturninus. Deinceps Homonadensium castella per Ciliciam ab eo expugnata esse scribit Tacitus. Quaeritur, cui provinciae Quirinius praefuerit, cum hanc victoriam reportaret atque triumphi insignia mereretur, quod ut inveniatur, videndum est, ubi Homonadenses siti fuerint. Eos Plinius nat. hist. V, 23, 94, postquam Syriam et Ciliciam enarravit, in ultima Cilicia prope gentem Isauricam collocat: *Simili modo omnibus, qui eadem composuere, ignorata est contermina illi gens Homonadum* (sic enim scripsit nuper Silligius), *quorum intus oppidum Homona. Cetera castella XLIV inter asperas convalles latent,* ubi item ut apud Tacitum castella commemorari videmus. Strabo saepius eos commemorat; nam libr. XIV, 4, 1 in Cilicia aspera prope Isauros collocat, tum libr. XIV, 4, 24 prope Pisidas, denique libr. XII, 6, 5 inter Isauros recenset eorumque cladem sic refert: *Ἐκείνους δὲ Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις, τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ.* Convenit igitur ei in loco narrando cum Plinio, in re ipsa cum Tacito. Iam quattuor omnino vel quinque provinciae cogitari possunt, quibus praefuerit Quirinius cum Homonadenses domaret, eo nimirum tempore, quod Tacitus definit, quod est inter annum 12 a. Chr., quo consulatum gessit, et inter annum 1 a. Chr., quo eum C. Caesari rectorem datum esse infra explicabimus. Prima ex his provinciis est Asia, quam consulares viri sortiri solebant, quam omnes viri docti, quos novi, veluti qui nuperrime de hac re scripserunt, Mommsenius et Bergmannus administratam esse ab Qui-

rinio statuerunt. Equidem vix hoc quaerendum esse video, utrum proconsul Asiae praefuerit, cum Homonadenses vinceret, necne; nunquam enim eum Asiae pro consule fuisse demonstrari potest. Etenim Florus libr. IV, 12, 40, ubi bella ab Augusto gesta secundum provincias, in quibus fuerunt, enumerat, haec habet: *Sub meridiano tumultuatum magis quam bellatum est. Musulanios atque Gaetulos, accolas Syrtium, Cosso duce compescuit: unde illi Gaetulici nomen. Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas Quirinio subigendos dedit. Potuit et ille redire Marmaricus, sed modestior in aestimanda victoria fuit.* In his apparet victorias proconsulum Africae recenseri. Una enim Augusto imperante in Africa erat proconsularis provincia, quoniam Mauretania tunc regibus parebat, Numidiamque ab Africa seiunxit demum C. Caesaris suspicio. Gaetuli autem subiacent huic proconsulari provinciae, item Garamantes (cf. Strabo XVII, 3, 19), qui inter Syrtes siti in interiorem Africam pertinebant; quare etiam in bello, quod imperatore Tiberio cum Tacfarinate Numida gestum est, rex Garamantum commemoratur, apud Tac. Annal. IV, 23. Uni Marmaridae paululum suspicionis movere possint, an ab alio praeside domiti sint. Proprie enim Marmarica appellatur litus inter Aegyptum et Cyrenas interiectum, unde fit, ut Ptolem. IV, 5 prope Aegypto accenseat. Veruntamen hoc nomen cum postea in litore remanserit, pertinere etiam in interiorem Africam Ptolemaeus ipse significat, qui Nasamones, quos iuxta Garamantes habitasse constat, Marmaridis annumeret, ac plane hoc demonstrat Strabo XVII, 3, 23, Marmaridas etsi prope Cyrenas habitare ait, nec Cyrenaicae nec Aegypto attribuens: *Τὴν δ᾽ ὑπερκειμένην ἐν βάθει χώραν τῆς Σύρτεως καὶ τῆς Κυρηναίας κατέχουσιν οἱ Λίβυες, παράλοπρον καὶ αὐχμηράν· πρῶτον μὲν οἱ Νασαμῶνες, ἔπειτα Ψύλλοι καί τινες Γαιτοῦλοι, ἔπειτα Γαράμαντες· πρὸς δ᾽ ἕω ἔτι μᾶλλον οἱ Μαρμαρίδαι, προχωροῦντες ἐπὶ πλέον τῇ Κυρηναίᾳ καὶ παρατείνοντες μέχρι Ἄμμωνος.* Cf. etiam Plin. nat. hist. V, 5, 33 et V, 6, 39, qui Marmaridas usque ad Syrtim maiorem porrigi ait atque in regione Aegypto contermina habitare. Quare nec de Cyrenarum praeside nec de praefecto Augustali Aegypti cogitandum est, quorum ille praetorius vir erat et a senatu electus exercitu bellique maioris inferendi facultate carebat, hic equestri modo dignitate erat. Remque conficit L. Balbi exemplum, qui cum anno 19 a. Chr. ex Africa provincia triumpharit, ut ex fastis Capitolinis intelligitur (cf. commentationes epigraphic. p. 41), dicitur a Plin. nat. hist. V, 5, 36 ipsas has gentes, quas Florus nominat, superasse. Certum igitur est duorum Africae proconsulum victorias a Floro commemorari. Nec vero eas temporis, quo reportatae sunt, ordine refert. Cossus enim est is, qui Cn. Cornelius Lentulus a Tac. Ann. IV, 44 dicitur, quem consulatum et triumphalia ornamenta de Gaetulis peperisse et anno 25 p. Chr. decessisse ait. Consul autem fuit anno 1 a. Chr., quare cum quinquennium utique inter gestum honorem et provinciae administrationem interesse opor-

teat, Africae non ante annum 5 p. Chr. praeesse potuit, ac praefuisse anno 6 p. Chr. docet Dio LV, 28 hoc anno victoriam illam Gaetulicam sic narrans: *Καὶ Γαιτοῦλοι τῷ Ἰούβᾳ τῷ βασιλεῖ ἀχθόμενοι καὶ ἅμα ἀπαξιοῦντες μὴ οὐ καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἄρχεσθαι, ἐπανέστησαν αὐτῷ· καὶ τήν τε πρόςχωρον ἐπόρθησαν καὶ συχνοὺς καὶ τῶν Ῥωμαίων ἐπιστρατεύσαντάς σφισιν ἀπέκτειναν· τό τε σύμπαν ἐπὶ τοσοῦτον ἐπηυξήθησαν, ὥστε Κορνήλιον Κόσσον τὸν κατεργασάμενον σφᾶς, τιμάς τε ἐπινικίους καὶ ἐπωνυμίαν ἀπ' αὐτοῦ λαβεῖν.* Itemque Cossi ornamenta triumphalia nomenque Gaetulici partum commemorat Vellei. II, 116. Post hoc autem tempus, quoniam nec Dio nec Velleius quicquam habet, nullum bellum in Africa videtur fuisse. Quare Florus quod omnino illo loco in recensendis Augusti bellis externis sequitur, idem videtur in Africa fecisse, ut ab occidente Africae ad orientem pergens victorias commemorarit, nec quicquam ideo debet dubitationis moveri, quod Marmaridarum et Garamantum victoriam, quam Florus postponit, tempore antecessisse statuimus. Quam qui reportavit, solebat olim in editionibus Flori appellari Turmius, sed omnes codices exhibent vel *Quirino* vel *Quirinio* vel *Curinio* vel *Cirino*, ut hunc P. Quirinium, de quo disputamus, dici certum sit, neque maior haec est diversitas lectionis quam quae ubicunque huius hominis mentio fit apud scriptores, inveniri solet. Efficitur, ut hic P. Quirinius proconsul Africae fuerit et quidem anno 6 a. Chr. Cum enim P. Quinctilio Varo consuli anni 13 a. Chr. proxime in consulatu successerit, par est eidem in proconsulatu successisse, praesertim cum videamus illo tempore omnes Africae proconsulatus adeo post ipsum spatium lege finitum esse divisos, ut etiam Cossus Lentulus ipso quinquennio post honorem exacto ad eum pervenerit. Quodcum Africae praefuerit Quirinius, fieri non potest, ut praefuerit idem Asiae. Inauditum enim est imperatorum tempore, ut ex consularibus vel praetoriis provinciis, quae in potestate senatus sunt, idem plures quam unam rexerit. Scimus nonnunquam accidisse, ut, qui provinciam sortitus esset, eam plus quam annum retineret, veluti Asiae ipsi Eprium Marcellum per triennium praefuisse discimus ex inscriptione, quae refertur in Bullett. inst. arch. anni 1831 p. 147, Egnatium Lollianum per biennium ex Graecis inscriptionibus apud Boeckh. Corp. inscr. n. 2870 et 3517. Etiam hoc factum, ut belli periculo imminente extra sortem ex senatusconsulto ab imperatore mitteretur, qui provinciam regeret, veluti Asiam provinciam ob Vologaesis impetum M. Aurelius Avidio Cassio tradidit gubernandam (Borgh. in Mem. inst. arch. I p. 36), in Africam ob bellum Tacfarinatis Iunium Blaesum ex litteris imperatoris Tiberii missum esse narrat Tac. Ann. III, 35, qua in re hoc fortasse etiam acciderit, ut in eandem provinciam iterum legatus imperatoris proficisceretur, qui antea sorte a senatu tenuisset, etsi exemplum eiusmodi vel non commemoratur vel a me non inventum est. Sed hoc fieri prorsus non poterat, ut, qui pro consule sortis beneficio Africam tenuisset,

idem deinde iterum sorte Asiam acciperet. Veruntamen etiamsi fuisset Quirinius pro consule Asiae, victoria tamen Homonadensium ad hoc proconsulatus tempus referri nullo modo posset. Primum enim Homonadenses non fuisse in hac proconsulari provincia ex iis, quae et supra diximus et infra disputabimus, apparet, deinde per Asiam provinciam, quae prorsus pacata erat, collocatam fuisse nullam legionem scimus ex Tac. Ann. IV, 5, quare qui praeesset Asiae, non videtur triumphalia ornamenta mereri potuisse neque quemquam, qui meruerit, invenio.

Reiecta igitur Asia pervenimus ad alteram, quae in Oriente erat, provinciam, Bithyniam et Pontum. Contra hanc eadem fere pugnant, quae Asiae obstare modo diximus. Primum enim disiuncta erat situ terrarum, quia interiacebat Galatia, deinde senatus provincia erat et legionibus semper caruit, ut ne Plinius quidem, cum a Traiano ad constituendam provinciam extra ordinem missus esset, ulla legione usus sit. Sed addi potest hoc, praetoriis viris eam dari consuevisse (Dio LIII, 12), non consularibus, qualis tunc erat Quirinius. Neque afferri debet exemplum Plinii, qui post consulatum ei praefuit; eum enim scimus, ut maiore auctoritate neglectam provinciam recrearet, post consulatum esse missum. Quodsi Quirinium simili ratione ob bellum aliquod gerendum in provinciam, quae praetoriorum virorum fuerat propria, profectum esse statueremus, eidem statuendum esset traditam esse legionem aliquam, quam nullam unquam in Bithynia fuisse scimus, deferremurque in coniecturas incertissimas. Neque hoc quaeritur, quid fieri potuerit, si omnia extra ordinem et contra morem solitum accidisse existimemus, sed quid ex consuetudine imperii et secundum auctorum, qui de iis rebus tradiderunt, testimonia factum esse probabile sit. Eaque de causa ne Galatia quidem provincia placere poterit, quae habet alioquin aliquam veri speciem, ut Bergmannus nuper in disputatione quam supra citavimus p. IX reliquis sententiis perpensis non dubitarit, quin Quirinius legatus Augusti pro praetore fuerit Galatiae. Quod ut iudicemus utrum recte dictum sit necne, pauca de provincia Galatia repetenda esse video. Eam Dio Cass. LIII, 12, ubi provincias ab Augusto anno 27 cum imperium cum senatu partiretur, constitutas enumerat, non habet; tenebat enim eam tunc Amyntas, ultimus Galatarum rex. Is fuerat regis Deiotari, quem M. Cicero defendit, scriba missusque ut Bruto et Cassio auxilium ferret contra IIIviros, ad hos defecerat (Dio XLVII, 48), quapropter ab Antonio anno 36 a. Chr. dynasta Galatiae partisque Lycaoniae et Pamphyliae constitutus est (Dio XLIX, 32). Quem cum strenue imprimis in S. Pompeio vincendo adiuvisset (Appian. bell. civ. V, 137 sq.), etiam rex appellatus est. Tum bello Actiaco orto auxilia necessario misit Antonio (Plut. Ant. c. 61) et ipse ad conducendos mercenarios in Macedoniam et Thraciam profectus est (Dio L, 13), quo in negotio cum in suspicionem imperatoris incidisset, metu mortis adductus transfugit ad Augustum (Plut.

Ant. c. 63 et Vellei. II, 84). Pro quo merito regnum confirmatum accepit (Dio LI, 2) atque adeo auctum; nam Strabo libr. XII, 5, 4 ei partem Phrygiae magnae, idem libr. XII, 6, 3 et 4 Isauriam et Pisidiam, denique XIV, 4, 6 Ciliciam asperam paruisse narrat, unde satis intelligitur, quare Dio Cassius nullam provinciam Galatiam nominarit. Amyntas autem postquam anno 25 a. Chr. obiit, filii eius non successerunt in hereditatem paternam, sed Augustus universum regnum in provinciae formam redegit. Sic enim et Dio LIII, 26 scribit et accuratius etiam Strabo XII, 6, 5, qui Segalassum ait suo tempore sub eodem praetore Romano esse, sub quo Amyntae sit regnum totum, idemque XII, 5, 1 teneri a Romanis universum Amyntae regnum (*τὴν ὑπὸ τῷ Ἀμύντᾳ γενομένην πᾶσαν ἐς μίαν συναγαγόντες ἐπαρχίαν*). Sed quomodo convenit cum his, quod et Dio addit Pamphyliae partem, quae prius ei attributa esset, suis legibus esse restitutam (*τά τε χωρία τὰ ἐκ τῆς Παμφυλίας πρότερον τῷ Ἀμύντᾳ προσνεμηθέντα τῷ ἰδίῳ νομῷ ἀπεδόθη*), et Strabo XIV, 4, 6 narrat Ciliciam asperam regi Cappadociae Archelao esse donatam? Quid in hac auctorum dissensione, quae quidem videatur esse, statuemus? Nimirum hoc accidisse, quod in aliis item regibus, veluti in ipso Herode Iudaeae rege accidit, ut his praeter id quod proprie tenerent regnum, aliae quaedam regiones attribuerentur, quarum quasi essent procuratores. Quare disiunctae sunt, quae ad regnum accesserant, regiones; ipsum regnum in provinciae formam redactum neque ea mutata est, quamdiu Augustus vixit et rex Archelaus, fidelissimus Romanorum socius, potentiam conservavit. Quare constat Homonadenses fuisse illos quidem finitimos provinciae Galatiae, sed non fuisse in ipsa illa provincia, ut qui eam obtineret, occasionem belli contra eos gerendi nullam haberet. Neque enim, qui propraetorem Galatiae hoc Homonadensium bellum gessisse dicunt, quamvis eos extra provinciam fuisse intelligant, recte regis Amyntae exemplum conferunt, quem cum haberet regionem Homonadensibus circumfusam, Strabo XII, 6, 5 ait horum regulo arma intulisse doloque interfectum perisse. Ille latronibus purgavit quae suae dicionis essent, eosque fortasse etiam paululum extra fines suos persecutus est, praetori Romano in eius reguli regnum, quod suae provinciae non esset, egredi non licebat: neque fuisse hanc Ciliciae partem, in qua regulus Homonadensium dominabatur, in provincia Galatia Strabo certissime testatur. Veruntamen sunt etiam aliae causae, quae de propraetore Galatiae cogitari prorsus prohibeant, primum illud, quod paulo ante in Bithynia attulimus, hunc pro praetore nulli legioni praefuisse, qua bellum gereret triumpho dignum, eamque ipsam ob rem ei commissas esse gentes bellicosas armisque perpetuo coërcendas a similitudine veri sane abhorret. Tum praefuisse scimus Galatiae praetorios viros. Primum enim eam in provinciae formam redactam esse narrant Eutrop. VII, 5, Ruf. brev. 11, Euseb. Chron. p. 168 Scal. a M. Lollio, qui anno 21 a. Chr., i. e. quinquennio post praeturam Galatiae, consul fuit. Item C. Iulius

Scapula, cos. designatus, legatus Hadriani pro praetore Galatiae appellatur apud Boeckh. Corp. inscr. graec. n. 4022 et 4023 aliique complures afferri possunt. Neque adversatur quod apud Boeckh. l. l. n. 4012 L. Fulvius Rusticus Aemilianus cos. nominatur legatus pro praetore Galatiae. Consul enim ille fuit anno 206 p. Chr., ac sane probabile, cum paulo ante tota Asia defectione Pescennii Nigri concussa esset, a Septimio Severo, quo maiore auctoritate provinciam coërceret, consularem virum Galatiae esse impositum. Hoc enim in compluribus provinciis saepe factum esse novimus, ut, si qua maiore legionum praesidio indigeret, ex praetoria mutaretur in consularem, veluti in Palaestina constat inde ab Hadriano fuisse consularem legatum, velut Mauretaniae, quae antea procuratores habuerant, deinde legatos acceperunt, similiterque Germaniae ab Tiberio, Pannoniae ab Traiano, Moesiae item in duas consulares provincias divisae sunt, cum unum antea rectorem habuissent; sed illud nunquam factum est, ut quae provincia praetoria esset, in eam sine necessitate aliqua, cuius nullam Augusto quidem imperante in Galatia mentionem fieri audimus, consularis legatus mitteretur. Sensitque hanc difficultatem iam Norisius Cen. Pis. III, 16, 12, quare virum consularem non provinciae, sed exercitus administrandi causa in Galatiam missum esse statuit, parum ille quidem hoc quasi artificio proficiens. Disiunctionem enim provinciarum et exercituum inducit ab imperio Romano alienissimam deferturque eo, ut coniectura utatur, cuius nulla probabilis causa afferri possit.

Superest igitur quarta, quae in Asia relinquitur, provincia Cilicia, de qua imprimis fuisse cogitandum cum ea docent, quae supra exposita sunt, ex quibus Homonadenses Ciliciae finibus comprehendi constat, tum Tacitus indicat aperte, cum per Ciliciam Homonadensium castella expugnata esse scribit. Veruntamen haec provincia nequaquam amplius tanta erat, quantam olim M. Cicero orator post consulatum administrarat, cum ad Cariam usque et Phrygiam pertinebat. Ex tot gentibus magna pars tunc attributa erat in provinciam Asiam, magna data regenda Amyntae Galatae, qui quamdiu vixit, vix quicquam relinquebatur praeter Ciliciam, quae campestris dicitur, regionem pacatam ac facile parentem, si a vicinis quibusdam gentibus parum domitis discedas. Quare Augustus anno 27 cum provincias tranquilliores senatui redderet, hanc sibi retinuit, una cum Cypro, quae ex veteribus temporibus cum ea coniuncta erat, a praetoriis viris regendam. Sic enim narrat Dio LIII, 12, qui quod Ciliciam et Cyprum separatim nominat, non magis existimabimus iam tunc fuisse disiunctas, quam Phoenice separata erat a Syria, quas item tamquam diversas appellat. Verum ubi Amyntas, Galatarum rex, qui magnam veteris Ciliciae partem tenuerat, decessit, constituta nova provincia Galatia, quam exercitu ornare vel nollet vel nequiret, relictas esse sensit in Cilicia gentes quasdam feras, quae sine armis non facile continerentur. Neque satis erat, quod Archelao Cappadoci Ciliciam asperam domandam

tradiderat, qui quam non esset idoneus ad montanorum ferociam coërcendam, ipse Amyntae casus docuerat. Disiunxit igitur Cyprum a Cilicia illamque anno 22 a. Chr. senatui tamquam prorsus quietam permisit (Dio LIV, 4). At Cilicia quid factum est? Silent auctores ad ipsumque hoc tempus, de quo in Quirinii causa agitur, pervenimus. Neque enim existimandum est, negligentius Dionem, qui Cyprum solam nominet, Ciliciae omnem mentionem omittat, eam dicere una cum illa senatui traditam. Hoc si, id quod unum iam relictum esse intelligimus, Quirinium ei praefuisse statuemus, facile refelli poterit. Cyprum enim constat per totum imperium praetoriam fuisse provinciam; quare cum Quirinius post consulatum Homonadenses domuisse narretur', non potuit praetoria esse provincia, quam regebat. Disiunctae igitur cum sint Cyprus et Cilicia, duae omnino res cogitari possunt, ut Cilicia aut per sese sola constiterit aut alii provinciae sit adiecta. Illud credi non potest. Parva enim erat provincia, cum ablata esset Galatia; ac caruisse eandem legionum praesidio ex Dionis testimonio, quod attulimus, certum est. Quare cum eam imperator sibi sumeret (ac sibi sumpserit necesse est, quoniam Cyprus et disiuncta et senatui concessa est), consulari certe viro tradere non potuit; Quirinium autem cum ei praeesset consularem fuisse scimus. Relinquitur igitur alterum, ut cum alia provincia sit coniuncta. Iam non fuisse eam sub proconsule Asiae vel ex iis, quae ante de Quirinii proconsulatu Africae disputavimus, apparet, cum Galatia non fuisse coniunctam Strabo accurate huius provinciae fines vetere Amyntae regno circumscribens docet, Pontus et Bithynia longo terrarum spatio separatae sunt. Quid igitur superest, nisi ut eam cum Syria coniunctam fuisse statuamus? Idque cum ex iis quae disputata sunt, probabile fiat, tum certissimo eorum quae subsequuntur temporum testimonio potest demonstrari. Imperator Tiberius cum Germanicum Caesarem perdere vellet, anno 17 a. Chr. in Orientem eum misit, proconsulari imperio ornatum, eodemque tempore Cn. Pisonem Syriae provinciae praefecit (Tac. Annal. II, 43). Huius quantae inimicitiae in Germanicum fuerint, notum est, quem cum omnibus modis lacessivisset neque ab insidiis vitae structis abhorrere videretur, effecit, ut Germanicus, quippe maiore potestate praeditus quam omnium provinciarum rectores habebant, sibi amicitiam renunciaret, ac, sicut plurimi tradebant, etiam provincia sese decedere iuberet (Tac. Ann. II, 70). Abiit igitur Piso provincia, sed expectans in Co insula morabatur, dum Germanicus extinctus esset. Cuius mortis nuncium ubi accepit simulque ex Germanici legatis Cn. Sentium Saturninum Syriae, dum Tiberius de novo praeside constituendo consultus esset, praepositum esse comperit, provinciam repetere ac vel armis recuperare statuit. Quare Domitium Celerem ex intimis amicis suis Laodiceam in Syriam praemittit, *ipse regulis Cilicum ut auxiliis sese iuvarent scribit* (Tac. Ann. II, 78). Reguli hi populis Taurum montem incolentibus imperabant, cum alii tum imprimis Aiax vel Teucer, qui Olbae

regnabat; nam Archelaus, Cappadociae rex, qui Ciliciam asperam tenuerat, et Philopator II, qui in monte Amano regnaverat, anno 17 p. Chr. mortui erant (Tac. Ann. II, 42). Ac miserunt reguli auxilia, quae Piso cum provinciam aggrederetur, in numerum legionis composuit (Tac. Ann. II, 80). Quomodo igitur audere poterat Cn. Piso auxilia ab his regibus poscere (poscebat enim tamquam a sociis populo Romano subiectis, non iure amicitiae aut tamquam a paribus rogabat), nisi legati Syriae ius ab imperatore delatum haberent iis imperandi? Quo iure nisi uteretur, aut non misissent omnino illi aut non misissent certe contra Germanicum eiusque amicos, potentissimos, ut tunc videbatur, homines. Efficitur, ut legatis Syriae paruerint reguli Cilicum Ciliciaque cum Syria fuerit coniuncta. Sed amplius etiam hoc demonstrari potest. Cn. Piso enim cum auxilia militesque undique coëgisset, ipsam provinciam ab imperatore quippe sibi datam ac Germanici morte vacuam petiit: occupat castellum Ciliciae admodum munitum, cui nomen Celenderis (Tac. Ann. II, 80), quod castellum Strabo XIV, 4, 3 Ciliciae asperae oppidum esse dicit, unde a Cn. Sentio non sine aliqua molestia depulsus est. Tum videamus Romae quid actum sit, cum Piso provincia Syria pulsus rediit atque ab Germanici amicis accusatus est. Primum Tiberius ipse cum causam senatui permitteret, singula crimina recensens haec dixit (Tac. Ann. III, 12): *Simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores.* Duabus rationibus Piso provinciam recuperare voluerat, Domitio Celere Laodiceam, ubi sexta legio hibernabat, misso et castello Celenderi occupato. Sed ille quidem a Pacuvio, legionis legato, antequam quicquam seditionis moveret, sine vi depulsus est; quare *provincia armis repetita* ad castellum modo illud Ciliciae, quod Piso aliquamdiu defenderat, pertinere potest. Nihil in his est de aliena provincia armis petita; nam id quidem erat hostem existere reipublicae neque Tiberius tale quicquam unquam ignovisset, sed hoc modo fecerat Piso, ut cum a Germanico vel renunciata amicitia vel iussu ex provincia ab imperatore mandata eiectus esset eamque interim alii possedissent, de ea non iure, ut oportebat, apud imperatorem, sed armis decerneret. Itaque inter causas, cur perierit Piso, hoc ponit Tac. Ann. III, 14, Caesarem implacabilem fuisse *ob bellum provinciae illatum.* Qui si alienam provinciam armis petisset, armis, non legibus puniendus erat, quem etiam suam provinciam vi occupare Tiberius nolebat. Idemque efficitur ex epistola, quam Piso paulo antequam manum sibi intulit, ad Tiberium scripsit, ut filiis suis veniam peteret, ex quibus unum Romae fuisse ait, alterum, qui legatus, opinor, patris erat, *cohortatum esse repetere Syriam* (Tac. Ann. III, 16). Repetiverat autem Syriam Celenderi castello, quod in Cilicia situm erat, occupato.

Fuit igitur inde ab anno 25 a. Chr., quo Cyprus magistratuum sorti permissa est,

Cilicia cum Syria in unam provinciam coniuncta atque uni legato Augusti paruit. Mansitque coniuncta etiam sub proximis imperatoribus usque ad Vespasianum, ut videtur; neque enim pluribus hanc rem persequi nunc placet. Eius coniunctionis argumentum manifestissimum narrat Tacitus Ann. VI, 41. Anno enim 36 p. Chr. ait Clitarum nationem, quae tunc regulo alicui Archelao Cappadoci parebat, quia census tributaque ferre nollet, in iuga Tauri montis abscessisse. Eam nationem, ignotam alioquin, ipse Tacitus Annal. XII, 55 agrestium Cilicum esse dicit sedesque definit haud dubie in occidentali Ciliciae asperae parte, quo eodem fere loco antea Homonadenses fuerant. Clitae igitur cum odio tributorum in montes abscessissent, locorumque natura sese contra imbelles regis, cui parebant, copias tutarentur, missus est *M. Trebellius legatus a Vitellio Syriae praeside,* de quo infra plura dicemus, qui facile barbarorum castella expugnavit. Iidemque Clitae cum anno 53 p. Chr. denuo montibus castellisque occupatis seditiones moverent ac populabundi usque ad mare descenderent urbesque vicinas diriperent, missos esse *a Syria in subsidium equites cum praefecto Curtio Severo* narrat Tacitus Annal. XII, 55, quorum ope Antiocho, Commagenorum regi, qui oram maritimam regendam a Romanis acceperat, contigit ut turbas componeret. Utroque igitur tempore ex Syria a legatis, quos imperator ei provinciae imposuerat, milites in Ciliciam ad sedandos tumultus missi sunt, ut dubium esse non possit, quin qui Ciliciae praeesset, idem Syriam rexerit. Idemque ex aliis compluribus argumentis, quae infra a nobis afferentur, apparet, quae iam hoc loco praecipere non opus est.

Quae cum ita sint, P. Sulpicium Quirinium eo tempore, quo Homonadensium castella per Ciliciam expugnavit, certum est fuisse legatum Augusti pro praetore Syriae. Idque tempus cum a Tacito, cuius locus supra citatus est, definiatur intra annum 12 a. Chr., quo Quirinius consulatum gessit, et C. Caesaris, Augusti filii, mortem, quem decessisse constat anno 4 p. Chr., non potest ab eo dici altera Quirinii Syriaca legatio, cuius multa testimonia apud Iosephum aliosque scriptores supersunt, quae coepta est anno 6 p. Chr. Rursus autem hoc quindecim annorum spatium, quod Taciti verba patiuntur, coartatur eo, quod usque ad auctumnum anni 4 a. Chr. alios viros consulares, de quibus disputatum est, Syriae praefuisse scimus, ut ab quindecim annis iam necessario ad septem vel octo deveniamus. Verum etiam accuratius tempus, quo Quirinius primum Syriam provinciam rexerit, potest definiri hac re, quae, si alia testimonia deessent, per se ipsa praefuisse eum utique Syriae, antequam eo iterum anno 6 p. Chr. missus est, doceret. Narrat enim de eo Tacitus Ann. III, 48 sic: *mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit* (Tiberius) *in senatu laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat.*

Quae ut recte intelligantur, pauca de C. Caesare eiusque in Asia imperio dicenda sunt. Anno 20 a. Chr. cum Armenii Artaxiam apud Augustum accusarent et Tigranem, minorem eius fratrem, de quo Iosephus Antiq. XV, 4 extr. narrat, qui tunc Romae erat, regem poscerent, Augustus Tiberium privignum misit, cuius ante adventum quia Artaxias per dolum propinquorum perierat, Tigranes cum pace regnum adiit. Vide Dion. LIV, 9; Tac. Ann. II, 3; Vellei. II, 94; Suet. Tib. c. 9. Luculente de ea expeditione scribit ipse Augustus in monumento Ancyrano V, 25: *Armeniam maiorem interfecto rege eius Artaxia cum possem provinciam facere, malui maiorum nostrorum exemplo regnum id ad Tigranem Artavasdis filium, nepotem Tigranis regis per Tib. Neronem, qui tum erat privignus meus, transferre.* Victa igitur tunc vere Armenia, quoniam Augustus eam potuisse sese redigere in provinciae formam ait, quod idem testantur nummi apud Eckhel. Doctr. Numm. VI p. 98, et, quamquam suos reges retinebat, ita imperio adiecta, ut hi et tributum penderent et Roma iura peterent et si quid rei militaris contra externos attingere vellent, legatum Augusti Syriae vel consulerent vel auxilium rogarent. Veruntamen mortuus est Tigranes anno 6 a. Chr. minabanturque Parthi bellum. Quare Augustus cum ipse in Armeniam proficisci nollet, Tiberio privigno ipso illo anno 6 a. Chr. tribuniciam potestatem in quinquennium decernendam a senatu curavit (Dio LV, 9; Zonar. X, 35; Suet. Tib. c. 9); tum ipse addidit Armeniam provinciam; nam haud dubie Dio l. l. ait *τὴν Ἀρμενίαν ἀλλοτριουμένην προσῆξε*, similiterque Zonaras. Nec dubium est, quin eidem proconsularem potestatem, quam postea et C. Caesari et Germanico datam esse exponemus, a senatu petiturus fuerit; sed Tiberius vel Iuliae uxoris intemperantiam pertaesus vel C. et L. Caesarum potentiam veritus et Augustum rogavit, ut provinciam illam sibi remitteret et a senatu commeatum petiit; neque enim senatori sine commeatu, qui illa aetate a senatu petebatur, abesse licebat. Aliter igitur egit Tiberius atque ante eum M. Agrippa, de quo supra p. 79 exposuimus, quamvis ei causam suam ipse conferre soleret (Suet. Tib. c. 10). Qui cum simili de re statuisset Roma Lesbum secedere, provincia accepta per legatos quae opus erant, administravit. At Tiberium Suetonius Tib. c. 10 ait commeatum petisse causamque actam esse in senatu, quo commeatu non opus erat, si legatus ab imperatore proficisceretur. Sola igitur tunc tribunicia potestate ornatus Tiberius Rhodum secessit, cuius tempus cum exisset, ne prorsus privatus esse videretur, per matrem aegre impetravit, ut legationem aliquam ab Augusto acciperet (Suet. Tib. c. 12). At hic ab extraordinariae potestatis, quam Tiberio deferre voluerat, spe depulsus ad ordinarios, opinor, legatos devenit Quinctiliumque Varum, quem illo tempore Syriae praefuisse supra p. 86 docuimus, regno Armeniaco componendo praefecit. Sic primum Tigranis filius ab Augusto institutus eoque pulso Artavasdes (Tac. Ann. II, 3). Sed hic quoque Artavasdes anno 2 a. Chr. exeunte vel anno 1 ineunte deiectus est

non sine clade Romanorum, ut Tacitus ait, eaque res Augustum movit, ut aliquem cum maiore potestate ac dignitate, quam vulgaribus legatis erat, in Asiam mittendum esse putaret, praesertim cum Parthi Armeniam occupaturi esse viderentur. Ipse Augustus in monumento Ancyr. V, 28 breviter de ea re dicit: *Eandem gentem postea insurgentem et rebellantem domitam per Gaium filium meum regi Ariobarzani regis Medorum Artavasdis filio regendam tradidi.* Quaeritur qua potestate ornatus C. Caesar expeditionem susceperit. Zonaras X, 36 scribit cum Augustus neminem alium cum maiore imperio mittere auderet Tiberiusque ultro secessisset, Gaium filium delegisse *καὶ τήν τε ἐξουσίαν αὐτῷ τὴν ἀνθύπατον καὶ γυναῖκα ἔδωκεν*, consentitque Suetonius Tib. c. 12, qui Gaium *Orienti praepositum esse* ait, cum Velleius libr. II, 101 nihil aliud nisi in Syriam missum eum esse dicat. At Tacitus loco quem supra citavimus, scribit *de Caesare Armeniam obtinente*, Orosius libr. VII, 3 missum *ad ordinandas Aegypti Syriaeque provincias.* Primum igitur proconsulare ei imperium a senatu petiit, quale et ante eum habuerant M. Agrippa ac Tiberius et postea habuit Germanicus a Tiberio missus. De hoc tradit Tacitus Ann. II, 43 *Tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae quae mari dividuntur maiusque imperium quoquo adisset quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent.* Disputavit de hoc proconsulari C. Caesaris imperio docte ac subtiliter Norisius in Cenot. Pisan. II, 9, efficiens videri et locis fuisse coartatum, ut Gaius pariter ac Germanicus transmarinas modo provincias, quae a Romanis vocabantur, i. e. Graeciam cum Macedonia, Asiam, Bithyniam, Syriam, Aegyptum, acciperet, et tempore, ut non perpetuum deferretur, sed in quinquennium, quo temporis spatio Romani in talibus rebus uti solebant. Sed praeter hoc quod senatus consulto tribuebatur imperium, ipse Augustus Gaio adiecit Armeniam provinciam i. e. bellum Armeniacum gerendum mandavit. Etenim re etsi tunc nulla erat Armenia provincia, videbatur tamen esse iure, ac quodvis negotium Latine provinciam dici constat. Iam tempus huius Asiaticae profectionis Gaii accurate constitui attinet. Abiit ille Roma ineunte anno 1 a. Chr.; nam Velleius II, 101 narrat *post breve spatium* postquam Iulia, Augusti filia, in exilium acta est, eum profectum esse, Iuliamque ante Kal. Oct. anni 2 a. Chr. condemnatam esse intelligimus ex eodem Velleio II, 100, qui Augusto ipso et Gallo Caninio cos. id accidisse ait. Itemque Dio LV, 11 et Zonaras X, 35 Iuliae condemnationem ante Gaii profectionem commemorant. Primum autem in Graeciam ut viseret loca, quae antiquitas celebrabat, traiecit, inde Aegyptum petiit eaque lustrata cum classem conscendisset, praetervehens Palaestinam pervenit Samum, ubi ad exemplum Augusti videtur hiemasse. Aliter hoc Gaii iter constituit Noris. Cen. Pis. II, 10, qui eum ex Graecia putat Samum, tum in Asiam traiecisse, hinc in Syriam Aegyptumque abisse. At nostra ratio plane evincitur hoc argumento, quod Sami vel Chii (nam hanc illi propinquam insulam

nominat Zonaras X, 36) ad Gaium visendum adisse constat Tiberium, qui tunc Rhodi vivebat. Eam rem accurate tempore notato narrat Suetonius Tib. c. 11, exisse Tiberio tribuniciam potestatem, quam cum medio fere anno 6 a. Chr. in quinquennium accepisset, transegit medio anno 1 a. Chr., tum petisse eum ab Augusto, ut redire liceret, eoque pernegante vix esse assecutum legationis alicuius speciem. Inde privati hominis modo trepide in mediterraneos agros abditum, ut praeternavigantium officia vitaret, vixisse, dum ad Gaium visendi gratia Samum traiiceret. Hinc annum primum a. Chr., cum Tiberius ad Gaium adiret, exactum prope fuisse intelligimus neque hunc tam diu in Graecia commoratum esse existimamus, quia anno 1 p. Chr. peragrata eum Aegypto in Syria fuisse omnes concedunt. Praeterea si Tiberii et Gaii colloquium ante iter Aegyptiacum statuas, etiam Suetonius Oct. c. 93 (cf. Oros. VII, 3) obstet, qui Gaium narrat ab Augusto collaudatum, quod Iudaeam praetervehens apud Hierosolyma non supplicasset; ita enim bis eum praetervehi oportebat. Quare contrario prope itinere usus est Gaius ac postea Germanicus, de quo narrat Tacitus Ann. II, 54 sq. In annum autem insequentem, qui est primus p. Chr. n., C. Caesar consul designatus erat iniitque Sami, ut opinor, item ad Augusti exemplum, tum in Asiam Syriamque profectus est. Est enim de eius consulatu sic in cenotaphio Pisano: *Post consulatum, quem ultra fines extremos populi Romani bellum gerens feliciter peregerat,* ac plenius haec quam apud reliquos auctores narrantur in excerptis Ursini apud Dionem libr. LV, 11. Epistolae complures inter Augustum et Phraatem, Parthorum regem, missae sunt, misit etiam Tigranes rex, a Parthis institutus, cum Artavasdes, qui Romanorum armis regnum tuebatur, obisset, dona epistolamque, qua regnum petebat. Tandem exitu anni Phraates cum exercitu Romano territus tum popularium insidias timens ad pacem inclinavit, de eaque convenit ineunte anno 2 p. Chr. ac colloquium inter C. Caesarem et regis Parthorum filium est habitum, cui Velleius libr. II, 101 sese interfuisse scribit. Hoc colloquium incidere in initium anni 2 p. Chr. hinc intelligitur, quod Velleius II, 102 a Partho consilia subdola ac perfida indicata esse tradit, quae M. Lollius, Gaii comes, agitaverat, unde huic domo amicitiaque Caesaris est interdictum (Plin. nat. hist. X, 35). Iam hoc ipso anno Romam rediit Tiberius et quidem ante XIII Kal. Sept., quo die L. Caesar Massiliae decessit (Vellei. II, 103; Zonar. X, 36), Tiberio autem Suetonius Tib. c. 13 reditum concessum esse ait, quia C. Caesar tunc forte M. Lollio infensior id permisisset. Pace autem illa quam diximus facta, ex qua Parthi Armeniam reliquerant, Gaius bellum gerere coepit cum Tigrane Armenio Ariobarzanemque Medum in regnum instituere, quod cum bene processisset, Artagira urbs seditionem movit, in qua oppugnanda Gaius vulnus accepit, ex quo IX Kal. Martias anni 4 p. Chr. decessit. Vulnus igitur videtur anno 3 accepisse, sed accurate tempus definiri nequit neque ad ea, quae quaerimus, magnopere refert.

Iam haec posteaquam de C. Caesaris rebus earumque temporibus disputata sunt, redeundum est ad P. Quirinium, a quo digressi sumus. Eum Tacitus loco, quem ante diximus, ait *rectorem datum C. Caesari Armeniam obtinenti.* At Suetonius Tib. c. 12 et 13 commemorat M. Lollium, *comitem et rectorem* C. Caesaris, ex cuius criminationibus hunc vitrico Sami ad eum adeunti alieniorem factum esse ait, itemque Gaium, ut Tiberius Romam rediret, permisisse, quia tunc forte M. Lollio succensere coepisset. Item Velleius II, 102 in colloquio Parthorum regis et Gaii patefacta esse consilia M. Lollii, quem *veluti moderatorem iuventae filii sui Augustus esse voluerat.* Denique eiusdem Lollii mentionem facit Tacitus, qui a Tiberio laudata in se scribit Quirinii officia et incusatum M. Lollium, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum argueret. Hinc apparet M. Lollium C. Caesaris fuisse rectorem inde ab exeunte anno 1 a. Chr. vel ineunte anno 1 p. Chr., quo illum Sami hibernasse diximus, usque ad annum 2 p. Chr. ineuntem, quo paucis diebus postquam Caesaris amicitia prohibitus erat, decessisse eum tradunt Vellei. II, 102 et Plin. nat. hist. X, 35. At Quirinius quando rector fuit Caesaris? Norisius in Cenot. Pisan. II, 9 successisse eum existimat M. Lollio propterea quod Tacitus dicat eum Caesari Armeniam obtinenti rectorem esse additum, Armeniam autem captam anno 2 p. Chr. Sed primum causa haec ipsa parum videtur valere. Nam Armeniam obtinet Latine non is modo, qui armis occupavit, sed etiam qui iure quasi tenet i. e. cui ea provincia legibus populi Romani mandata est, quem loquendi usum satis frequentem exemplis non esse demonstrandum iam diximus. Armeniacum autem bellum C. Caesari ab initio in Asiam proficiscenti delatum erat. Deinde huic Norisii opinioni duae res gravissimae obstant, quarum prior invenitur in ipsius Taciti testimonio, qui de funere Quirinii narrans ait: *insignia triumphi adeptus datusque rector C. Caesari — Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat.* Quae qui recte interpretabitur, non credet Norisio, Quirinium Rhodi Tiberio observantiam suam ostendisse, antequam et triumphum acciperet et rector Caesari adderetur; plusquamperfectum enim non ad tempus triumphi aut ad id, quo Caesaris moderator erat, sed ad sepulturam refertur. Immo manifestum esse iudico, quo tempore Quirinius triumphalia insignia adeptus sit rectorque fuerit Caesaris, eo Tiberium fuisse Rhodi, quem abisse inde Romam medio anno 2 p. Chr. demonstravimus. Ac cum hinc discamus M. Lollium successisse Quirinio, tum hunc non successisse, sed antecessisse Lollio potest demonstari. Tacitus Ann. III, 48 Quirinium scribit invisum fuisse apud plebem Romanam *propter intenta Lepidae pericula* eamque causam explicat Annal. III, 22. Accusabatur Lepida in senatu *simulavisse partum ex P. Quirinio divite atque orbo,* adiiciebantur *adulteria, venena* in Quirinium parata, maiestatisque crimina. Acta res anno 20 p. Chr. exeunte; intervenerunt enim inter causam ludorum dies, qui extremis anni mensibus agi solent, ac cum res magna atque celebris esset, facile

videtur potuisse fieri, ut ad ineuntem annum 21 p. Chr. extraheretur. Condemnata est rea Tiberiusque ipse de veneficiis sibi compertum esse dixit. Iam hanc causam inter avaritiae documenta, quae Tiberius edidit, commemorans Tacitus ait *condemnatam et generosissimam feminam Lepidam in gratiam Quirini consularis praedivitis et orbi, qui dimissam eam e matrimonio post vicesimum annum veneni olim in se comparati arguebat.* Necesse igitur est vicesimo anno antequam veneficii causa acta est, Lepida fuerit in Quirinii matrimonio. Lepidam autem idem Tacitus ait fuisse destinatam uxorem L. Caesaris, Augusti filii, quem mense Augusto anni 2 p. Chr. decessisse notum est. Nonne igitur apertum est, quo tempore Norisius Quirinium putat successorem datum M. Lollio nuper defuncto in Armenia versatum esse cum C. Caesare, eo illum Romae fuisse Lepidamque morte L. Caesaris vacuam in matrimonium duxisse? Parum enim proficit Norisius, qui Suetonium minus accurate dixisse censet, numeroque pleno viginti annorum esse usum, ut longum quasi tempus significaret. Immo nos Quirinium statuemus statim advenienti in transmarinas provincias C. Caesari rectorem esse additum ac mansisse cum eo fere annum, dum anno 1 p. Chr. ineunte M. Lollius missus est. Atque haud scio an possit etiam illud, quod Tacitus scribit a Quirinio cultum esse Tiberium Rhodi agentem quale fuerit, accuratius definiri. Velleius enim libr. II, 101 sic habet: *C. Caesar — in Syriam missus convento prius Ti. Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit.* Conveniri Latine is dicitur, ad quem aditur, non qui adit; quare si accurate dixisse Velleium putabimus (idque in tali scriptore tantaque re videtur haud dubie praestare), de alia re dicere existimabimus hunc, qui Gaium adisse ad Tiberium narret, de alia Suetonium, cuius verba ante allata sunt, qui Tiberium Sami ad Caesarem adisse tradat. Quid igitur factum est? Nimirum Gaius cum ex Graecia in Aegyptum proficisceretur, auctore Quirinio, quo tunc rectore utebatur, ad Tiberium Rhodi agentem accessit eique omnem, quem vitrico debebat, honorem habuit; ad redeuntem autem ex Aegypto Caesarem vicissim adiit Sami Tiberius, cum opera M. Lollii, novi rectoris, privigni animum a se abalienatum esse sensit. Ita Velleii et fides intelligitur, quod vere narrarit Tiberio omnem honorem habitum, et adulatio in eo perspicitur, quod quae minus honesta erant, omisit. Unum superest ut quaeramus, quis M. Lollio successerit. At hunc quoque significat Velleius II, 102: *Sed quam hunc* (M. Lollium) *decessisse laetati homines, tam paulo post obisse Censorinum in iisdem provinciis graviter tulit civitas.* Successit igitur in breve tempus C. Marcius Censorinus, tum quartus aliquis.

De quo antequam dicamus, ipsum illud rectoris munus, quod commemoravimus, quale fuerit considerandum est, quae quaestio magnopere et ad Quirinii legationem stabiliendam et ad successores eius inveniendos pertinet. Zonaras X, 36 C. Caesari additos esse ait *συμβούλους*, cum non eam quae proprie cohors appellatur, dicere videtur, in qua cum

aliis multis Cn. Domitium, imperatoris Neronis patrem (Suet. Ner. c. 5) et Aelium Seianum (Tacit. Ann. IV, 1) fuisse scimus, sed rectores hos, quos deinceps Gaii iuventuti impositos esse docuimus. Qua autem de causa rectores hos additos putamus? Certe non ut mores regerent; nam id curabant vel liberti aliqui vel alii familiares, privatim, non publice additi, sed maxime ut esset, qui in republica quid faceret Caesar praescriberet imprimisque qui bellum recte gereret. Eius enim Gaius imperitus erat, mandatum autem erat id, quo gravius aut difficilius tunc vix reperiretur. Praeterea ita ei delatum erat bellum Armeniacum, ut nullum proprium exercitum, nullam propriam provinciam acciperet. Data illi quidem erat maior potestas, quam cuiusque provinciae vel Augusti legati vel senatus proconsules habebant, sed exequi tamen omnia oportebat horum vel legatorum vel proconsulum opera. Itaque aequissimum erat, ut praeses Syriae, quae provincia et regnum Armeniae complectebatur et Parthis finitima erat, peritus belli gerendi esset Gaiique imperitiam gubernandam acciperet. Eaque de causa Tiberius cum anno 17 p. Chr. Germanicum Caesarem item ad bellum Armeniacum dimitteret eumque perdere vellet, demovit Syria Creticum Silanum, quia per affinitatem cum Germanico coniunctus erat (Tac. Ann. II, 43), imposuitque Cn. Pisonem, qui contraria agendo eum vexaret ac perturbaret. Tiberius autem ipse cum Pisonis ob insidias Germanico structas accusati causam ad senatum deferret, sic ait apud Tacitum Ann. III, 12: *Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse adiutoremque Germanico datum a se, auctore senatu, rebus apud Orientem administrandis*, unde in ipsis Germanici et Pisonis mandatis fuisse intelligimus, ut hic quacunque opera posset, illum adiuvaret. Qui autem in Germanico, viro belli peritissimo multisque expeditionibus spectato, appellatur adiutor, in Caesare adolescente admodum bellorumque experti rector vocabatur, nec dubitandum est, quin Tiberius ut in aliis rebus, ita etiam in adiutore addendo C. Caesaris exemplum secutus sit. Ac quem rectorem primum Gaii fuisse intelleximus Quirinium, eundem eodem prope tempore Syriae legatum pro praetore fuisse invenimus. Ex his efficitur, ut et Quirinius eodem tempore rector Gaii praesesque Syriae, et M. Lollius et C. Marcius, quos Caesaris rectores fuisse constat, iidem fuerint legati Syriae, et denique ut quartus Gaii rector, qui non nominatur, sit is, quem infra Censorino in administranda Syria successisse demonstrabimus.

Iam, ut post hanc longam sane digressionem, qua ad stabiliendam Syriae praesidum seriem necessario utendum esse putabamus, ad id, de quo disputatio nostra proprie instituta est, revertamur, efficitur, ut P. Sulpicius Quirinius, cum P. Quinctilius Varus paulo post mortem regis Herodis exeunte anno 4 a. Chr. decessisset Romam, in legationem Syriacam successerit. Atque ad hanc Quirinii priorem legationem Syriacam referri solet inscriptio Latina, quae est apud Orell. n. 623. De qua inscriptione iudicare est difficillimum;

viri enim epigraphicae artis peritissimi non levem dubitationem moverunt, an esset ementita, nec res, quas continet, adeo videntur esse aperte vel falsae vel verae, ut non omnis disputatio scrupuli aliquid relinquat. Princeps eam edidit Sertorius Ursatus in Marmoribus eruditis (Marmi eruditi ovvero lettere sopra alcune antiche iscrizioni, Padova 1719) p. 276. Is nuper eam repertam esse scribit ac conservari Venetiis in domo viri illustrissimi Nicolai Venierii, qui ipse exemplum descriptum miserit. Quod cum titulus sit sane gravissimus, apponendum hic esse duximus:

Q. AEMILIVS. Q. F
. . . . PAL. SECVNDVS
CASTRIS. DIVI. AVG
P . SVLPITIO. QVIRINO . LE
CAESARIS. SYRIAE . HONORI
BVS. DECORATVS . PRAEFECT
COHORT. AVG. I. PRAEFECT
COHORT. II. CLASSICAE . IDEM
IVSSV. QVIRINI. CENSVM. FEC
APAMENAE. CIVITATIS. MIL
LIVM. HOMIN. CIVIVM. CXVII
IDEM. IVSSV. QVIRINI. ADVERSVS
ITVREOS. IN. LIBANO. MONTE
CASTELLVM. EORVM. CEPIT. ET. ANTE
MILITIAM. PRAEFECT. FABRVM
DELATVS. A. DVOBVS. COS. AD. AE
RARIVM. ET. IN. COLONIA
QVAESTOR. AEDIL. II. DVVMVIR. II
PONTIFEX
IBI. POSITI. SVNT. Q. AEMILIVS. Q. F. PAL
SECVNDVS. F. ET. AEMILIA. CHIA. LIB
H. M. AMPLIVS. H. N. S

Repetivit hanc inscriptionem Mur. p. 670, 1, non sine levi quadam discrepantia, [1]) hinc reliqui, qui ediderunt, van der Mieden in Gorii Symbol. litter. Dec. II Vol. 9 p. 33, qui

1) Nimirum vs. 15 pro eo quod Ursatus exhibet PRAEFECT. FABRVM, operarum, opinor, errore expressit PRAEFECIT. Unde vide quid consecutum sit! Huschkius enim cum veram esse statueret inscriptionem, etiam hoc argumento usus est, quod negabat eum, qui falsa ementiri vellet, potuisse tali ratione peccare.

etiam commentario parum utili instruxit, Sanclementius de aerae vulgaris emendatione p. 412, P. E. Huschkius in libro, quem de censu circa Christum natum habito scripsit, p. 71, Orell. n. 623, et si qui alii de Quirinii censu disputantes tituli huius testimonio utendum esse putarunt. Dubitationem autem de fide huius inscriptionis primus movit Marinius in Act. fratr. Arv. p. 787 eaque tantum valuit apud Orellium, ut haesitatione omni sublata fictam eam esse statueret, nihil valuit apud Huschkium. Ac Marinius quidem solo utitur hominis nomine, quod falso exhiberi ait in lapide Veneto. Nam P. Sulpicius *Quirinius*, non *Quirinus* appellatur apud Maff. Mus. Ver. p. 108, 2 et apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 782, ubi consulatus eius cum C. Valgio gestus commemoratur, itemque bis in kalendario Praenestino ad prid. Non. Mart. et a. d. IV Kal. Mai. Accedit scriptorum auctoritas, ex quibus Graeci semper vocant *Κυρήνιον* sive *Κυρίνιον*, Latini etsi fere scripturae aliquam varietatem ostendunt, maiore tamen fide tuentur Quirinium. Velut in Taciti annalibus codicem Mediceum habere *Quirinium* ipse Orellius, qui Quirinum nominare maluit, fatetur. Obsequebatur enim Ryckio ad Tac. Ann. II, 30, qui cum certa illa inscriptionum monumenta ignoraret, ex auctoritate scriptorum inferioris aetatis, apud quos editionum, opinor, errore saepius Quirinus vocatur, et imprimis nummorum quorundam Goltzianorum Quirinum praefert; nam quae de Iano Quirino et colle Quirino et Iunone Quirina affert, ea longe dissimili ex genere videntur esse. Neque vero afferri debet, qui in fastis vulgaribus cos. anno 36 a. Chr. nominari solet P. Sulpicius Quirinus, qui totus ex coniectura natus est eaque parum probabili. Etenim concedamus illo anno fuisse consules suffectos, id quod ipsum colligitur ex eo, quod lacunam quandam unius versus putant esse in fragmentis Capitolinis post cos. anni 37, neque ea lacuna videtur esse nimis certa; sed fuerint cos. suffecti, tamen et L. Munatius Plancus II, qui existimatur suffectus esse, parum certus est testimonioque apud Plin. nat. hist. XIII, 3, 5 sunt alia quae adversentur, et P. Sulpicius Quirinus certe falsus. Eum enim Onuphrius Panvinius invenit, quod anno 42 a. Chr. in tabula Colotiana Antonium et P. Sulpicium censores commemorari videbat, de quibus cum nihil prorsus apud alios auctores referri intelligeret, quaerens, quis alter esse posset, devenit ad hunc, de quo disputamus, P. Sulpicium Quirinium cos. anni 12 a. Chr., eiusque patrem deprehendere sibi videbatur. Qua in re certissime erravit; hunc enim Tacitus novum hominem fuisse nec quicquam ad veterem Sulpiciorum gentem pertinere haud dubie significat. Ex hoc tamen errore et Quirini cognomen quod censori male additur et totus anni 36 a. Chr. cos. suffectus extitit propagatusque deinceps est ab reliquis, qui fastos composuerunt. Neque vero uno hoc cognomine uti debuit Marinius, si fidem lapidis Veneti coarguere vellet; quam facile enim aut apex litterae N impositus, qui Quirinium efficeret, praetermitti aut alius error in describendo versari potuit? Sed alia sunt longe maiora, quibus utique fraudem huius

inscriptionis evinci existimem. Primum color universus tituli adeo discrepat ab simplicitate huius aetatis, ut qui leviter imbutus sit scientia epigraphica, dubitare nequeat. A quo quantopere differt ea quae deinceps citabitur inscriptio? Quam illud est inelegans *adversus Itureos in Libano monte castellum eorum cepit?* quid illud, quod vs. 11 est *millium hominum civium?* Sufficiunt haec ad damnandam inscriptionem, sed falsum, quod Quirinus dicitur *leg. Caesaris*, cum et antecesserint *castra divi Augusti* nec unquam in titulis mortuo Augusto positis *divi* quasi praenomen omitti possit. Nisi forte, qui finxit inscriptionem, hoc voluit, castra fuisse illa quidem divi Augusti, sed Quirinum legatum C. Caesaris; sed nec verum hoc fuisse docuimus nec Caesar modo Augusti filius debuit dici. Tum qui sunt illi *honores,* quibus decoratus esse narratur Q. Aemilius? Immo dona sive praemia militaria erant; nam honores quidem in castris inveniuntur nulli. Tum *cohors Aug. I* et *cohors II Classica* prorsus sunt novae atque imperite adhibitis legionum nominibus ementitae. Unde effecerit tituli fabricator, milia CXVII civium Apameae fuisse, nescio, nec magnopere quaerendum putavi (poenitebat enim in monumentum aperte falsum tantam diligentiam conferre), sed eiusdem tamen pravae scientiae documentum in eo deprehendi posse existimo atque in *praefecto fabrum delato a duobus cos. ad aerarium,* qui effectus est ex Cicerone p. Balbo c. 28 et epist. V, 20 male intellecto, in quo ut prorsus imperitiam hominis perspicias, delatum esse dixit praefectum fabrum *ante militiam.* Poenitet, ut diximus, in fraude tam turpi diutius commorari, quae profecta est ab eo, qui cum vera doctrina censum Quirinii demonstrari non recte desperaret, quod scientia non poterat, assequi studuit mendacio tegendique eius causa cum alia quaedam tamquam eximie erudita tum Ituraeorum, qui quales Herodis tempore fuerint multum quaeri sciebat, mentionem adiecit. Accedit autem ad haec argumenta, quae sunt sane certissima, hoc, quod nemo unquam vidit lapidem, quem si fuisset ullus, multi hercule et conquisissent et descripsissent.

Amoto igitur hoc et turpi et magno mendacio redeamus ad M. Lollium, quem anno 1 a. Chr. exeunte successisse P. Quirinio et in Syria administranda et in C. Caesare regendo exposuimus. De eius moribus satis multa traduntur; celebratur enim ab Horatio carm. IV, 9, 30 et epist. I, 2. Cf. etiam ibid. 1, 20, 28 et Velleius II, 97 et 102. Tacitus etiam Annal. III, 48, quem locum ante explicavimus, et Plin. nat. hist. IX, 35, 58 avaritiam eius coarguunt. At de honoribus eius minus multa nota sunt. Nam posteaquam praetor fuit, Galatiam eum in provinciae formam redegisse iam p. 94 diximus; tum consulatu anno 21 a. Chr. gesto (Grut. p. 166, 1) praefuit anno 16 a. Chr. Germaniae ibique clade accepta aquilam legionis amisit ille quidem (Dio LIV, 20; Tacit. Ann. I, 10; Suet. Aug. c. 23; Vellei. II, 97), sed cum constantia tamen locum suum obtinuit, ut Augustum virtutis eius non poeniteret praeficereturque anno 1 a. Chr. Syriae. Cuius avaritiam ac fraudem cum Parthorum regis

filius aperuisset, interdicta a Caesare amicitia veneno sumpto cum interisse tradit Plin. l. l. anno 3 p. Chr. Suffectus est in eius locum C. Marcius L. filius Censorinus, consul anno 8 a. Chr. cum C. Asinio Gallo, qui consulatus praeter Dionem LV, 5, Censor. die nat. 22, 16, Plin. nat. hist. XXXIII, 10, 47 commemoratur etiam in multis inscriptionibus, ex quarum una apud Grut. p. 197, 2 discimus C. Marcium inter primos curatores riparum et alvei Tiberis fuisse. Nec dubium est, quin ad eum scripserit Horatius carm. IV, 8, augurque dicitur in titulo Aquinati apud Grut. p. 435, 6 ac triumvir monetalis apud Eckhel. Doctr. Num. V p. 246. Sed de provinciis, quas administrarit, nihil aliud traditur, quo gratius esse debet Velleii testimonium supra citatum, quod rectorem et Syriae et C. Caesaris fuisse haud dubie significat.

Qui cum vel eodem quo inierat anno vel proximo, certe antequam C. Caesar in Lycia mortuus est, decessisset, in provinciam Syriam successit L. Volusius Saturninus, de quo supra p. 88 satis multa exposita sunt. Quem cum certissimo testimonio constet anno 4 p. Chr. Syriae praefuisse, iure nostro statuemus eandem provinciam tenuisse etiam insequenti anno, dum P. Sulpicius iterum Syriam accepit, neque inter hunc et Censorinum alius quisquam legatus poterit interesse. Efficitur, si Censorinum exeunte anno 3 p. Chr. decessisse statuamus, ut Volusius prope per integrum triennium Syriam tenuisse videatur.

Successit P. Sulpicius Quirinius, de quo plurima a nobis supra disputata sunt, cuius altera haec legatio Syriaca certissimo testimonio stabilitur. Iosephus enim Antiq. XVII, 13, 2 narrat Archelaum, Herodis Magni filium, anno decimo regni sui Romae apud Augustum crudelitatis accusatum, deinde Viennam in Galliam esse relegatum, qui annus decimus, cum Herodem decessisse constet mense Aprili anni 4 a. Chr., incipietur ab Aprili mense anni 6 p. Chr., quo M. Aemilius Lepidus et L. Arruntius consules fuerunt. Neque pugnat cum hoc testimonio suo Iosephus bell. Iud. II, 7, 3, cum Archelaum nono principatus anno expulsum esse ait. Dupliciter enim regnum Archelai numerari posse video, aut ab morte Herodis patris aut ab eo tempore, quo Romae Augustus testamentum Herodis ratum esse iussit Archelaoque principatum confirmavit, quas res paucis mensibus inter se distare Iosephi narratio in Antiq. XVII, 10 sq. ostendit. Atque ipso anno 6 p. Chr. et quidem medio fere eiectum esse Archelaum etiam Dio Cass. LV, 27 docet. Quo expulso Iosephus Antiq. XVIII, 1 init. narrat Quirinium in Syriam missum esse, virum senatoriae dignitatis omnibusque honoribus perfunctum, *ὑπὸ Καίσαρος δικαιοδότην τοῦ ἔθνους* (i. e. Iudaeorum) *ἀπεσταλμένον καὶ τιμητὴν τῶν οὐσιῶν γενησόμενον,* ac venisse deinde in Iudaeam: *Παρῆν δὲ καὶ Κυρήνιος* (i. e. non Coponius modo, qui proprie Iudaeae procurator erat, verum etiam legatus Caesaris) *ἐς τὴν Ἰουδαίαν προσθήκην τῆς Συρίας γενομένην, ἀποτιμησόμενός τε αὐτῶν τὰς οὐσίας καὶ ἀποδωσόμενος τα Ἀρχελάου χρήματα.* Cf. Euseb. hist.

eccl. I, 5. Ac rursus Iosephus Antiq. XVIII, 2, 1 sic ait: *Κυρήνιος δὲ τὰ Ἀρχελάου χρήματα ἀποδόμενος ἤδη καὶ τῶν ἀποτιμήσεων πέρας ἐχουσῶν, αἳ ἐγένοντο τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἧττα ὑπὸ Καίσαρος*, i. e. anno 7 p. Chr., qui est trigesimus septimus post victoriam Actiacam. Reliqui nihil de eius hac legatione traditur nec quando de provincia decesserit, certum est. Hoc constat eum qui successit, in Syria fuisse anno 11 p. Chr., ut Quirinius prorsus quinquennium, ultra quod spatium legatis ab Augusto imperium prorogari non consuevisse Dio ait, explesse videatur.

Sequitur Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus, vir nobilissimus ipsique Augusti domo aliquando affinis, quia filia eius desponsa erat Neroni, Germanici filio (Tac. Ann. III, 43). De genere eius disputavit Borghesius in Annal. inst. arch. anni 1849 p. 52, qui docet filium fuisse naturalem M. Iunii Silani, cos. anni 25 a. Chr., adoptatum a Q. Caecilio Metello Cretico, qui proscriptus anno 43 a. Chr. cum adhaesisset postea M. Antonii partibus, mirabili casu post pugnam Actiacam effugit (App. bell. civ. IV, 42). Consulatum quidem gessit anno 7 p. Chr. cum A. Licinio Nerva Siliano mansitque per totum annum, id quod rarum tunc erat in privatis hominibus. Reliqui eius honores ignoti. Sed Syriae legatum ab exeunte anno 11 usque ad ineuntem 17 p. Chr. fuisse docent nummi Antiochensium apud Eckhel. D. N. III p. 276, tum Tacitus Ann. II, 4 narrat *rectorem Syriae Creticum Silanum* Vononi, Armeniorum regi, cui Parthi minarentur, insidias struxisse doloque captum apud se in custodia habuisse, cum quo Ioseph. Antiq. XVIII, 2, 4 consentit; denique idem Tacitus Annal. II, 43 Tiberium anno 17 p. Chr. dicit, cum Cn. Pisonem, Germanico inimicum, Syriae imponere vellet, demovisse Silanum; qua in re honesta ille specie utebatur nec ab solito more recedebat. Iustum enim legationis quinquennium Silanus explerat.

Hoc igitur Syriae praeside Q. Silano mortuus Augustus Tiberiusque imperium adeptus est, sub quo qui praefuerint, antequam persequamur, dicendum est de insigni inscriptionis fragmento, quod varie virorum doctorum ingenia exercuit. Primus id edidit Lamius in diurnis Florentinis anni 1765 p. 355, unde petiit Donatus p. 464, 3, deinde exhibuit Sanclementius de vulgaris aerae emendatione (Romae 1793) p. 414, non ex abbatis Sartii exemplo, quod putat Mommsenius, sed ipse lapidem Tibure viderat accurateque aere expresserat, ex quo sumpsit Ph. E. Huschkius de censu tempore Iesu Christi acto p. 65. Nuper denique denuo descripsit ac commentario etiam quodam instruxit Theod. Mommsenius, quem commentarium edidit Rich. Bergmannus in programmate gymnasii Luckaviensis anni 1852. Ex his qui de supplendo atque explicando fragmento disputarunt, praeter unum omnes hoc egerunt, ut eius ope P. Sulpicium Quirinium bis Syriae praefuisse demonstrarent, atque ipse Bergmannus cum olim ad Cn. Sentium Saturninum retulisset, cessit tamen facile Mommsenii auctoritati. Qui autem unus dissentiens de Quirinio non credit, ad M. Agrippam

refert, non verius meo quidem iudicio. Est autem inscriptio, qualis a Mommsenio exhibetur, haec:

. . . . . .
. . GEM . QVA . REDACTA . IN . POT . . . . . .
AVGVSTI . POPVLIQVE . ROMANI . SENATV . . . . . .
SVPPLICATIONES . BINAS . OB . RES . PROSP . . . .
IPSI . ORNAMENTA . TRIVMPH . . . .
PRO . CONSVL . ASIAM . PROVINCIAM . OP . . . .
DIVI . AVGVSTI . ITERVM . SYRIAM . ET . PH. . . .[1])
. . . . . .

Iam ad quem virum hoc elogium pertineat, examinans Mommsenius ex iis, quae supersunt, quattuor has res effici ait. Primum enim intelligere sibi videtur gentem a duce aliquo Romano devictam esse ac regem, cuius meriti gratia supplicationes ei et ornamenta triumphalia obtigerint. In quo plus ille intelligit quam debuit. Nam unde regem devictum efficiat, non video nec quod ab initio primi versus RE]GEM scribendum est, sequitnr, ut regis victoria celebretur. Immo regem non dici devictum hinc cognoscimus, quod deinde est *qua redacta in potestatem,* ante quae si quod illi placuit *gentem et regem* suppleamus, nemo femininum *qua,* quod sequitur, Latine possit intelligere. Quod cum sentiret quam non Latine diceretur, Bergmannus, qui Quirinium celebrari existimaret, maluit expleri *devicit gentem*, *quae interfecit regem, qua redacta in potestatem,* referens haec ad regulum quendam Homonadensium. Deinde quod supplicationes duci, qui gentem et regem vicisset, Mommsenius ait esse decretas, certe temere iudicat. Non quaeremus hoc loco, num omnino sub imperatoribus supplicationes potuerint decerni legatis, qua de re paulo post disputabimus, hoc certe in titulo non significari supplicationes legato decretas indicat quod sequitur *ipsi ornamenta triumphalia* esse concessa. Relinquuntur igitur ex iis, quae Mommsenius primo loco posuit, haec duo, gentem vel regionem esse devictam atque ornamenta triumphalia legato decreta. Supplicationes fuerunt illae quidem, sed cuius nomine decretae sint, quaeritur. Alterum, quod Mommsenius intelligit, hoc est, post illam victoriam ornamentaque triumphalia hunc, quisquis fuit, pro consule fuisse Asiae, in quo rursus plus

1) Sanclementii exemplum, si duas tresve litteras ab initio aut exitu versuum positas, quae ad sententiam explicandam nihil momenti afferunt, excipias, ab Mommseniano hac una re discedit, quod vs. 5 exeunte est PROVINCIAM . ON, ut *omnem* prope necessario suppleatur. Mendosius longe est exemplum, quod Lamius et Donatus expresserunt.

sumit quam debet. Constat enim, si a consulatu discedatur, qui solet omnino nomen eius qui celebratur, subsequi, duplicem omnino honorum in titulis recensendorum esse rationem, ut aut a minore ad maiorem ascendatur aut inverso ordine, qui praeter consulatum fuit maximus et ultimus, ab eo incipiatur, sequantur deinceps reliqui inferiores. Hoc cum saepe a compluribus expositum exemplisque confirmatum ac vulgo notum sit, sic modo dicere licebat, hunc fuisse legatum incertae alicuius provinciae, pro consule Asiae, legatum Syriae bis: quando proconsulatum administrarit, incertum esse. Veruntamen cohaeret quasi cum hac re quod tertio loco ponit Mommsenius, Syriam ab hoc duobus temporibus esse administratam, primum antequam Asiam sortiretur, iterum post proconsulatum. Quod ut intelligatur cuiusmodi sit, paulo altius repetendum est. Quid enim vs. 6 significat *legatum divi Augusti iterum Syriam et Phoenicae rexisse?* Sanclementius l. l. p. 424 et ex usu linguae et plurimis exemplis allatis docuit, solere in titulis honorum plena nomina repeti, nisi quis eundem honorem saepius in eodem oppido eademve in provincia gesserit, diversosque existimari honores, nisi qui eodem loco gesti sint. Sic curatores sunt et aquarum et Tiberis et viarum multarum, sed si quis complures ex his curaturis gessit, non dicitur *curator viae Appiae et Aureliae et Traianae,* sed *curator viae Appiae, curator viae Aureliae, curator viae Traianae,* unde certum argumentum peti potest, utrum diversa sint munera necne. Item aliquis procurator Augusti provinciae Britanniae, procurator Augusti provinciarum duarum Lugdunensis et Aquitaniae, procurator Augusti a rationibus appellatur, ubi repetito ter procuratoris nomine tria diversa munera significantur, similiterque fit in proconsulibus, propraetoribus, praefectis reliquisque muneribus, quorum cum sint compluria genera, quae eodem nomine appellentur, non existimatur idem munus nisi quod de iisdem rebus gestum sit. Quare cum legati pro praetore sint quotquot imperatoriis provinciis praesunt, alia tamen censetur legatio, quae in alia provincia gesta est repetitoque legati nomine distinguitur. Huius rei causa sita est cum in consuetudine quadam, tum in ipsa ratione munerum, qualis quidem sub imperatoribus extitit. Nam in libera republica constat saepe esse proconsules et propraetores appellatos non addito provinciae, cui praeessent, nomine; item legati dicebantur huius vel illius imperatoris, similiterque in aliis honoribus. At imperatores quia multos multorum graduum habebant legatos, coepta est provincia addi, quae inde a Neronis imperio nunquam omittitur. Efficitur hinc, ut, qui legatus Augusti iterum Syriae et Phoenices nominatur, Syriae bis praefuerit, non prius in alia provincia, deinde in Syria legatus fuerit. Neque quicquam interest, vox *iterum* utrum legato potius an provinciae addatur. Solet enim omnino Latine repetitio muneris, quod pluribus vocibus dicendum sit, ita significari, ut *iterum, tertium* reliqua aut in media muneris appellatione interiiciantur aut in extrema addantur, quemadmodum nullo discrimine

Ilviros iterum iuri dicundo et Ilviros iuri dicundo iterum similiaque dici multis exemplis demonstravimus in commentationibus epigraphicis p. 105. Quare utrum quis legatus Augusti iterum Syriae et Phoenices an legatus Augusti Syriae et Phoenices iterum appelletur, nihil interest, nedum ubi verbum, velut hic, appositum invenitur. Veruntamen haec cum ita recte statuerit Sanclementius, duae tamen res observandae sunt. Primum enim est, quod differat inter senatorias et inter imperatorias provincias. In illis imperium annuum est mutanturque qui praesunt, quotannis. Unde fit, ut, si quis dicatur provinciam senatoriam iterum obtinuisse, dupliciter id possit intelligi, ut putetur aut per biennium continuum praefuisse, aut disiunctis temporibus bis per annuum spatium. Ex illo genere est, quod Eprius Marcellus pro consule Asiae III in inscriptione, quam Borghesius in Bullett. inst. arch. anni 1831 p. 147 illustravit, quem ab anno 71 usque ad annum 74 p. Chr. in Asia fuisse scimus, item quod Egnatius Lollianus pro consule Asiae II appellatur in Graecis inscriptionibus apud Boeckh. Corp. inscr. graec. n. 2870 et 3517, aliaque pauca exempla nota sunt. Videtur enim hoc omnino altero genere fuisse frequentius, quod accidere vix poterat, nisi cum extra ordinem imperium proconsularis provinciae deferebatur, qualis fuit ille, qui apud Mur. p. 728, 1 dicitur *pro consule provinciam Cyprum obtinuisse*, deinde *pro consule iterum extra sortem auctoritate imperatoris ex SC. missus esse ad componendum statum in reliquum provinciae Cypri.* At in imperatoriis provinciis, in quas Caesaris legati nullo tempore praefinito proficiscuntur ac tamdiu manent, dum revocantur, si eandem legem servari velimus, vix singuli erunt, qui non plus quam semel eandem provinciam obtinuerint; ipse enim Augustus constituit, ne minus triennio neve diutius quinquennio legati in provinciis retinerentur. Quare qui imperatoriam provinciam bis obtinuit, disiunctis temporibus rexit neque recte Bergmannus l. c. p. VIII hunc, qui Syriae iterum praefuisse dicitur, quisquis fuit, opinatur per biennium obtinuisse. Deinde commemoranda est notabilis sane quaedam Romanorum in titulis scribendis consuetudo. Etenim non is modo iterum honorem aliquem gessisse dicitur, qui ipso tempore quo scribebatur gerebat, verum etiam posteaquam gessit, ut *iterum* idem prope significet quod *bis*. Non referam hoc loco, quantopere id etiam ad scriptores transierit, quorum usus ea re paulatim ita corruptus est, ut in infima Latinitate vix quicquam inter numeralia intercedere videatur, veluti apud Trebell. Poll. trig. tyr. 33 quid esse dicamus, quod legitur: *Censorinus — bis consul, bis praefectus praetorii, ter praefectus urbis, quarto proconsul, tertio consularis legatus, praetorius secundo, aedilicius quarto, quaestorius tertio?* In quibus regulam ullam quaerere certe inutile videatur. Verum in inscriptionibus illud quod dixi, satis saepe reperitur, ut apud Mur. p. 2023, 5, qui titulus a cliente quodam positus est *L. Mario Maximo Perpetuo Aureliano C. V. praefecto urbis, proconsuli provinciae Asiae iterum, proconsuli*

provinciae Africae, ubi quis existimabit L. Marium eo tempore, quo haec inscripta sunt, praefuisse Asiae iterum? Item apud Grut. p. 457, 4 *cur. locor. public. iterum aed. cur. legato pro pr. iterum,* ubi etsi verba mendose videntur esse descripta, de his tamen duabus rebus constare censeo, et *iterum* illud legi neque homini dum iterum gerit honorem, positum esse titulum, et apud Grut. p. 421, 3 est *legato ampliss. ordinis tert. praef. urbi iudic. sacrar. cognition. iterum,* ubi res aperta est, et apud Grut. p. 465, 8 *praef. praetorio iterum,* ubi statua, de qua agitur, non videtur ei in ipsa altera praefectura esse posita. Rariora sunt haec maiorum honorum exempla, propterea quod et raro maiores honores, quidam nunquam repetuntur, et sicubi repetitio significanda est, id signo fere numeralium scripto notatur, quod utraque ratione interpretari licet. Frequentiora honorum municipalium, quorum eadem prorsus ratio est, exempla reperiuntur. Velut apud Orell. n. 3866 *C. Matrinio Aurelio* titulus positus refertur *duumviro iterum qq. i. d.,* quamquam postea curator civitatis fuisse narratur, apud Orell. n. 2217 in monumento sepulchrali *C. Egnatius* vocatur *IIvir quinq. iter.,* apud Grut. p. 481, 6 item in sepulchro *T. Valerius Victor IIvir i. d. iterum quinquennalis.* Cf. commentationes nostrae epigraphicae p. 106 sq. Deductus est hic dicendi usus ex illa Romanorum consuetudine, quod omnium quos quis gesserat honorum tituli perpetuo inhaerebant eius nomini, ut non postremus modo, ad quem per reliquos ascenderat, sed omnium tota series recenseretur; nam sicut in sepulchro quaestor, aedilis, praetor dudum gestis his honoribus vocabatur, sic non minus recte legati iterum vel similiter etiam posteaquam legatione functi erant. Quamquam hic usus non tantum invaluit, ut non etiam altera dicendi ratio, quae proprie verior est, usurparetur, veluti *IIvir bis* apud Orell. n. 3812 et Grut. p. 415, 6; *curator nautarum bis* apud Grut. p. 418, 3; *censor bis factus* apud Grut. p. 171, 8 et 411, 2, sed illud tamen prope frequentius esse dixerim propter eam quam significavi causam. Quid igitur hinc efficitur? Nimirum illud, ut, quod est *legatus divi Augusti iterum Syriam et Phoenicen rexit,* significare possit, bis hunc Syriae praefuisse nec opus sit prioris legationis Syriacae mentio antecedat. Adde ad haec, quod fieri posse diximus, si summus honos ab initio positus sit, inferiores deinceps ex ordine, quomodo tunc dicendum fuisse videatur? Nonne necesse erat omissa prioris legationis mentione alteram modo commemorare? Quis enim ferat, si antecedat *legatus Syriae iterum,* sequatur *legatus Syriae?* Quae cum ita sint, hunc titulum ita licet intelligi, ut qui eo celebratur, existimetur fuisse primum bis, sed diversis temporibus legatus Syriae, deinde pro consule Asiae, denique alius alicuius provinciae legatus. Veruntamen ut in his Mommsenii sententia vel corrigenda vel mutanda erat necessario, ita illa sunt verissima, quae adiicit, utramque huius legationem Syriacam fuisse imperante Augusto (nam si fuisset altera imperante Tiberio, legatus

Tiberii nominandus erat) et decessisse hunc, cui titulus paulo post mortem positus sit, sub Tiberio.

Atque hanc ob causam reiicienda erit Huschkii coniectura, qui cum de P. Sulpicio Quirinio non crederet, ad M. Agrippam, Augusti generum, hunc titulum referendum esse censuit. Quamvis enim ille imperante Augusto anno 12 a. Chr. obisset, potuisse tamen ei etiam triginta post mortem annis hoc monumentum collocari, nec vulgarem hanc esse sepulchri inscriptionem, quales sane paulo post mortem poni solerent, sed historicum aliquem titulum, ignota aliqua de causa clarissimo viro dedicatum. Haec ut plane refutentur, vix potest fieri. Quis enim neget, potuisse alicui etiam post aliquot saecula in mentem venire, ut M. Agrippae res gestas enarraret, easque in monumento incisas publice proponeret, quo ex genere extant elogia illa antiquorum principum Romanorum, quae multo postquam ipsi vixerunt, priscae virtutis renovandae causa constat esse inscripta. Quamquam interest inter hos et inter M. Agrippam. Illorum enim res gestae vel nullis monumentis publice celebrabantur vel iis, quae homines vix amplius intelligerent, huius tot certe sub imperatoribus erant publicae laudes, ut iis, qui memoriam eius alicubi renovare vellent, facultas eorum, quae iam extarent, describendorum non deesset. Veluti si quis imperatoris Augusti monumento indicem rerum ab eo gestarum adiicere cuperet, quomodo non uteretur aut eo, qui ab ipso confectus ad mausoleum extaret, quem in plurimis divi Augusti templis adiectum esse scimus, aut alio aliquo, quem publice expositum inveniret, sed novum ipse componeret? Neque M. Agrippae gloria magnopere ab ipso Augusto distabat. Veruntamen inutile prope est pluribus haec persequi, ac parum esse veri similia demonstrare; nam cum eo qui eius rei quam factam esse iudicet, nullam reddat rationem, sed hoc modo urgeat, potuisse fieri aliqua ratione, pugnari vix ullo modo recte potest. Equidem video, qua re ductus sit Huschkius. Movebatur enim iis, quae Sanclementius l. l. prudenter de universa huius tituli natura disputat, videri eum non ad modum communium sepulchralium esse compositum, sed maiore quadam eloquentia res eius, cui poneretur, esse executum. Quo in genere optime aliud monumentum Tiburtinum confert M. et Ti. Plautiorum Silvanorum, in quo imprimis Ti. Silvani res gestae copiosius exponuntur. Attamen ipsum hoc monumentum constat esse sepulchrale et titulos paulo post mortem eorum, ad quos pertinent, inscriptos. Iam difficile illud quidem est factu, ut inscriptionem aliquam, quae brevis fere sit et ab dicendi copia abhorreat, ex linguae orationisque argumentis demonstres quando confecta sit, neque unquam id sic poterit demonstrari, ut intra paucos annos eius originem definias; multoque minus id in fragmento, cuius maior pars desit, fieri potest. Sed hunc tamen titulum quis non videt tam eleganter esse scriptum et in copia quadam laudis tanta commendari brevitate, ut ab optimis temporibus non multum abesse possit, maximeque eum

conferendum esse iudicem cum monumento illo Ancyrano, quo imperator Augustus res suas narravit. Deinde unum certe indicium invenitur, unde non ultra Tiberii initia detrudendum esse intelligamus. Parvum est, quod dicturi sumus, sed multum valet apud eos, qui huiusmodi rerum periti sunt. Dicitur enim is, cui haec inscripta sunt, *ornamenta triumphalia* esse adeptus. At postea appellari solebant *triumphalia ornamenta;* velut in ipso Plautiorum monumento quod citavimus (Orell. n. 622) M. Plautius cos. anni 2 a. Chr., dicitur a senatu *triumphalia ornamenta* accepisse, itemque Ti. Plautius sub Vespasiano *triumphalibus ornamentis* honoratus, et Licinio Surae sub Traiano *triumphalia ornamenta* decreta esse apud Grut. p. 430, 5. Semper sic Tacitus, ut Agric. 40 *triumphalia ornamenta,* Annal. I, 72 *triumphalia insignia*, Annal. I, 15 *triumphalis vestis,* cf. XII, 41; Hist. I, 79 *triumphalis statua*, idque tantum valuit, ut etiam cum ter dixerit *triumphale decus,* Annal. VI, 39 et XIII, 45 et XV, 72, semel modo nominarit *decus triumphale,* eoque ipso loco non sine certa quadam causa. Item Sueton. Caes. 38 et Tib. 9 *triumphalia ornamenta* neque unquam aliter et Plinius in epistolis et si qui alii eiusdem aetatis commemorant. Causa erat haec, opinor, quod cum imperatores praetoria et quaestoria et consularia ornamenta multis tribuerent, quia iam multa ornamentorum genera erant, praeponendo adiectivo quod cuiusque genus esset, distinguere cupiebant; nam etiam reliqua genera, nisi ubi certa causa subest, similiter appellantur. Sed haec persequi longum est neque pertinet ad hunc locum: nos aetatis hoc indicium significare modo volebamus. Quamquam id ne opus quidem erat. Est enim etiam historicum argumentum, unde certum sit M. Agrippam hoc monumento non esse celebratum. Appellatur enim hic quicunque fuit, pro consule Asiae, Agrippam autem nunquam proconsulatum Asiae gessisse constat. Qui qua potestate fuerit cum Asiam componeret, supra p. 81 a nobis explicatum est. Quae si cui minus satisfaciant, propterea quod Syriam maxime spectando de regimine Asiae minus copiose disputavimus, apertissimum testimonium exhibet Iosephus Antiq. XVI, 6, 4, referens M. Agrippae epistolam ad Ephesiorum magistratus, in qua se Silano pro consule (*Σιλανῷ τῷ στρατηγῷ*) mandasse scribit, ne Iudaeis molestus esset. Iam hic est M. Iunius Silanus cos. anni 25 a. Chr., quem anno 14 a. Chr. pro consule praefuisse Asiae docuit Borghesius in Annal. inst. arch. anni 1849 p. 20 i. e. ipso eo tempore, quo Agrippam in Asia fuisse scimus. Quare cum esset pro consule Asiae quo tempore Agrippa ibi res constituebat, quomodo potuit ipse esse pro consule?

Abiicienda igitur omnis M. Agrippae cogitatio, nec vero P. Sulpicii Quirinii admittenda, quem introduxerunt Sanclementius, Mommsenius, Bergmannus. Pugnat enim in eum idem quod in Agrippam. Quem cum supra p. 91 exposuerimus fuisse pro consule Africae, nullo modo Asiae etiam praefuisse poterimus statuere. Nam quamvis ipse paulo

ante Marii Maximi, noti rerum scriptoris, titulum citarimus, qui et Asiae et Africae pro consule fuit, nemo tamen hoc quod inferiore imperatorum Romanorum aetate mutataque omni provinciarum ratione accidit, ad haec Augusti tempora referet, quibus cum modo constitutum esset, ut consulares viri alterutram provinciam aut Africam aut Asiam sorte acciperent, fieri non poterat, ut unus utrique praeesset. Sed praeter hoc est etiam aliud ab iis, qui de hac inscriptione egerunt, vel praetermissum vel minus recte explicatum, quod P. Quirinium videatur repellere. *Supplicationes* enim *binae* dicuntur a senatu decretae esse. In quibus primum observabo quod paulo supra iam tetigi, eas non ipsi huic, cui titulus positus est, decretas esse, sed alii alicui. Nimirum *ipse* ornamenta triumphalia accepit; ergo supplicationes non accepit ipse. Etenim supplicatio eius modo nomine decerni potest, qui suis auspiciis bellum gerit, legato non potest. Illustrat hanc rem exemplum P. Ventidii, qui cum legatus M. Antonii, anno 39 a. Chr., hostibus victis et Cilicia Syriaque recuperata rempublicam praeclare gessisset, nec triumphum nec supplicationes suo nomine habendas accepit, de quo sic narrat Dio XLVIII, 41: *Καὶ αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἐπ᾽ αὐτοῖς παρὰ τῆς βουλῆς, ἅτε οὐκ αὐτοκράτωρ ὢν, ἀλλ᾽ ἑτέρῳ ὑποστρατηγῶν, εὕρετο· ὁ δ᾽ Ἀντώνιος ἐπαίνους τε καὶ ἱερομηνίας ἔλαβεν.* Idemque libr. XLIX, 21 ea quae Ventidius anno 36 in Parthis gessit, referens sic ait: *Ἐνταῦθα δὲ ἤδη αὐτῷ (Οὐεντιδίῳ) ὁ Ἀντώνιος ἐξαίφνης ἐπιστὰς οὐ μόνον οὐχ ἥσθη, ἀλλὰ καὶ ἐφθόνησεν, ὅτι ἔδοξέ τι καθ᾽ αὑτὸν ἠνδραγαθῆσθαι· καὶ διὰ ταῦτα καὶ τῆς ἀρχῆς αὐτὸν ἔπαυσε καὶ ἐς οὐδὲν ἔτι οὔτ᾽ αὐτίκα οὔθ᾽ ὕστερον αὐτῷ ἐχρήσατο, καίτοι καὶ ἱερομηνίας ἐπ᾽ ἀμφοτέροις τοῖς ἔργοις καὶ ἐπινίκια δι᾽ αὐτὸν λαβών· οἵ γε μὴν ἐν τῷ ἄστει Ῥωμαῖοι ἐψηφίσαντο μὲν τῷ Ἀντωνίῳ ταῦτα πρός τε τὸ προῦχον αὐτοῦ καὶ ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ἡ στρατηγία ἐκείνου ἦν.* Lex igitur vetus quae fuerit, apparet, quae quin etiam ab imperatoribus conservata sit, dubitari non potest. Augustus initio principatus concessit ille quidem verum triumphum multis, qui se imperatore rem bene gessissent, velut ipse ille P. Ventidius post Actiacam victoriam triumphavit (Dio XLIX, 21 extr.), nec si triumpharunt, non supplicatio etiam eorum nomine habita; nam supplicationem vero triumpho inferiorem visam esse Cato apud Cic. epist. XV, 5 docet, qui non semper supplicationi triumphum succedere scribit. Sed quamquam inferior habebatur, perinde tamen ab imperatoribus servatum est atque in triumpho, quem Velleius libr. II, 115 nemini deberi ait, nisi qui suis auspiciis bellum gessisset, legato tribui ornamenta triumphi. Quare sic existimabimus et legatorum nomine nullam fuisse supplicationem et cuius commemorentur ornamenta triumphalia, eius nomine non potuisse haberi supplicationem. Neque adversatur huic legi M. Agrippae exemplum, de quo Dio LIV, 24 sic narrat: *Καὶ ἐπ᾽ αὐτοῖς θυσίαι μὲν τῷ τοῦ Ἀγρίππου ὀνόματι ἐγένοντο, οὐ μέντοι καὶ τὰ ἐπινίκια, καίτοι ψηφισθέντα αὐτῷ, ἐπέμφθη· οὔτε γὰρ*

ἔγραψεν ἀρχὴν ἐς τὸ συνέδριον ὑπὲρ τῶν πραχθέντων οὐδὲν· ἀφ᾽ οὗ δὴ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα, νόμῳ τινὶ τῷ ἐκείνου τρόπῳ χρώμενοι, οὐδ᾽ αὐτοὶ τῷ κοινῷ ἔτ᾽ ἐπέστελλον οὔτε τὴν πέμψιν τῶν νικητηρίων ἐδέξαντο· καὶ διὰ τοῦτο οὐδ᾽ ἄλλῳ τινὶ ἔτι τῶν ὁμοίων αὐτῷ (ὥς γε καὶ ἐγὼ κρίνω) ποιῆσαι τοῦτο ἐδόθη, ἀλλὰ μόναις ταῖς ἐπινικίοις τιμαῖς ἐγαυροῦντο. Nam θυσίαι hoc loco etsi idem est quod alibi ἱερομηνίαι, supplicationesque significantur (cf. Dio XXXIX, 5 et XL, 50), unde nova efficitur causa, cur hic, de quo disputamus, titulus ad Agrippam referri nequeat (Agrippa enim supplicationem suo nomine celebrandam accepit), non debemus tamen existimare, coniunctam fuisse cum ornamentis triumphalibus supplicationem. Siquidem Agrippae haec ornamenta triumphalia diversa fuisse a reliquorum intelligimus ex Suet. Tib. c. 9, qui *Tiberium* ait, *primum, ut quidam putarent, triumphalibus ornamentis honoratum.* Errare Suetonius in tali re non potuit, neque illi, qui Tiberio primum illum honorem tributum esse censebant, non habebant, quo sententiam suam tuerentur. Etenim anno 12 a. Chr. Tiberio senatus decrevit triumphum, sed Augustus, sine dubio Agrippae quod paulo antecesserat exemplum secutus, intercessit solisque ornamentis contentum esse iussit (Dio libr. LIV, 31); at Agrippa modestiae causa cum triumphus et ab senatu et ab Augusto decretus esset, supplicationem, quae absente sese fieret, prohibere non potuit, triumpho agendo abstinuit, ut inter Tiberium et Agrippam hoc intersit, quod illi ornamenta triumphalia decreta sunt, hic triumphum decretum non accepit. Vere autem sic intelligi verba haec Dionis de Tiberio: *Καὶ αὐτῷ διὰ ταῦτα ἡ μὲν βουλὴ τά γε ἐπινίκια ἐψηφίσατο· ὁ δ᾽ Αὔγουστος ταῦτα μὲν οὐκ ἐπέτρεψεν ἑορτάσαι, τὰς δὲ τιμὰς τὰς ἐπινικίους ἀντέδωκε,* discimus ex Drusi, fratris eius, honore, cui eadem quae Tiberio tributa esse ait ipse c. 32, de quo deinceps c. 33 sic habet: *Διὰ μὲν οὖν ταῦτα τάς τε ἐπινικίους τιμὰς καὶ ..... ἔλαβε.* Maneat ergo, quod diximus, legato nulli imperatorum neque triumphum neque supplicationem esse concessam; maiorem autem quam legati potestatem sub reliquis imperatoribus habuit nemo, sub Augusto, si ab Agrippa et C. Caesare, de quibus disputavimus, discesseris, duo tantum, Tiberius, qui anno 12 p. Chr. triumphavit, quo tempore iam aperte imperii successor erat, et Germanicus, Drusi filius, cui anno 17 p. Chr. idem concessit Tiberius. Neque huic legi repugnant, si qua inveniuntur talia, quale est apud Dionem LIV, 34 de L. Pisone, qui Thraciam magno bello liberavit, de quo ait: *καὶ αὐτῷ διὰ ταῦτα καὶ ἱερομηνία καὶ τιμαὶ ἐπινίκιοι ἐδόθησαν.* Datur enim alicui etiam supplicatio, cuius ob res prospere gestas supplicatio fiat, quamvis ea non ipsius nomine ornetur, aliterque ipse Dio paulo supra Agrippae nomine actam esse supplicationem scribit. Piso autem fuerat legatus tantum Augusti neque ullo modo eum honorem, qui Tiberio modo negatus esset, capere potuit. Apertum vero exemplum seiunctae ab ornamentis triumphalibus supplicationis est apud Tacitum Ann. XIII, 41, qui post-

quam de Artaxatis ab Corbulone captis narravit, sic pergit: *Ob haec consalutatus imperator Nero et senatus consulto supplicationes habitae — aliaque in eandem formam decernuntur adeo modum egressa, ut C. Cassius de ceteris honoribus assensus, si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit.* ubi cum legatus victoriam reportarit, nemo tamen dubitavit, quin supplicationes, quas quidam adulationis causa per annum continuari vellent, imperatoris nomine decretae sint. Quare confirmatur prorsus historiae exemplis, quod ex hoc Tiburtino titulo colligitur, legatis Augustorum non magis supplicationem esse concessam, quam triumphum aut imperatoris nomen. Paululum diversa erat ratio proconsulum, qui senatorias provincias obtinebant, quibus quia non erant Caesaris legati qui praeerant, omnia haec tribui poterant, sed impedivit vel consuetudo temporum, vel invidia imperatorum vel denique, quod praeter unum Africae proconsulem nullus ex iis exercitu utebatur, quo victoriam triumpho dignam reportaret. Itaque hunc ipsum Africae proconsulem semel a Tiberio vero imperatoris nomine ornatum esse invenimus apud Tac. Ann. III, 74, qui Iunio Blaeso devicto Tacfarinate hoc tributum esse ait, cui fieri potest ut etiam supplicatio ipsius nomine habenda sit addita. Veruntamen adiicit ipse Tacitus: *Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum* (imperatoris) *ac tunc Tiberius Blaeso postremum.* Nemo igitur post hunc vel triumphum vel supplicationem meruit ac Caligula proconsuli Africae adempto exercitu etiam facultatem vincendi eripuit.

Difficilius paulo est invenire, quid *supplicationes binae* significent, quae ob res ab eo, cui hic titulus positus est, prospere gestas decretae esse narrantur. Hoc dupliciter interpretari licet, ut intelligantur aut duobus diversis temporibus decretae supplicationes aut coniunctim habitae, sed ita appellatae, quod singularum supplicationum certus quidam numerus fuerit. Iam supplicatio singulari numero dicitur illa quidem etiam ea, quae complurium dierum fuerat, ac saepe imprimis apud Ciceronem, ut hunc usum rectiorem esse iudicem, sed Livius, ubi plus quam diei fuerunt, fere supplicationes appellat, videturque hoc vocabulum in eam quasi naturam transisse, ut, cum raro per unum diem modo supplicaretur, plurali tantum numero usurparetur. Sed ut primum videamus, num qua fuerit ea supplicationum ratio, ut singularum certus esset numerus, binaeque, etiamsi dies non adiicerentur, quot tamen essent dierum intelligeretur, consideremus Ciceronem de prov. cons. 11, ex quo loco quidam singulas supplicationes quinum dierum fuisse collegerunt. Excusat ibi se Cicero apud senatum, quod Caesari anno 57 a. Chr. quindecim dierum supplicationem decreverit, qua in excusatione his verbis utitur: *Supplicationem quindecim dierum decrevi sententia mea. Reipublicae satis erat tot dierum, quot C. Mario. Diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quae ex maximis bellis. Ergo ille cumulus*

dierum hominis est dignitati tributus. In quo ego, quo consule referente primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto confectoque Mithridatico bello, et cuius sententia primum duplicata est supplicatio consularis (mihi enim estis assensi, cum eiusdem Pompeii litteris recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribusque bellis supplicationem dierum duodecim decrevistis), sum Cn. Pompeii virtutem et animi magnitudinem admiratus, quod cum ipse ceteris omnibus esset omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat quam ipse erat consecutus, neque ulla horum verborum in codicibus reperitur memorabilis varietas, nisi quod Erfurtensis exhibet *supplicationem dierum XV.* Equidem duas res ex hoc loco effici video, primum Cn. Pompeio maiorem quam C. Mario, minorem quam Caesari decretam esse supplicationem (cf. Cic. de prov. cons. 10); de illo enim ait tot dierum suffecisse gratulationem, quot Mario suffecisset, de hoc laudat Pompeium, quod cum ipse minus accepisset, plus concessisset Caesari: deinde duas supplicationes datas esse Pompeio, unam anno 63, cum interfectus Mithridates Romam nunciaretur, cum Cicero ait se consulem retulisse de supplicatione decernenda, alteram vel insequenti anno exeunte vel anno 61 ineunte, paulo ante Pompeii triumphum, cum hic omnia bella confecta esse ad senatum scripsisset, quo tempore Cicero tunc inter consulares iterum supplicandum esse pro sententia dixit senatusque ei assensus est. Iam prior, quae Cn. Pompeii nomine habita est, supplicatio necesse est fuerit minus quam quindecim dierum (tot enim Caesari concessi) et plus quam quinque dierum; nam non minus Mario datum esse ex exemplis, quae paulo infra afferemus, intelligitur. Quare recte prorsus decem dierum numerus sese videtur habere. At altera supplicatio, in qua Cicero supplicationem consularem a se duplicatam esse scribit, quot dierum fuit? Ea vel duodecim vel quindecim dierum fuisse scribitur in codicibus. Hoc verum esse nequit, quia tot dies Caesar accepit. Sed num propterea illud verum? Videtur Garatonio et Ernestio, qui sic statuunt et C. Mario sex dierum supplicationem decretam esse et consuetum omnino hunc dierum numerum fuisse in iis, qui pro consulibus bella gessissent; nam pro praetoribus pauciores dies suffecisse. Consularem igitur supplicationem esse sex dierum, ea duplicata effici duodecim. Qua in re novum prorsus hunc morem introducunt, ut non pro magnitudine et belli et victoriae, sed pro dignitate imperatorum vel auctam vel deminutam esse censeant supplicationem. Auctores vero eius opinionis Garatonius neque affert neque requirit solumque Ciceronem sibi ait sufficere. Ac quin sufficiat testisque locupletissimus videri debeat, quis dubitet, dummodo aut aperte loquatur aut verba eius sint ea, quae legimus? Veruntamen pugnant cum his, quae de supplicationibus traduntur. Etenim supplicationes fuerunt vel diei (Liv. XXXVII, 47) vel bidui (Liv. X, 23) vel tridui vel quatridui, id quod primum post Veios excisos factum esse narrat Liv. V, 23, vel denique

quinque dierum neque hunc numerum egressae videntur esse ante Pompeium. Sex quidem dies in supplicationibus non commemorantur neque unquam eos admissos esse arbitror. Nam Pompeio modo vidimus decem dies datos esse, Caesari postea dati quindecim (Caes. bell. Gall. II, 35), tum viginti (Caes. bell. Gall. IV, 38 et VII, 90; App. bell. civ. II, 3), tum quadraginta (Dio Cass. XLIII, 14), tum quinquaginta (Dio XLIII, 42; Cic. Phil. XIV, 11 et 14), sexaginta Hirtio et Pansae (Dio XLVI, 39), qui omnes numeri quinario recte dividuntur, ut sex dies neque ullo exemplo neque exempli probabilitate defendi possint, quinque dierum supplicationem qui dicant consularem fuisse, habeant quo sese tueantur.[1])

Veruntamen quaeritur, num qua omnino fuerit consularis supplicatio, ut consul vel pro consule si quid bene gessisset, certus supplicationum numerus decerneretur, sin praetor vel pro praetore, minor ille quidem, sed tamen item certus concederetur. Non videtur. Nam vetustioribus temporibus quatenus Livii historia exstat, proconsulibus modo tridui modo quinque dierum supplicationes decerni videmus, velut T. Quinctio ob Philippum regem victum quinque dies (Liv. XXXIII, 24), L. Aemilio Paulo ob Persen item quinque (Liv. XLV, 2), at P. Scipioni ob victoriam Zamensem triduum (Liv. XXX, 40), totidem consulibus propter Hasdrubalem victum (Liv. XXVII, 51), et L. Scipioni ob victoriam Antiochi regis (Liv. XXXVII, 52) concessi sunt, unde magnitudinem rei gestae, non dignitatem modo eius qui gessit, spectatam esse intelligimus. Nec si praetoribus vel pro praetoribus non plus quam triduum decretum esse videmus, veluti apud Liv. XXXI, 22 et XLV, 3, id factum est, quod non plus posset praetoribus concedi, sed quia iis ea bella mandabantur, unde plus gloriae referre non possent. Neque postea quicquam in hoc genere mutatum esse censeo. Nam C. Mario non plus quam quinque dies concessos esse paulo supra diximus, nec a L. Sulla vel deinde quicquam constitutum esse recte colligas ex Cic. Phil. XIV, 14, ubi, cum Cicero copiose ipsa verba senatusconsulti, quibus supplicationem decerni vult, complectatur eaque supplicatio duobus pro consulibus et Caesari pro praetore communiter decernatur, nihil tamen est, quod aut interesse quicquam inter proconsulum et inter propraetoris supplicationes aut mutatum omnino ex veteri consuetudine significet. Nam certa testimonia de Sullae, siquidem huius fuerunt ullae, aliisque eius aetatis supplicationibus nulla extant. Quare quinarius ille numerus, quem in diebus supplicationum versari videri diximus, ex religiosa aliqua nobisque incognita causa videtur esse repetendus. Cicero autem illo, quem attulimus, loco, si talem consularem supplicationem, quam quidam sex dierum esse voluerunt, non dicit, quid tandem dicit? Nimirum duas res novas Pompeio tributas

1) Semel omnino video supplicationem dierum septem commemorari ab Antonino Diadumeno, Opelii Macrini filio, pro Antonini nomine, quod susceperat, habitam, ab Ael. Lamprid. Ant. Diad. c. 3. Sed et labente imperio id factum est et singulari aliqua, ut videtur, de causa.

esse ait, primum hoc, quod interfecto Mithridate, decreta ei est decem dierum supplicatio, quot dierum nemini alii antea esset decreta, deinde quod, confectis omnibus bellis, cum nullum novum imperium, nullam novam provinciam accepisset, tamen iterata sive duplicata est decem dierum supplicatio. Hoc nunquam acciderat antea; nam nec P. Scipioni primum ob victum Hannibalem, deinde ob bellum compositum, nec magis reliquis, qui illa aetate magna bella magnis victoriis confecerunt, duplices supplicationes decretae. Itaque Pompeius, cum verbis decem, re viginti dierum supplicationem accepisset, facile Caesarem adiuvit in una quindecim dierum supplicatione impetranda, cum plus videretur ipse accepisse. Consularem igitur supplicationem dicit Cicero non eam, quae communis sit omnium vel consulum vel proconsulum, sed eam, quae uni Pompeio pro consule obvenit, quam duplicem ei decretam esse diximus. Quamquam etiamsi in libera republica fuisset certa aliqua, quam quidam temere statuunt, quam nos nullam fuisse docuimus, consularis supplicatio, ea certe sub imperatoribus nulla amplius esse potuit. Cum enim imperatorum ipsorum nomine fierent supplicationes, ducum, qui res gessissent, nulla nisi levis in senatusconsulto iniiceretur mentio, quid attinebat discrimen illud pro consulum et pro praetorum servari, praesertim cum qui maxima bella administrarent, qui legatorum nomine imperatorias provincias regebant, etiamsi consulatum gessissent, pro praetoribus tamen essent itaque rite appellarentur? Nam quod legatorum consularium et praetoriorum discrimen in aliis rebus fuisse scimus, id ad hoc supplicationum genus transferre qui velit, nulla probabili ratione utatur.

Quae cum ita sint, in hoc, de quo disputamus, titulo Tiburtino *binas supplicationes* sic intelligemus, ut diverso eas tempore habitas esse statuamus, ad Cn. Pompeii exemplum, cui eundem supplicationum numerum annuo fere spatio iteratum esse demonstravimus. Efficitur simul hoc, ut, cum supplicationes per se nullum certum dierum numerum indicent, dies, per quos supplicationes habitae sint, in inscriptione adiectos fuisse existimemus. Iam in P. Sulpicio Quirinio, cui tribui hunc titulum ab plurimis diximus, difficile erit vel fieri vix poterit, ut demonstretur, quas duas tantas res gesserit in proconsulatu Syriae, ut Augustus binas propterea deinceps supplicationes concederet. Expugnata ab eo scribit Tacitus Homonadensium castella, eaque satis multa fuisse Strabo, quem supra laudavimus, ostendit; addit idem quattuor milia barbarorum translata in urbes vicinas: nec negabo in his rebus gerendis multa accidisse proelia magnosque labores esse toleratos, sed vix in iis duas tantas victorias accidisse puto, unde duplices supplicationes decernerentur, nec ubi probabilitatem sequimur, id non erit causis quibusdam verarum similibus ostendendum potuisse accidere. At eum, cuius nos hunc titulum esse iudicamus, demonstrare possumus duas res gessisse easque tantas, ut singulae commemoratione scriptorum dignae habitae sint.

Nimirum inter praesides Syriae, qui Augusto imperante provinciam rexerunt, unus relinquitur, qui triumphalia ornamenta meruerit, C. Sentius Saturninus, qui cum ad P. Sulpicium hic titulus pertinere nequeat, necessario erit intelligendus. De eius autem triumpho, quem ex Germania meruit, sic refert Dio LV, 28: *Καίτοι καὶ αὐτοκράτορος μὴ ὅτι τοῦ Αὐγούστου, ἀλλὰ καὶ τοῦ Τιβερίου ἐπ' αὐτοῖς κληθέντος καὶ τιμὰς ἐπινικίους Γαΐου Σεντίου τοῦ τῆς Γερμανίας ἄρχοντος λαβόντος, ἐπειδὴ μὴ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον φοβηθέντες αὐτοὺς ἐσπείσαντο.* Hinc ratio apparet, cur binae supplicationes habitae sint; bis enim Germani pacem petierant, bis acceperant. Neque obstat, quod semel modo et Augustus et Tiberius ex duplici illa victoria imperatores appellati sunt, Augustus quidem quintum decimum; nam quartum decimum imperatoris titulum meruerat anno 8 a. Chr., quare Eckhel. D. N. VI p. 116 ad annum potius 5 quam 6 p. Chr. repetitum imperatoris nomen referre debuit. At Tiberius minus constat quem imperatorium titulum tunc reportarit. Etenim haec modo certa, quae Eckh. D. N. VI p. 200 exponit, omnino Tiberium octiens appellatum esse imperatorem (Grut. p. 236, 1), septiens autem antequam ad imperium pervenit, tum iterum fuisse imperatorem anno 7 a. Chr. (Orell. I p. 155). Quare sic censebimus, primum eum imperatoris nomen meruisse anno 9 a. Chr., cum Delmatis Pannoniisque subactis ovans urbem intravit, iterum anno 8 a. Chr., quo eum propter res in Sygambros gestas accepisse narrat Dio LV, 6, tum usque ad ann. 6 p. Chr. non additum esse novum imperatoris honorem et hoc demonstrat, quod Tiberius per illud tempus fere Rhodi in exilio egit et illud, quod Augustus imperator XIV fuit; nam id constare debet, non potuisse addi Tiberio novum imperatoris nomen, quin Augusto idem honos tribueretur. Tertium igitur appellatus imperator Tiberius anno 6 p. Chr. ex bello Germanico, quod cum C. Sentio Saturnino gessit, Augustus quintum decimum (Dio LV, 28), quartum Tiberius anno 8 p. Chr. ex bello Pannonico, quintum anno 9 ex Delmatico, sextum ex Germania post Vari cladem superata anno 11 p. Chr., septimum denique anno 14 p. Chr. cum etiam Augustum primum et vicesimum imperatorem factum esse constat. Quo anno cum Tiberius ex S. C. communiter cum Augusto provincias administraret, non opus erat, ipse bello gesto eum honorem mereret, sed quicunque legatorum bene pugnarat, hunc ei non minus quam ipsi Augusto honorem addidit. Quare illo bello Germanico, quo Sentius Saturninus excelluit, Augustus quintum decimum, Tiberius tertium videntur esse appellati imperatores. Nec vero, quod binae supplicationes propter hoc bellum decretae sunt, etiam bis imperatores appellandi erant Augustus et Tiberius; refert enim Dio Cassius Caio Caesari primum, deinde Claudio tributum contra consuetudinem, ut ex uno bello saepius dicerentur imperatores; antiquitus enim non licere ex uno bello plus quam semel appellari. Vide Dion. LX, 21 et LIX, 22. Quare cum appareat *binas supplicationes*, quae in titulo com-

memorantur, optime convenire in C. Sentium, in P. Sulpicium Quirinium certe non conveniunt. Cuius victoria quam laboriosa fuerit, non disceptabo; sed quantulum ad summam rei contulerit, inde intelligimus, quod Augustum inde ab anno 4 usque ad 1 a. Chr., quo tempore Quirinium cum Homonadensibus pugnasse diximus, constat non esse appellatum imperatorem. At negat hoc titulo Saturnini praedicari victoriam imprimis Sanclementius de aerae vulg. emend. p. 416. Primum enim nec regem ullum tunc fuisse in Germania neque Maroboduum, de quo quis cogitare possit, ita esse appellatum; deinde, cum regio aliqua in potestatem redacta rexque aliquis vel interfectus vel victus esse dicatur, nec subactam tunc ullam Germaniae partem nec superatum regem, denique, etiamsi haec facta essent, non potuisse haec sibi tribuere Sentium, sed Tiberio potius debuisse. Veruntamen fuerunt et Marcomanorum et aliorum Germanorum reges, id quod ex Mon. Ancyr. VI, 2 et 3 discimus, fuitque ipse Maroboduus rex. Nam etsi Vellei. II, 108 ambigue loquitur, nihil dubitationis relinquit Tacit. Ann. II, 26, qui regem Maroboduum a Tiberio pace obstrictum esse narrat, id quod certissime ad hoc tempus et ad hoc bellum, quod Saturninus gessit, pertinet. Neque magis verum, quod Sanclementius negat regionem ullam tunc subactam aut regem victum. Dio enim cum nihil memorabile actum esse scribit, magnum proelium magnamque victoriam accidisse negat, at pacem factam esse ait ob eamque rem imperatorem appellatum Augustum. Certe igitur pax utilis Romanis erat et in fidem recepti Germanorum populi, qui armorum metu pacem fecerant, ut quamvis re fortasse libertatem servarent, nomine tenus imperio Romano adiicerentur. Omnino enim bellum hoc Germanicum ita narratur ab scriptoribus, ut vix quando gestum sit, cognoscamus, nedum quae gentes victae sint, certe constituere possimus, nec debebimus non credere Velleio II, 105 multas gentes subiectas magnamque Germaniae partem armis perlustratam esse narranti. Nam quod ultimo loco Sanclementius commemorat, non Saturnini illam fuisse laudem, sed Tiberii, pugnat aperte cum Dione, qui illi ornamenta triumphi data esse narrat, quae nisi aliquid etiam suo ductu bene gessisset, consequi non potuit. Fuisse autem Saturninum Augusti, non Tiberii legatum cum res ipsa significat, tum Vellei. II, 105 dicit, apud quem non recte fecerunt, qui de coniectura corrigerent *qui iam legatus patris eius in Germania fuerat* pro eo quod esse oportet atque est in codice *qui tum legatus patris eius in Germania fuerat* vel *erat.*

Demonstrasse igitur videmur, quae in hoc titulo sunt, convenire cum rebus a Saturnino in Germania gestis. Sed reliqua duo, quae de eo traduntur, quod proconsul Asiae fuisse dicitur et quod bis rexisse Syriam, num haec conveniunt? Ea fateor a me non posse demonstrari, nec puto posse a quoquam, quia manca horum temporum memoria superest, sed nihil obstare, quin convenire censeamus, possum docere. Nam, qui con-

sules fuerant, eos oportebat aut Asiam aut Africam sorte accipere, quam per annum regerent; quare cum nusquam Africae nomen cum Saturnino coniungatur, statuemus eum Asiae pro consule praefuisse anno vel 4 vel 6 a. Chr. nec tantum spatium inter consulatum et inter proconsulatum intercedere mirabimur; nam Cn. Lentulus cos. ann. 14 a. Chr. proconsul Asiae fuisse narratur anno 1 a. Chr. in inscriptione apud Boeckh. Corp. inscr. graec. n. 2943, quo ipso tempore Africae alios videri praefuisse supra exposuimus. In legatis autem Syriae unus locus a nobis vacuus relinquendus erat annis 25 usque ad annum 23 ineuntem, quo spatio si priorem Syriae administrationem Saturnini collocabimus, neque inveniemus, quod adversetur, et huic, de quo disputamus, titulo sufficiemus. Neque mirabimur a Iosepho eius non fieri mentionem; is enim Antiq. XV, 10, 2 et bell. Iud. I, 20, 4 pauca vel nihil de hoc tempore habet properans ad Caesaris in Syriam adventum. Docuimus enim supra p. 84, C. Sentium iam quo tempore ad Caesaris Augusti partes sese applicavit, virum fuisse illustrem, i. e., opinor, praetoriae dignitatis, eidemque fidem a Caesare habitam honores quos postea accepit demonstrant. Unum autem illud, quod possit obiici, anno 19 demum consulem eum esse factum, ad illud tempus nihil valere ostendit A. Varronis, qui proxime ante eum Syriae praefuit, exemplum, quem postea demum consulem designatum esse constet neque omnio legem illam, quae nisi consulares viros Syriam regere vetabat, aut potuisse valere aut videri valuisse ante annum 23 a. Chr., inde a quo uterque locus consularis privatis hominibus pateret, p. 76 exposuimus.

Iam, ut etiam hoc, quod relinquitur, aggrediamur, ut tituli hoc fragmentum suppleamus, quamquam id vix opus est, primum observabimus versus videri prope fuisse aequales, ut omnes idem fere spatium complecterentur. Quare cum vs. 3 necessario explendus sit OB . RES . PROSP[ERE . GESTAS], si versum 1 supplebimus IN . PO[TESTATEM DIVI], quamquam non negabimus non male dici gentem illam in potestatem Divi Augusti esse redactam, non explebitur tamen spatium huius versus, sed quattuor vel quinque litterarum spatium relinquetur vacuum. Accedit quod cum vs. 4 dicantur *ipsi* ornamenta triumphalia decreta esse, videtur hoc loco alius aliquis nominari debuisse. Scripsimus igitur, quod in supplicationibus decernendis usurpari solere vidimus, NOMINE DIVI. Tum vs. 2, quod necesse utique esse censemus secundum ea, quae de natura supplicationum supra a nobis exposita sunt, numerum dierum addidimus neque aegre feremus, si quis vel quatriduum vel triduum nominari malit. Quamquam quinque dies tum iam non excessisse videntur maioris alicuius victoriae modum. Reliqua vix demonstratione indigent. Nam quae initio posuimus, etsi iis usi sumus, quae Velleius II, 105 narrat, coniectura tamen eaque non nimis certa niti confitemur. Sic haec efficitur inscriptio:

C. Sentius C. f. C. n. Saturninus Cos.

. . . . . .

. . . . . .

leg. divi Augusti Germaniam armis perlustravit
quae defecerat ad Maroboduum Marcomanorum
RE]GEM . QVA . REDACTA . IN . POT[ESTATEM . NOMINE . DIVI
AVGVSTI . POPVLIQVE . ROMANI . SENATV[S . IN . QVINQVE . DIES
SVPPLICATIONES . BINAS . OB . RES . PROSP[ERE . GESTAS . ET
IPSI . ORNAMENTA . TRIVMPH[ALIA . DECREVIT
PRO . CONSVL . ASIAM . PROVINCIAM . OP[TINVIT . LEGATVS
DIVI . AVGVSTI . ITERVM . SYRIAM . ET . PH[OENICEN . REXIT . . . . .

. . . . . .

Absolvimus quae de Augusti legatis, qui Syriam rexerunt, disputare constitueramus. Cum autem Tiberius imperium susciperet, erat in Syria, ut diximus, Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus, vir nobilis et cum imperatoria domo coniunctus et summa fide dignus; quare princeps eum in maxima provincia retinuit, donec Germanici causa alium imponere statuit.

Etenim anno 17 p. Chr. commovebatur totus Oriens vel provincia Syria, qua tunc quicquid in Oriente erat, comprehendebatur. Neque enim modo Parthi Armeniique, cum quibus iam Creticus Silanus egerat, bellum minabantur, verum etiam quae pacatae erant partes, maiore tamen imperio videbantur egere. Primum Archelaus, Cappadociae rex, cui eidem Ciliciae quasdam regiones paruisse supra p. 94 diximus, Romae accusatus novarum rerum moritur (Tac. Ann. II, 42; Dio LVII, 17), hoc ipso, ut videtur, anno. Eius regnum in provinciae formam redigi placuit, *fructibusque eius levari posse centesimae vectigal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit* (Tac. l. l.). Verba ea sine dubio fuerunt Caesaris, cum in senatu de ea re referret; nam SConsultum quoque de Cappadocia in provinciae formam redigenda factum esse ait Strabo XII p. 534. Sed adversari huic, quod statuimus, tempori videtur primum Appian. Mithrid. c. 105, qui regnum usque ad Caesarem Augustum constitisse ait, falso sine dubio, quoniam accedunt testimonia Suet. Tib. 37 et Vellei. II, 39, qui item Tiberio novam Cappadociae provinciam tribuunt. Quamquam illum excusandum esse vidit iam Marquardt. in antiquitatum Romanarum compendio Beckeriano III, 1 p. 158. Augustus enim, cum rex aliquando mente abalienari coepisset, procuratorem regni instituerat (Dio l. l.) ad eandem rationem, qua Tiberius paulo post Cotyis, Thraciae regis, liberis nondum adultis Trebellienum Rufum, praetorium virum, tutorem

addidit (Tac. Ann. II, 67). Atque ille procurator regis Cappadocici mansit etiam cum rex paululum resipisset; inde iusta quaedam regis ira oriebatur crimenque, quo tandem periit, fingebatur, eum ut hoc quasi tutore liberaretur, res novas agitasse. Sic vere Cappadocia iam Augusto imperante ab magistratu Romano regebatur. Nec vero minus videtur secum ipse pugnare Tacitus, quippe qui in Annal. II, 56 anno 18 Germanici res in Oriente gestas referens sic scribat: *At Cappadoces in formam provinciae redacti Q. Veranium legatum accepere, et quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur.* Cf. Sueton. Calig. 1. Utro igitur anno novam provinciam institutam esse existimabimus? Iam anno 17, opinor, defunctus erat Archelaus, senatusque et Tiberius regnum in provinciam redigendum esse statuerunt; quare imperator quem procuratorem sive tutorem regni Archelao Augustus dederat, manere iussit interim in procuratione. Veruntamen simul aliter populum Cappadocum instituendum imprimisque vectigalia levanda esse videbat; veteri enim more populis, qui a regio imperio ad populum Romanum perveniebant, pars tributorum remittebatur. Ideo Tiberius Germanici prudentia ac maiestate opus esse simulabat. Sed alia quaedam rursus hoc loco nascitur difficultas. Quid enim? Germanicus Cappadociae, quam, ut vere et accurate ait Tacitus, in provinciae formam redegerat i. e. cuius instituta ad rationem reliqui imperii composuerat, Q. Veranium legatum dedit: at ceteri auctores equitem Romanum sive procuratorem impositum esse scribunt. Aperte enim Dio LVII, 17: *ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη*, itemque Suet. Vesp. 8 (Vespasianus) *Cappadociae — legiones addidit consularemque rectorem imposuit pro equite Romano,* ut usque ad illum consuevisse procuratores esse in Cappadocia intelligamus. Ideoque Claudio imperante anno 52 Iulius Pelignus Cappadociae procurator commemoratur a Tac. Annal. XII, 49; nam ille procurator Cappadociae, qui commemoratur apud Orell. n. 5040, ex alio genere videtur esse. Quid igitur erat legato in provincia, ut ita dicam, procuratoria? Nimirum Tacitus, dum brevitati studet, dixit paulo obscurius atque interpretes, imprimis Lipsium, induxit, ut legatum intelligerent imperatoris provinciamque a Germanico praetoriam constitutam esse putarent. Etenim Veranius non Tiberii erat legatus, sed Germanici, datus abeunti ab urbe: id aperte dicit Tac. Ann. II, 74 et III, 10 et 13 et 17 et 19, quae post Germanici mortem acta sunt, referens: rediit ex Asia, cum Germanicus decessisset neque ultra sibi provinciam commissam esse existimavit quam dum Germanicus eam constitueret. Itaque non tamquam iustus praeses impositus est, sed interim dum procurator a Tiberio missus esset ad Cappadoces in provinciae formam redigendos ac tributo levandos, neque alia Veranii fuit causa atque eorum, quos Syriae praesides nonnunquam Iudaeae imposuerunt pro procuratoribus, quos ad causam dicendam Romam misissent. Vide Ios. Antiq. XVIII, 4, 2. Eademque quae Veranii

erat ratio Q. Servaei, quem Tac. Ann. II, 56 Commagenis praepositum esse ait, qui item fuerat Germanici legatus ac comes (Tac. Ann. III, 13 et VI, 7). Obierat enim eodem tempore quo Archelaus etiam Antiochus Commagenorum rex atque inter populares ipsos acris contentio exarserat, cum optimates in provinciam redigi cuperent, pauperes patrium regnum praeferrent (Ios. Antiq. XVIII, 2, 5). Itaque hanc quoque causam Germanici in Orientem mittendi Tiberius praetexuerat Germanicusque Commagenos Syriae provinciae per legatum suum adiungendos curavit (hoc enim significat quod Tac. l. l. eos tunc primum *ad ius praetoris translatos* esse ait, cf. Strabo XVI p. 749), cum qua permanserunt, dum Caligula regnum denuo instituit (Dio Cass. LIX, 8).

Haec igitur Tiberius in senatu exposuit, cum Germanicum in Orientem mittendum esse censeret, neque ea hoc loco commemorari alienum erat propterea quod Cappadocia ac Commagene et antea cum a regibus tenerentur et postea provinciae Syriae, de cuius praesidibus agimus, attribuebantur, eoque magis attingenda putavi, quod Tac. Ann. II, 42, cum paulo negligentius sic ait: *et provinciae Syria atque Iudaea fessae oneribus deminutionem tributi orabant,* minus peritos in eam opinionem deducere posse videatur, ut Syriam et ab Iudaea et ab Cappadocia et ab Commagene, quarum proxime ante mentionem facit, separatam constitisse existiment. Ac Cappadociam quidem postquam procuratoribus mandata est, quodammodo tamen paruisse Syriae praesidibus cum per se probabile est (omnes enim procuratores, quia exercitu carebant, vicinae alicuius provinciae legato in rebus maioribus obtemperabant, in toto autem Oriente praeter praetorem Galatiae, quae item exercitu carebat, nemo erat tunc Caesaris legatus praeter Syriam), tum certissime colligitur ex rebus procuratoris Iulii Peligni, quem supra citavimus. Cum enim Claudio imperante anno 52 Armeniae regnum contra foedera a Rhadamisto, Iberorum regis filio, occuparetur, primum T. Ummidius Quadratus, Syriae legatus ut opem ferret rogatus est (Tac. Ann. XII, 45), tum Iulius ille Pelignus, donis corruptus, barbaro Romanorum potentiam spernenti favere coepit, quod ubi relatum est, Quadratus legatum suum Helvidium Priscum cum legione misit, qui bellum componeret (Tac. l. l. c. 49), ut iisdem locis, quibus Cappadociae procurator praeerat, Syriae legatum cum exercitu ac maiore potestate versatum esse appareat. Commagenen vero, cui ne procurator quidem videatur esse praepositus, accessionem Syriae fuisse elucet. Sed eaedem regiones etiam ante cum a regibus tenerentur, Syriae legatis obediverunt. Etenim omnes omnino reges, qui a Romanis constituebantur, legatis vicinarum provinciarum parebant, quod cum aliis multis, tum Herodis Iudaeorum regis potentissimi exemplo potest demonstrari. Commagenes autem rex Antiochus, cui a Caligula patrium regnum redditum erat, Vespasiano auctore a Caesennio Paeto Syriae legato deiectus est (Ioseph. bell. Iud. VII, 7, 1 sq.), itemque Archelaum, Cappadociae regem, quam-

vis potens esset Augustique gratia ita floreret, ut praeter Cappadoces etiam Armeniae Ciliciaeque partem administrandam acciperet, tamen Syriae legatis et in quibusdam rebus paruisse et, si opus esset, auxilia misisse, colligemus ex iis, quae Ioseph. Antiq. XVI, 8 extr. narrat. Vere igitur quaecunque turbae per Orientem acciderant, omnes ad Syriam provinciam pertinebant; nam Philopatorem, Cilicum regulum, quem item anno 17 decessisse scribit Tac. Annal. II, 42, fuisse in Syria provincia ex iis, quae supra p. 96 exposuimus, intelligitur.

Veruntamen quamquam sola Syria commovebatur, Tiberius tamen, quia maiore auctoritate opus esse existimabat, Germanicum misit, eique, ut principis filio, *decreto patrum permissae provinciae, quae mari dividuntur, maiusque imperium quoquo adisset quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent* (Tac. Ann. II, 43), i. e. Macedonia, Asia, Bithynia, Galatia, Syria, Aegyptus; nam Africa inter occidentales provincias potius videtur esse numerata. Imitabatur Tiberius in ea re Augusti exemplum, qui pari cum potestate olim Agrippam, ipsum Tiberium, denique C. Caesarem in easdem provincias legaverat. Atque ut huic, quem ultimo loco nominavimus, Syriae praesides tamquam rectores additi erant, qui adolescentiam eius adiuvarent, ita Germanico, quamvis multis rebus spectatus esset, Tiberius adiunxit Cn. Calpurnium Pisonem, quem eidem provinciae imposuit. Erat is summae nobilitatis magnarumque divitiarum, idem paterni instituti retinens. Nam pater Gnaeus cum in bello civili dictatoris Caesaris acerrimo studio et Pompeium ipsum adiuvisset et Pompeianos in Africa bellum renovantes secutus esset (Hirt. bell. Afric. 4 et 18), deinde cum Bruto et Cassio contra IIIviros dimicasset, post ubi reipublicae causam desperatam esse vidit, publicis muneribus abstinuerat, donec ultro Augustus anno 23 a. Chr. ei, ut tribuniciae potestatis accipiendae causa populi favorem tamquam publicae libertatis restitutor colligeret, consulatum obtulit. Filius hic, de quo dicimus, etsi paulo minus contumaciae ostendit, eundem prope vitae cursum tenuit. Quamquam enim minores magistratus gessit ad dignitatem senatoriam necessarias (nam IIIvir monetalis est in nummis apud Eckhel. Doctr. numm. V p. 161), num reliquos ambierit ignotum est. Sed consul factus est ab Augusto anno 7 a. Chr. collega ipso Tiberio cos. II et quod rarum illis temporibus erat, per totum annum summo magistratui praefuit. Significat hunc consulatum Tac. Ann. III, 16, cum Pisonem in extrema epistola sic ad Tiberium scripsisse ait: *per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus;* collega enim fuerat Tiberii, sed Augustus, qui detulerat consulatum et quidem cum Tiberio, quanti eum faceret, ostenderat. Quem locum cum minus recte editores etiam recentes interpretarentur, ipsumque Augustum collegam huius Pisonis fuisse existimarent, patrem cum filio confuderunt atque huic duplicem consulatum tribuerunt, quem errorem notavit iam Avellin. in Opuscul. div.

Tom. II p. 306. Post consulatum Augusti legatus fuit in Hispania Tarraconensi, quam provinciam inimici avare ac crudeliter administratam esse criminabantur (Tac. Ann. IV, 12 et 13); tum vixit privatus, sed ea fama, ut, si Augustus decessisset, nec indignus imperio nec eius non cupidus esse existimaretur (Tac. Ann. I, 13). Qui cum ab Tiberio impositus esset Syriae ad coercendum Germanicum, quomodo se gesserit, non referam; nota enim ea sunt ex luculentissima Taciti narratione. Abiit autem ex Syria, sive quod nullum actis suis locum relinqui videbat, sive iussus a Germanico, mense Octobri anni 19, deinde, postquam mortem Caesaris accepit, frustra temptata legionum fide, repetere eam conatus repellitur eaque condicione dimittitur, ut Romam revertatur, ubi ineunte anno proximo accusatus nec defensus a Tiberio, cuius mandata executus erat, moritur.

Etenim in Syria cum mortuus esset Germanicus, legati eius consuluerunt, quis ex suo numero, dum alius ab imperatore mitteretur, provinciam obtineret. Electus est Cn. Sentius Saturninus, cos. suffectus anni 4 p. Chr., cui C. Vibius Marsus, cos. anni 17, quia ille dignitate atque aetate superabat, cesserat. Hic igitur Cn. Sentius pro legato erat. Quem quis putabit diu tenuisse maximam omnium provinciam, nisi forte iudicio principis confirmaretur? Neque id probabile est. Tiberius enim qua suspicione ipsum Germanicum perdiderat, eadem postquam populi favor paululum resedit, amicos eius persecutus est, ex quibus pauci omnino perniciem effugerunt. Sed quis successerit, nemo nominatur magnumque omnino quattuordecim annorum spatium est, quo nullus Syriae praeses commemoretur. Haec tanta lacuna quomodo supplenda esset, cum Norisius olim in Cenotaph. Pis. II c. 13 et Sanclementius de vulgaris aerae emendatione p. 522 quaesiverunt, tum nuper Bart. Borghesius in Diurn. Arcad. anni 1847, 3 p. 236 de legato Syriae, sub quo Iesus Christus mortuus esset, quaerens disputavit, quorum virorum doctorum commentationibus ita utar, ut nonnulla, quae minus placent, mutem. Proxime igitur commemoratur Pomponius Flaccus, de cuius morte Tac. Ann. VI, 27 anno 33 sic narrat: *Exin Flacco Pomponio Syriae propraetore defuncto recitantur Caesaris litterae, quis incusabat egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur, oblitus Arruntium ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri.* Mortuum igitur eum esse constat anno 33 et quidem in ipsa Syria. Sed ut annus inveniatur, quo provinciam acceperit, considerandus est Sueton. Tib. c. 42: *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit, quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim detulit.* Quaeritur primum, quando compotatio illa, quam Suetonius commemorat, acciderit, ut inde de munere vel Pomponio Flacco vel L. Pisoni delato colligatur. Quare Corsinus de praefectis urbi com-

parat Senec. epist. 83 de eodem Pisone sic dicentem: *L. Piso, urbis custos, ebrius ex quo semel factus est, fuit; maiorem partem noctis in convivio exigebat: usque in horam sextam fere dormiebat: hoc erat eius matutinum. Officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissime administravit. Huic et divus Augustus dedit secreta mandata, cum illum praeponeret Thraciae, quam perdomuit, et Tiberius proficiscens in Campaniam, cum multa in urbe et suspecta relinqueret et invisa.* Hinc ille coniicit Pisonem anno 26, cum Tiberius urbis vitandae causa primum Campaniam, deinde Capreas peteret, Romae esse praefectum. Sed haec ita parum recte explicari ait Borghesius. Neque enim Senecam de tempore delatae praefecturae dicere, sed de secretis quibusdam mandatis; eaque sane maxime videri data esse Pisoni, cum Tiberius urbe excedere statueret. Nihil igitur hinc posse colligi nisi anno 26 iam praefuisse Pisonem urbi, quando coeperit praeesse, non effici. Redeundum igitur ad correctionem morum, quam Suetonius commemorat; nam quae Plin. nat. hist. XIV, 22 habet: *Tiberio principe in senecta iam severo atque etiam saevo alias; sed ipsa iuventa ad merum pronior fuerat. Eaque commendatione credidere L. Pisonem urbis Romae curae ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principem,* veruntamen haec nihil docent, nisi initio principatus urbi praefectum esse Pisonem ab Tiberio. Correctio autem morum duplex commemoratur, primum anno 16 p. Chr., cum Tac. Ann. II, 33 ait *decretum a senatu, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros foedaret,* et, postquam diversas senatorum sententias retulit, addit: *adiecerat et Tiberius non id tempus censurae nec si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.* Cf. Dio LVII, 15. Alterum tempus fuit anno 22, cum Tac. Ann. III, 52 ait: *C. Sulpicius D. Haterius consules sequuntur, inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui immensum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur.* Cf. Sueton. Tib. c. 34. Utro igitur tempore compotatio illa accidit, quae Pisoni praefecturam urbis, Flacco Syriae praeturam conciliavit? Prius tempus suadent et ille Plinii locus, quem citavimus, quo Tiberium initio principatus vino indulsisse, post severiorem factum esse significat, et Pomponii Flacci res. Qui cum praetura gesta legatus legionis fuisset in Moesia imperatore Poppaeo Sabino (Ovid. ex Ponto IV, 9, 75 sq.), Kal. Ian. anni 17 consul factus est, unde eum etiam proximo antecedenti anno Romae fuisse probabile fit; at consulatu gesto anno 19 in Moesiam pro praetore missus est, ut Rhascupolim, Thraciae regem, in Tiberii potestatem adduceret, nec, qua Tiberius in mutandis praesidibus tarditate erat cito alium praefectum esse Moesiae est simile veri. Quare cum prior morum correctio susciperetur, L. Pomponius Flaccus Romae erat, cum altera, non erat. Efficitur, ut compotatio illa imperatoris Tiberii anno 16 accidisse videatur. Num igitur illo anno et Flaccus Syriae impositus est et L. Piso urbi? Ille qui-

dem Syriam accipere non potuit. Nam et consul erat ipse insequenti anno et Syriam usque ad annum 20 tenuit Germanicus eiusque legatus. Necesse igitur est *confestim* illud, quod Suetonius adiicit, ad solum L. Pisonem pertineat, non item ad Pomponium Flaccum, quem Suetonius ait compotatione illa tantam Tiberii gratiam inisse, ut non modo alia, quae minora erant, munera, verum etiam, quod omnium maximum erat, Syriam administrandam acciperet. L. Piso igitur urbi praeesse coepit anno 16, ac docuit Borghesius, cum decessor eius T. Statilius Taurus ante Augustum obisset, per paucos annos praefecturam urbis fuisse vacuam, dum Piso praeficeretur. Hic decessit anno 32 ac successit L. Aelius Lamia usque ad annum 33, tum Cossus Cornelius Lentulus cos. anni 25 usque ad annum 36, tum L. Piso, de quo narrat Ioseph. Antiq. XVIII, 6, 5 et 10, usque ad annum 38, tum Sanquinius Maximus, cos. anni 26, usque ad annum 42, denique L. Volusius Saturninus, quae quia alio pertinent, hic praetermitto.

Veruntamen L. Pomponius Flaccus quando acceperit Syriam, nusquam traditur, nec facile est id ex aliis argumentis colligere. Nam Vellei. II, 129, quo loco ad eam rem Borghesius utitur, quod Syriacam legationem tacet, cum Moesiae commemoret, non tantum debebit valere, ut anno 30, quo Velleiana historia scripta est, nondum Flaccum in Syria fuisse existimemus. Neque enim hoc agit Velleius, ut Flaccum laudet, sed quae Tiberius ipse gesserit, praedicat, quo in genere Thracum illa seditio sane afferenda erat, in Syria quod gestum esset, nihil narrari potuit. Neque maiorem ea de re lucem affert Ioseph. Antiq. XVIII, 6, 2 et 3, qui Agrippam, regis Herodis nepotem, narrat, cum inops atque a propinquis suis derelictus esset, aliquamdiu apud Flaccum, Syriae praesidem, versatum ab eoque benignissime exceptum esse. Qui cum antequam in Iudaeam rediit, Romae cum Druso Tiberii filio multum fuerit eoque mortuo ab imperatore, qui amicos filii defuncti videre nollet, abscedere iussus sit, hoc tantum intelligemus, post annum 23, quo Drusus obiit, Flaccum Syriae praefuisse. Sed Tacitus Annal. VI, 27, cuius loci alteram partem supra citavimus, etiam alium Syriae rectorem nominat: *Extremo anni* (33 p. Chr.) *mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Syriae imagine tandem exolutus urbi praefuerat: genus illi decorum, vivida senectus et non permissa provincia dignitatem addiderat.* Tum sequuntur de Pomponii Flacci morte quae diximus. Multa hinc efficiuntur. Lamia quodammodo Syriam administraverat, et administraverat diu, quia Tacitus *tandem* eum exolutum esse scribit, eidem tamen provincia non erat permissa. Tum, postquam exolutus est illa imagine, urbi praefuit. Sed quando urbi praefuit? Certe non ante L. Pisonem, quem Tac. Ann. VI, 11 dicat, postquam Statilio Tauro successerit, anno 32 in ipsa praefectura obisse. Tunc igitur urbi praefectus est L. Aelius Lamia, antea rexerat quadam ratione Syriam, in qua provincia successit ei anno 32 Pomponius Flaccus. Etenim

Tacitus cum eodem anno mortem Aelii Lamiae et Pomponii Flacci commemoret, illum ait antea praefuisse Syriae, hunc in ipsa hac praetura esse defunctum. At imago illa Syriae administrandae, qua usus est Lamia, quae fuit? Nimirum Tacit. Annal. I, 80 Tiberii vel ignaviam vel ambiguitatem consilii exponens scribit: *qua haesitatione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.* Pluribus id exequitur Ioseph. Antiq. XVIII, 6, 5, commemorat etiam Suet. Tib. c. 63: *Unum et alterum consulares oblatis provinciis non ausus a se dimittere usque eo detinuit, donec successores post aliquot annos praesentibus daret: cum interim manente officii titulo etiam delegaret plurima assidue, quae illi per legatos et adiutores suos exequenda curarent.* Ac qualis haec mandandae provinciae ratio fuerit, paulo post viderimus; nunc qui illi consulares fuerint, quaeritur. Provincias nominat Suet. Tib. c. 41 *Hispaniam et Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuit,* atque in Hispaniam per decem annos non esse dimissum L. Arruntium, cos. anni 6 p. Chr., ait Tac. Ann. VI, 27. Relinquuntur igitur Syria et L. Aelius Lamia, ac conficit rem Dio LVIII, 19: *Τόν τε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησεν, ὅπερ που καὶ ἄλλοις ἐχαρίζετο, καὶ Λούκιον ἀντ' αὐτοῦ Λαμίαν ἀνθείλετο, ὃν πρόπαλαι τῇ στρατιᾷ προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ.* Sic certissime efficitur, ut L. Pomponius Flaccus per annum fere inde ab anno 32 a. Chr. Syriam rexerit, eumque antecesserit L. Aelius Lamia. Idque confirmat nummus apud Eckhel. Doctr. numm. III p. 79, ubi anno 33 p. Chr. Flaccus Syriae praeses commemoratur. Lamiae autem quando Tiberius provinciam ita mandarit, ut eundem egredi urbe non pateretur, non constat; sed quia Suetonius Syriam *per aliquot annos* sine consulari legato habitam, et Lamiam Tacitus *tandem* illa imagine exolutum, Dio *πρόπαλαι* Syriam commissam esse scribunt, quoniam etiam Arruntium simili ratione per plus quam decem annos Hispaniae praefuisse constat, probabile certe est, non multo post Germanici mortem Cn. Sentium in urbem esse revocatum, ac per undecim prope annos maximam imperii Romani provinciam rectore caruisse.

Veruntamen oritur hoc loco alia quaedam quaestio, quam Borghesius proprie tractabat. Proposuerat enim sibi examinare, quo Syriae praeside Iesus Christus Hierosolymis a Pontio Pilato interfectus esset. Iam secundum ea, quae disputavit Sanclementius de vulgaris aerae emendatione p. 493, quae probantur fere ab Ideler. compend. chronolog. II p. 412, sic nunc statuendum est, Christum anno 29 C. Rubellio C. Fufio Geminis consulibus esse mortuum. Itaque Borghesius, postquam L. Aelium Lamiam, cui provincia mandata erat, urbe non egressum esse docuit, Pacuvium quendam ei praefuisse censuit atque hunc esse illum, sub cuius imperio Christus occidisset. Etenim Pacuvius ille commemoratur a Tacito Annal. II, 79, legatus sextae legionis, cuius hiberna Laodiceae erant.

Erat igitur vir praetorius, ut conveniat quod Suetonius dicit diu nullum legatum consularem in Syria fuisse. Atque idem Pacuvius appellatur a Seneca epist. 12 diciturque *Syriam usu suam fecisse* i. e. diu in ea provincia fuisse, ut penitus eam nosset, idque propter consuetudinem Tiberii, de qua supra diximus, sane probabile est, neque negem eum etiam anno 29 legioni sextae praefuisse. Sed quid? Num inde efficitur, ut praefuerit Syriae? Non videtur mihi quidem. Etenim Tiberius cum L. Lamiam urbe exire non pateretur, metu movebatur, ne qui tantam provinciam ac tot legiones teneret, res novas moliretur. Quid igitur profuit Lamiam Romae retinere, si alium quendam toti provinciae omnibusque legionibus imponeret? Immo faciendum erat, quod paulo ante in Germania ipse instituerat, ut octo legiones, quas Germanicus habuerat, inter plures divideret, quod alii imperatores in aliis provinciis fecerunt, imprimis Nero, qui eodem metu ductus ex ingenti ambitu Syriae paulatim tres minores provincias effecit. Sed hoc quidem Tiberio nondum placuit: eum, qui universae Syriae praeerat, ne quid seditiose cogitaret, Romae retinuit, legati eius, viri praetorii, non minus quam ipse ille pro praetore ab imperatore electi, singulis partibus praeerant. Idque significat Suetonius, qui Tiberium narrat Lamiae plurima delegasse assidue, quae ille per legatos exequeretur. Vere igitur hic erat Syriae rector, quamvis Romae versaretur; Pacuvius praefuerit sane diutissime sextae legioni eique parti, quam ea tuebatur, universae Syriae certe non praefuit. Etenim cum earum provinciarum, quas imperator habebat, hoc proprium esset, ut militari imperio regerentur, quique legionibus cunctis praeerat consularis legatus, idem civilia omnia universae provinciae munera administraret, sequebatur, ut qui singulis legionibus imperarent, iidem regionibus, quas legiones tuebantur, praeessent. Ideo necesse erat, provinciae in tot partes essent divisae, quot in iis erant legiones. Fuisse autem constat tunc in Syria quattuor legiones (Tac. Annal. IV, 5), sextam Ferratam, cuius hiberna erant Laodiceae, legatus per magnam partem Tiberii imperatoris Pacuvius, X Fretensem, cuius hiberna erant Cyrri (Tac. Ann. II, 57), IV Scythicam Oresae, XII Fulminatam prope Antiochiam. Tres igitur alii praeter Pacuvium in Syria erant legati praetorii, missi a Tiberio imperatore, qui cum consularis legatus abesset, suo arbitrio populos Syriae regebant. Cui igitur ex quattuor his legatis praetoriis (nam praetura functi erant, qui legionibus imponebantur) Iudaea parebat? Nemini equidem iudico in reliquis rebus. Habebat enim Iudaea procuratores suos, item ab imperatore missos, tunc Pontium Pilatum, qui exeunte anno 26 in Iudaeam venerat; quos ut constat obedisse legatis consularibus ab iisque esse aut coercitos aut Romam dimissos, ita legionum legatis paruisse nunquam legimus. Idque ipsum voluerat Tiberius opulentissimae provinciae potentiam discerpi, ut partes nihil valerent. Sed cum legionum auxilio ad gentem coercendam opus erat, certe legatus aliquis advocandus erat. Cui igitur procuratores Iudaeae,

quamvis alioquin imperatori tantum ipsi Lamiaeque qui Romae versabatur parerent, ita tamen quodammodo attributi erant, ut militare auxilium si quo opus esset ab eo peterent? Difficile id dictu est; nam nec Pilato procuratore videtur accidisse, ut legionum auxilium in Iudaeam mitteretur (nam milites, quorum introitus seditionem Hierosolymis concitasse narratur apud Ioseph. Antiq. XVIII, 3, 1, non videntur legionarii fuisse), nec quam aliquando Quinctilius Varus in ea urbe reliquit legionem, nominatur (Ioseph. XVII, 10). Sed postea imperante Nerone cum seditiones Iudaeorum moverentur, legionem XII eiusque legatum Gallum ad coërcendum populum constat esse missum (Ioseph. bell. Iud. II, 18, 11). Quae cum ita sint, recte fecerunt plerique auctores, quod de morte Christi referentes nullum Syriae praesidem nominant, qui cum Romae esset, si quid procurator cupiebat, ipsum potius imperatorem adibat; sed si quis nominandus erat, Pacuvius certe nominari non potuit. Veruntamen est etiam, qui alium Syriae praesidem nominet. Malalas enim in Chronogr. X p. 241 ed. Bonn., cum multorum opinionem secutus Christum anno 33 occisum esse putet, sic scribit: *Καὶ ἐτάφη ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς .... ἐν ὑπατείᾳ Σουλπικίου καὶ Σῶλα .... ἡγεμονεύοντος τότε τῆς Συρίας Κασσίου, τοῦ καὶ προαχθέντος ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Τιβερίου Καίσαρος.* Quis igitur hic erat Cassius? Certe non legatus Augusti pro praetore; etenim ipso illo anno 33 exeunte Pomponium Flaccum obisse aliumque, de quo deinde disputabimus, successisse novimus. Quare, nisi Cassium illum nullo prorsus auctore ementitum esse putabimus a Malala (neque id recte poterit fieri), sic statuemus necessario, fuisse eum legatum legionis, virum praetorium, cui militaris tutela Iudaeorum mandata esset idque eo probabilius est, quod illo tempore iam coeperunt tumultus illi Iudaeorum excitari, quibus factum est, ut Pontius Pilatus paulo post a L. Vitellio Romam mitteretur. Nam post mortem Flacci per biennium nullum consularem legatum Syriae praefectum esse paulo infra docebimus. Quamquam ignotus ille nobis est Cassius. At pariter ignoti reliqui duo legionum legati per Syriam ac solebat Tiberius hoc sequi, ut viros minus illustres, qui gentis suae gloria domesticisque copiis nihil valerent, exercitibus praeponeret, de quibus si praeter nomen nihil tradatur, quid mirabimur? Veruntamen haud scio an confusionem aliquam Malalas admiserit annoque mortis Christi minus recte ab Eusebio aliisque sumpto, qui eum anno 33 interfectum esse putabant, praesidem Syriae tradiderit eum, qui fuit anno 29, quo Christum mortuum esse verius statuimus. Illo sane anno est aliquis Cassius, qui Syriacae legioni praeesse potuerit, nimirum C. Cassius Longinus, qui insequenti anno cum L. Naevio Surdino consul suffectus est. Eum post ostendemus ab imperatore Claudio universae provinciae Syriae esse praepositum, neque abhorret a vero aut a consuetudine ideo esse praepositum, quod eam provinciam usu iam ex legionaria legatione cognosset.

Sed haec quidem coniectura est; illud autem videmus nihil esse, quod de Cassio aliquo, qui a Tiberio ad partem Syriae regendam missus sit, dubitemus.

Pervenimus in recensendis Syriae rectoribus ad annum 33 p. Chr. exeuntem, quo tempore L. Pomponium Flaccum mortem obisse constat. Quis eius loco impositus est? Tacitus Ann. II, 27 narrat Tiberium cum Flacci mortem comperisset, questum esse ad senatum, quod principes viri talia munera recusarent, ex quo non hoc nos quidem quod Tiberius dicebat verum fuisse colligemus, sed difficile tamen potuisse inveniri putabimus, qui et par esset tantae provinciae neque periculum minaretur. Itaque non mirum, per biennium prope neminem consularem virum in Syria fuisse. Nam anno demum 35 p. Chr., cum Artabanus Parthorum rex bellum minaretur, misit princeps L. Vitellium, ter consulem et censorem, Auli, qui postea imperavit, patrem. Is praefectus est Syriae anno 35, anno postquam primum consul fuit, cum Tiberius Artabanum, Parthorum regem, magis vicinorum populorum viribus quam Romanorum armis ulcisci statuisset. Ac Tacitus quidem Ann. VI, 32 sic ait: *cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit,* deinde addit eum *regendis provinciis prisca virtute egisse,* quae minus recte ita possint intelligi, quasi Vitellius non unam modo provinciam Syriam, sed ad exemplum ipsius Tiberii et C. Caesaris et Germanici omnes provincias Asiaticas regendas acceperit. Verum oratorie dicit Tacitus, nisi forte quia Traiano imperante plures erant provinciae, quae tunc ab uno praeside tenebantur, ideo plurali numero usus est. Nam Syriae soli praepositum esse Vitellium et Sueton. Vitell. c. 2 ait et Ioseph. Antiq. XVIII, 4, qui saepe commemorat, et ipse denique Tac. Ann. VI, 41. Qui quae gesserit et in provincia tuenda et in gloria nominis Romani conservanda, non narrabo, sed illud referam, quod iam supra p. 98 dixi, ex iis quae Tac. Ann. VI, 41 de Clitarum populo, qui in Cilicia erat, commoto et opera M. Trebellii legati composito tradit, colligi, Ciliciam Vitellio imperante cum Syria in unius provinciae ius fuisse coniunctam. Revocatus quidem est in urbem propter Iudaicam seditionem. Nam cum imperator Gaius ubique per statuas et aras coli sese iussisset, soli Iudaei moveri non poterant, ut eum imperatoris cultum reciperent: quare iratus Gaius Vitellium revocavit, quia et Iudaeos severiore imperio coërcendos et hominem ipsum poena afficiendum esse putabat. Quanto enim in timore Vitellius Romam rediens fuerit, ne quid mali ab imperatore pateretur, refert Sueton. Vit. c. 2. Successor autem ei missus est P. Petronius, de quo dicit Ioseph. Antiq. XVIII, 8, 2: *Γάϊος δὲ ἐν δεινῷ φέρων εἰς τοσόνδε ὑπὸ Ἰουδαίων περιῶφθαι μόνων, πρεσβευτὴν ἐπὶ Συρίας ἐκπέμπει Πετρώνιον διάδοχον Οὐϊτελλίῳ τῆς ἀρχῆς*, et quidem auctumno anni 39 p. Chr., ut Noris. Cenot. Pis. II § 13 ostendit. Etenim Iosephus l. l. cum duabus legionibus in Syriam advenisset (cf. Antiq.

II, 10, 1), Petronium Ptolemaidem in hiberna concessisse ait; tum insequentis anni ver et aestas et auctumnus varie precibus Iudaeorum, minis legati, litteris imperatoris extracta, dum Gaius certior factus de seditione gravique ira concitatus ad bellum inferendum adhortatus est, quas litteras Petronius post mortem demum imperatoris i. e. post IX Kal. Febr. anni 41 accepit. Quaeritur, ille Petronius quis fuerit? Ac Publium quidem appellant et Philo legat. ad Gaium et Ioseph. Antiq. XIX, 6, ubi edictum eius ad Dorienses refert. Est igitur ille P. Petronius, quem anno 19 consulem suffectum esse statuit Borghes. Diurn. Arcad. anni 1832, 1 p. 86 et Bullett. inst. arch. Rom. anni 1845 p. 152, qui legem Iuniam Petroniam (in Dig. XL, 1, 24) tulisse existimatur. Idem fuit anno 27 proconsul Asiae, ut ex nummo Smyrnaeorum apud Eckhel. Doctr. numm. II p. 547 cognoscitur, et a Seneca in ludo de morte Claudii Caesaris p. 859 (ed. Amstelod. 1672) dicitur *vetus convictor eius* (Claudii), *homo Claudiana lingua disertus;* Tac. Ann. III, 49 domum eius, in qua C. Lutorio Prisco maiestatis crimen confictum sit, commemorat, et Ann. VI, 45 anno 36, paulo antequam in Syriam abiit, cum progeneris Tiberii ad damna incendii Romae facti aestimanda ab senatu electum esse scribit. Syriam quidem tenuit usque ad annum 42; nam et in edicto illo quod modo citavimus, ad Dorienses dato vocatur legatus Claudii et Antiochiensium nummus apud Eckhel. l. l. III p. 280 (Noris. de epoch. Syromaced. diss. III p. 178) docet eum in Syria fuisse anno 90 aerae Antiochiensis, qui annus incipit ab auctumno anni 41 p. Chr., Iosephus autem Antiq. XIX, 6, 4, postquam initia imperatoris Claudii tradidit, in Syriam ab eo Marsum missum esse scribit. Est ille C. Vibius Marsus, consul suffectus anni 17 p. Chr., deinde comes et legatus Germanici in Syria (Tac. Ann. II, 74), quo mortuo Romam revertit (Tac. Ann. II, 79) atque aliter ac reliqui, qui Germanico amici fuerant, prudentia effecit, ut, cum sorte ad Africam regendam vocaretur, Tiberius non modo non adversaretur, verum etiam per triennium eum in maxima provincia retinendum esse censeret. Nam per tres annos eum Africae praefuisse docent nummi municipii Uticensis complures apud Eckhel. Doctr. numm. IV p. 147, in quibus appellatur *procos.* et *procos. II* et *procos. III.* Ad huius proconsulatus tempus definiendum maxime insignes sunt quidam nummi, in quibus est C . VIB . MARSO . PR . COS . NE (vel NER .) CAE . Q . PR . A . M . GEMELLVS F. C. DD. PP., et alii, qui exhibent: C . VIB . MARSO . PR . COS . DR. (vel DRV .) CAE . Q . PR . T . C . RVFVS . F . C . DD . PP. Hos nummos parum recte explicat Eckhelius ita intelligens, quasi Drusus et Nero Caesares dicantur *quaestores propraetores*, quos honores neque ipsi unquam gesserunt, neque si gessissent, Uticenses in nummis suis expressissent. Neque enim celebrandorum adolescentium causa nomina Caesarum inscripserunt, id quod et si voluissent longe aliter instituissent et illa aetate, cum Germanici liberos maxima invidia ab Tiberio affici viderent, certe nolebant, sed quia munus illi muni-

cipale administrabant, ideo eorum mentionem evitare non potuerunt. Sic igitur legendum *Nero Caesar quinquennalis, praefectus A. M. Gemellus* et in alteris *Drusus Caesar quinquennalis, praefectus T. C. Rufus;* est enim idem genus praefectorum, de quo disputavimus in comment. epigraph. p. 56. Quamquam ut inanis hic quinquennalitatis honos adolescentibus deferretur, non negabo effectum esse a Vibio Marso, qui patris olim amicus fuerat, eaque ipsi deinde prope exitii causa extitit. Sed quando et C. Marsus proconsul Africae factus est et Caesares quinquennalitatem Uticae gesserunt? Certe non ante annum 23 p. Chr., cuius initio Drusus togam virilem sumpsit (Tac. Ann. IV, 4). Sed anno 24 Africae constat praefuisse P. Dolabellam ex Tac. Ann. IV, 23, quem eundem iam proximo antecedenti anno in provincia fuisse ostendit Carthaginiensium nummus apud Eckhel. IV p. 140, in quo Drusi Germanici anno 23 mortui caput inscriptum est. Anno autem 26 Vibium Marsum Romae fuisse ostendit Tac. Ann. IV, 56, ut eius proconsulatus, quem triennii fuisse vidimus, ante annum 27 collocari nequeat. Atque ipso hoc anno 27 videtur esse coeptus, quia et antecedenti anno Seianus Neronem, Germanici filium, ad summam spem excitare atque insidiose studiis hominum commendare instituerat (Tac. Ann. IV, 60) et insequenti ineunte casus Titii Sabini (Tac. Ann. IV, 68) omnes monere poterat, ne amplius Germanici domum colerent. Neque spatium, quod inter proconsulatum hunc et consulatum Vibii Marsi relinquitur, discrepat a reliquorum proconsulum similitudine; nam P. Dolabella, de quo diximus, cos. fuit anno 10, L. Apronius, qui ab anno 18 per triennium praefuit, consulatum gessit anno 8, quorum uterque item ipsos decem annos interiecit. Sed perfunctus hoc proconsulatu Vibius magnum vitae periculum adiit anno 37, accusatus maiestatis, servatusque est proxima Tiberii morte. In Syriam quidem profectus est anno 42, in qua cum graviter ac strenue versatus esset (documento enim sunt, quae apud Ioseph. Antiq. XIX, 7, 2 et 8, 2 narrantur), mansit usque ad annum 44 exeuntem vel 45 ineuntem. Etenim Ioseph. Antiq. XX, 1 init. narrat mortuo Agrippa, Iudaeorum rege, revocatum esse Vibium Marsum a Claudio, qui id honori defuncti tribueret; nam Agrippa et Vibius vehementer dissenserant; Agrippa autem postquam septem annos regnavit, anno 44 decesserat (Ioseph. l. l. XIX, 8, 2). Neque adversatur huic rationi Tac. Ann. XI, 10, qui inter ea quae anno 47 acta sunt, Vibium Marsum Syriae praesidem commemorat; neque enim illo eum anno Syriae praefuisse ait, sed rerum Parthicarum decursum exponens quae priore tempore gesta erant repetit. Itaque ipse Norisius, cum antea aliter sensisset, Iosephum cum Tacito non pugnare intellexit in epoch. Syromac. p. 181.

Successit autem C. Vibio Marso C. Cassius Longinus, vir notissimus Ictis, a cuius nomine secta eorum appellabatur, cos. anno 30 p. Chr. cum L. Naevio Surdino, confusus saepe a viris doctis atque etiam ab ipso Norisio cum L. Cassio Longino (cf. Reimar. ad

Dion. Cass. LIX, 29). Ipse quos alios honores gesserit, nescimus, sed Claudius eum cum propter iuris scientiam magni faceret, maximae provinciae praeposuit; at Nero eundem quod sectae Ictorum princeps esset iratus quamvis oculorum lumine orbatum anno 64 in Sardiniam insulam eiecit (Tac. Ann. XVI, 7 et 22, Suet. Ner. 37), unde revocatus est ab Vespasiano (Pompon. de orig. iuris in Dig. I, 2, 47). Magnas eius laudes habet imprimis Tac. Ann. XII, 12, unde discimus fuisse eum ex vetere illa familia Cassia, amore libertatis victoriisque Parthicis clara, ut propinquus fuisse videatur L. Cassii illius, quem eiusdem generis fuisse ait Dio LIX, 29. Syriae autem praeesse coepit anno 45, ut diximus, severe ac graviter, quamvis rei militaris imperitus esset, atque in ipsum illum annum incidit nummus Antiochiensium apud Eckhel. Doctr. numm. III p. 280 et Noris. de epoch· Syrom. diss. III c. 4 p. 179, quo legatio eius commemoratur. Tacitus Ann. XII, 12 eum anno 49 Syriae praefuisse docet, cum Meherdates ad regnum Parthicum capessendum ab Romanis deduceretur. Nec multo post revocatus est propter metum, opinor, belli Parthici, quod ille, qui pacis magis artibus excelleret, minus strenue administrare posse videretur. Nam anno 51 iam C. Ummidius Durmius Quadratus Syriae rector commemoratur a Tac. Ann. XII, 44, ut eum anno antecedenti in provinciam venisse suspicer. Magna de hoc praeside olim fuit virorum doctorum dubitatio, cum plerique codicum auctoritatem secuti *Vinidium* vel *Numidium* appellarent ac Tillemontius in nota 18 de imp. Claudio quamvis primus ope inscriptionis antiquae verum nomen inveniret, parum tamen certe pronunciaret. Demonstrata est res a Norisio in epoch. Syrom. III, 4 p. 182, ut nullus nunc dubitationi locus supersit. Cf. Marin. act. fr. Arv. p. 514. Honores hominis optime cognoscuntur ex inscriptione apud Fabrett. p. 171, 326, unde discimus eum, cum quaestor fuisset anno 14, quo Augustus decessit, deinceps praetura gesta Cyprum rexisse pro consule, tum in Lusitaniam esse missum, cui praefuit anno 38 (cf. Orell. n. 3665), denique a Gaio vel Claudio consulatu accepto praepositus est Illyrico, unde transiit in Syriam. Ac quoniam in illo titulo dicitur *legatus divi Claudii et Neronis Caesaris Augusti in Syria,* diu eum in provincia mansisse intelligimus. Idque confirmant et nummi Antiochiensium apud Eckhel. Doctr. numm. III p. 280, qui eum ab anno 55 usque ad annum 59 Syriae praefuisse ostendunt, et scriptorum testimonia. Nam non modo sub Claudio Iosephus Antiq. XX, 6, 2 (bell. Iud. II, 12, 5) et Tac. Ann. XII, 45 et 54 commemorant, verum etiam Nerone imperatore Tac. Ann. XIII, 8 et 9, qui cum Ann. XIV, 26 dicat: *Corbulo in Syriam abscessit, morte Ummidii vacuam ac sibi permissam,* haud dubie significat, Ummidium illo ipso anno 61 p. Chr. in Syria esse mortuum. Longum hoc spatium fuit, quo Quadratus Syriae praefuit, ac longum videbatur ipsi Neroni; quare anno 55 cum ortam cum matre dissensionem interim composuisset, ut caritatem suam ostenderet, P. Anteio, qui ex amicissimis Agrippinae erat

(cf. Ann. XVI, 14), Syriam destinavit; sed, quia parum fidei habebat matri neque tantae provinciae amicum eius praeficere audebat, Quadratum in Syria retinuit prope invitus, cum si revocaret, Anteium eo mittere debere videretur. Vide Tac. Ann. XIII, 22.

Sed magna tamen, dum Ummidius Quadratus praeest, facta est Syriae provinciae mutatio. Ad eam antea pertinuisse diximus, quicquid in Asia dicionis Romanae erat praeter Galatiam, Bithyniam, proconsularem provinciam, quae proprie Asia nominatur; neque adversum huic sententiae debet videri, quod Tac. Ann. XIII, 33 narrat Cossutianum Capitonem, quem Syriae non praefuisse constat, a Cilicibus repetundarum accusatum esse. Etenim non Caesaris legatum eum fuisse, sed sorte a senatu provinciam accepisse, vel hoc docet, quod causa, in qua plurimum Paeti Thraseae auctoritatem valuisse dicat Tac. Ann. XVI, 21, in senatu videtur esse acta. Fuerat enim Capito pro consule Asiae, in qua provincia pars Cilicum erat, neque accusationem a parte provinciae susceptam esse mirabile est. Ingens igitur erat ambitus Syriae, quam vix pacatis temporibus unus legatus recte tueri posset; tunc vero dupliciter ea movebatur. Nam et Iudaei seditiones agitare coeperant perpetuoque praesidio militari egebant, et Parthi nunciati erant Armeniam vexare, qui quamquam domesticis discordiis distinebantur, magnam tamen belli expectationem apud Romanos moverunt. Quare Nero duos imperatores opus esse existimans Domitium Corbulonem, peritissimum ea aetate rei militaris, anno 55 misit. De cuius potestate sic scribit Tacitus Ann. XIII, 8: *Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat. — Copiae Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam et legatum eius Quadratum Ummidium remaneret, par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque quae in Cappadocia hiemabant. Socii reges, prout bello conduceret, parere iussi; sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant.* Cui igitur provinciae praefectus est Corbulo? Superiores omnes, qui bella cum Parthis gesserant, Syriam tenuerant, ab Crasso, qui victus est, ad legatos Claudii, qui deterruerant magis hostem quam vicerant. Tacitus ait eum retinendae Armeniae esse impositum; provinciam quam acceperit, non nominat. Armeniam autem eam fuisse parum est probabile, quam Romani tum nondum in provinciae formam redigere cogitabant. Syriam quidem ipsam non obtigisse Corbuloni aperte significat Tacitus paulo post, cum ait Ummidium Quadratum occurrisse Corbuloni ad Aegeas, oppidum Ciliciae, ne, si ille ad accipiendas legiones Syriacas Syriam intrasset, omnium ora in se converteret Ummidioque officeret. Syriam igitur non intravit Corbulo. Quare Cappadociam ei provinciam datam esse censeo, equitemque Romanum, qui ei provinciae praeesse consuerat, revocatum. Documento etiam est, quod Tacitus loco, quem citavimus, cohortes alasque, quae in Cappadocia hiemebant, adiectas esse ait Corbulonis exercitui, quas ille non accepisset, nisi simul ipsam illam regionem

tuendam teneret. Nec vero modo Cappadocia Corbuloni tradita est, verum etiam Galatia; nam Tac. Ann. XIII, 35 eum ait anno 59, cum bellum Parthicum serio susciperet, in Galatia Cappadociaque delectus habuisse. Instituta igitur iam a Nerone est Cappadocia provincia, quam confirmavit postea Vespasianus, quem Suet. c. 8 refert propter assiduos barbarorum incursus Cappadociae legiones addidisse consularemque rectorem imposuisse pro equite Romano. In quo Suetonius respiciebat superiora tempora Claudii, sub quo legatum praetorium Galatiae, procuratorem equestris dignitatis Cappadociae praefuisse supra p. 126 vidimus, quae provinciarum divisio cum semel a Nerone sublata esset, etsi aliquamdiu propter continua prope Parthorum bella parum certus erat rerum status, non videtur amplius esse restituta.

Neque enim mansit provincia illa Cappadocia, sed anno 61 postquam Ummidius Quadratus obiit, cum Parthorum metus simul refrixisset Armeniaeque a Romanis rex Tigranes impositus esset, omnis Syria Domitio Corbuloni permissa est (Tac. Ann. XIV, 26), non ea modo, quam Ummidius postremo tenuerat, sed Cappadocia quoque et reliqua, quae antea ipse Corbulo bellum Parthis pro Armenia inferens habuerat. Perspicitur id ex Tac. Ann. XIV, 3, ubi Corbulo, postquam de novo impetu in Armeniam facto audivit, duas legiones ex iis, quas secum habebat, ad fines imperii tuendos misisse narratur. Intelligebat tamen ipse Corbulo necessariam esse illam, quam Nero instituerat, tantae provinciae divisionem nec posse et Armeniam et Syriam ab eodem imperatore defendi, itaque Neroni scripserat (Tac. Ann. XV, 3 et 6). Eique ille obtemperavit; misit enim L. Caesennium Paetum, cos. anno 61 cum P. Calvisio Rusone (Grut. p. 64, 9; Ryck. ad Tac. Ann. XIV, 29; Dio LXII, 20). Ignota huius hominis reliqua sunt munera; nam et male a nonnullis imprimisque ab Lipsio confundebatur cum Caesonio Paeto, consule ordinario anni 61, nec recte etiamnunc statuitur esse idem ac Caesennius ille Paetus, qui apud Ioseph. bell. Iud. VII, 7, 1 sq. anno 72 narratur Syriae praefuisse. Nam ne alia commemorem, fuisse scimus Vespasiani aetate alium Caesennium Paetum, huius, qui cum Parthis bellum gessit, vel filium vel propinquum. Sunt enim apud Eckhel. Doctr. numm. II p. 519 et 557 nummi Ephesiorum et Smyrnaeorum, in quibus Caesennius Paetus pro consule Asiae celebratur sub Domitiano. Qui si tunc proconsulatum illum gessit, rite putabitur initiis Vespasiani et consul et legatus Syriae fuisse. Praefuisse autem hunc, de quo hoc loco dicimus, Caesennium iisdem omnino populis, qui postea ab Vespasiano in provinciam Cappadociae coniuncti sunt, ostendunt ea, quae Tacitus narrat, primum Ann. XV, 6, paruisse ei Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia, deinde c. 10, legionem, quam regebat, in Ponto hibernasse. Cf. c. 12 et 17. Coniunctae igitur tunc erant Cappadocia et Galatia et Ponti pars idque servatum esse ab Vespasiano constat ex nummis apud Eckhel. Doctr. numm. III p. 190. Nec tamen Paetus diu

mansit in Cappadocia. Cum enim male cum Vologese, Parthorum rege, pugnasset et auxilio demum Corbulonis ex Syria advenientis ereptus esset, Nero eum, ne denuo imperio cladem atque ignominiam inferret, revocavit anno 63 ineunte. Tum, ut Tac. Ann. XV, 25 ait, *Syriae executio Cincio, copiae militares Corbuloni permissae. — Scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus et qui praetorum finitimas provincias regebant iussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Romanus Gnaeo Pompeio bellum Piraticum gesturo dederat.* Quid igitur tunc Corbuloni potestatis datum? Nimirum primum ea quam antea habuerat Cappadocia cum Galatia et Ponti parte, in qua provincia solus esset imperatoris legatus; tum ut per finitimas provincias quicquid ad bellum usui esset, colligeret eamque ad rem maiore in iis esset imperio quam ii, qui aut ab senatu missi erant aut a principe. Praetores igitur, qui Corbuloni parere iussi sunt, non modo qui praetura gesta provincias acceperant, videntur esse, sed etiam qui consulatu functi erant. Proximae enim Cappadociae sunt Bithynia et Asia et Syria, quarum has duas ultimas consulares viri regebant, in quibus imperium Corbuloni tributum esse vel hinc intelligimus, quod Syriae et Cappadociae legiones permutasse narratur; nec dubitandum est, quin auxilia etiam ex Asia contraxerit. Sed ultra etiam imperium eius pertinuisse suspicor, siquidem vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto secum duxit (Tac. XV, 26). Quamquam intra hos certe fines constitit eius potestas et sic modo comparari potest cum ea, quae lege Gabinia olim Cn. Pompeio delata est, quod utrique in iis provinciis, quibus non proprie praeessent, aliquid imperii datum est; nam Pompeium quidem per totum mare internum usque ad columnas Herculis imperasse scimus (Plut. Pomp. 25), quo certe Corbulonis potestas non pertinebat. Sed ille, qui eodem tempore, quo Corbulo iterum Cappadociam accepit, Syriae a Nerone impositus est, quis fuit? Eum *Citium* appellat codex Taciti vetustissimus; inde *Cincium* nominavit I. Fr. Gronovius, *C. Itium* Orellius, *Cestium* Ryckius, Pighius aliique. Norisius dubitanter pronunciavit; equidem etsi certum nullum testimonium afferri posse video, omnem tamen probabilitatem concurrere intelligo, ut apud Tacitum *Cestius* scribatur. Etenim anno 63 in Syriam missum esse diximus illum sive Cincium sive C. Itium sive Cestium. Iam anno 64 quis Syriae praefuerit, nullum apud huius temporis auctores vestigium reperitur; sed insequenti anno Cestium Gallum praefuisse Syriae ex Iosepho constat. Is enim in bell. Iud. II, 14, 3 exposita Gessii Flori procuratoris crudelitate narrat Iudaeos quamdiu Cestius Gallus in Syria versaretur, quievisse, sed cum ille instante Azymorum festo Hierosolyma venisset, conquestos esse universos additque per idem tempus cum Graeci Caesarienses ex litteris imperatoris Neronis reipublicae suae omnem potestatem accepissent, ortum esse bellum Iudaicum anno duodecimo imperii Neronis mense Artemisio (i. e. Maio). Apparet igitur Cestium Hierosolyma venisse

anno 66 ineunte (is enim duodecimus est imperatoris Neronis), et iam antecedenti Syriae praefuisse. Haec prima Cestii Galli apud Iosephum mentio; nam postea saepe commemoratur. Eodem autem tempore in nummis Antiochiensium nominatur C. Cestius anno 114 aerae Antiochiensis, qui annus ab auctumno anni 65 incipit (Eckhel. Doctr. numm. III p. 281; Noris. de epoch. Syromaced. III, 4 extr.). Quae cum ita sint, constat anno 65 Syriae praefuisse C. Cestium, probabile est praefuisse etiam biennio antecedenti. Nihil enim prorsus in condicione Syriae vicinarumque provinciarum mutatum est, ex quo Corbulo, ut bellum Parthicum administraret, Syriam Cappadocia commutavit. Vologeses, quae Corbulo promittere coëgerat, executus est anno 66 Tiridatesque ut Armeniae regnum a Nerone acciperet Romam missus (Dio LXIII, 1 sq.), Corbulo autem totam, qua initio ornatus erat, potestatem conservavit, dum anno 66 a Nerone cum magno honore in Graeciam arcessitus turpiter periit (Dio LXIII, 6 et 17). Quis igitur, cum virum et ab ambitione alienum et idoneum, cui tanta provincia sine metu committeretur, invenire difficile esset, nec Cestii nimis longa videri potestas posset, temere a Nerone putabit Syriae esse mutatum imperium? Certe igitur apud Tacitum l. l. emendandum *Cestio*, fortasse *C. Cestio;* aegre enim fero, hominem, qui tunc primum commemoretur, uno tantum nomine appellari. Quis fuerit hic Cestius, parum notum est. Suetonius modo Vespas. c. 4 *legatum consularem* vocat, atque ipsa Syriae administratio ex constanti consuetudine consularem eius dignitatem significat. Sed quando eum honorem gesserit, incertum est; illud simile veri, filium fuisse C. Cestii Galli Camerini, cos. anni 35; quod si ita est, anno 62 eum consulem cum Q. Iunio Marullo fuisse suspicor (Tac. Ann. XIV, 48; cf. Gervas. Inscr. Neapol. p. 37). Decessisse autem eum constat anno 66 p. Chr. exeunte. Etenim Tac. Hist. V, 10 narrat Vespasianum *intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenuisse; proximum annum civili bello intentum, quantum ad Iudaeos, per otium transisse.* Iam annus ille, quo civile bellum exarsit, erat 69 p. Chr., ut certe iam ineunte anno 67 Vespasianus in Iudaea fuerit. Delatam autem ei esse legationem Syriacam iam anno 66 exeunte ostendit Ioseph. bell. Iud. III, 4, 2. Vespasianus enim postquam curam belli Iudaici ab Nerone accepit, Titum filium in Aegyptum miserat ad milites inde adducendos, quem Iosephus narrat hieme traiecisse. Confirmaturque ea res a Iosepho bell. Iud. II, 19, 9, qui cladem Cestii Galli accidisse ait octavo die mensis Dii anni Neronis imperatoris duodecimi, quae cum annus ille exierit ante III Id. Oct., quo die olim Claudius periit, utut de mense Dio statuetur, certe collocanda erit ante mensem Octobrem. Tum continuo post cladem nobiles quidam Iudaei ad Neronem iam tunc in Achaia versantem a Cestio missi sunt, qui necessitatem suam proponerent, neque ille cunctatus est, quin Vespasianum mitteret. Eademque de causa faciendum est, ut Corbulonis caedes, quam Dio Cassius temporum seriem paululum perturbans sub exitum

peregrinationis Achaicae Neronis collocat, initio potius eius i. e. paulo ante cladem in Iudaea acceptam accidisse putetur. Quia enim Corbulo usque ad extremum omnem dignitatem retinuisse narratur, princeps eam provinciarum mutationem, quam Vespasiano misso instituit, ante eius obitum suscipere non potuit.

Sed haec, quam Corbulone occiso, Cestio Gallo victo, paulo post etiam mortuo, Nero suscepit provinciarum mutatio qualis fuerit quaeritur neque ea intelligi poterit, nisi antea, quae provinciae per Asiam universam Corbulonis tempore fuerint, perspexerimus. Iam primum constat, duas tunc per eas regiones fuisse senatus provincias, Asiam, quae a consularibus viris sortito regebatur, et Bithyniam, quae a praetoriis; reliqua omnia imperatoris erant, in duas divisa provincias, Syriam et Cappadociam, quarum utraque consulari viro committebatur. Nam ceterae regiones per Asiam minorem, quae in provinciae formam redactae erant, Cilicia, Galatia, Pamphylia, Lycia non peculiares efficiebant provincias, sed in duas illas magnas contributae erant. Ac Ciliciam quidem iam supra p. 98 diximus imperante Claudio cum Syria fuisse coniunctam eamque per totum imperium Neronis mansisse coniunctam ostendit Ioseph. bell. Iud. VII, 7, 3, qui narrat Antiochum, regem Commagenarum, cum Tarsum Ciliciae venisset, a Caesennio Paeto, Syriae legato, per centurionem missum in vincula esse coniectum, id quod accidit anno 72 p. Chr. Nec si Vespasianus, qui aliquot provincias ante coniunctas separavit, nullam amplificavit, non seiunxit, Nero videri debet seiunxisse. De Galatia item supra p. 94 dixi, quam ab Augusto in provinciae formam redactam legati praetorii rexerant, dum Caesennius Paetus et Domitius Corbulo cum Cappadocia coniunctam obtinuerunt. Pamphylia autem tantula erat, ut usque ad inferiorum imperatorum Romanorum aetatem nunquam peculiarem provinciam effecerit; coniuncta igitur tunc videtur fuisse cum Galatia, cui postea adhaesisse infra videbimus. Lycii autem ab Augusto libertatem acceperant (Strabo libr. XIV p. 664), qua cum abuterentur, Claudius eos libertate privavit et cum Pamphylia in unam quasi praefecturam coniunxit, quae praesidi Galatiae, ut videtur, parebat. Hoc enim valet, quod Dio LX, 17 ait: *τοὺς Λυκίους — ἐδουλώσατό τε καὶ ἐς τὸν τῆς Παμφυλίας νομὸν ἐσέγραψεν.* Cf. Suet. Claud. c. 25. Sed nescio quo pacto Nerone imperante Lycii libertatem recuperarunt, qui tamen quo tempore id fecerit et cui eos provinciae attribuerit, incertum est. Nam anno 57 Tac. Ann. XIII, 33 narrat Eprium Marcellum a Lyciis repetundarum esse accusatum, sed tantum valuisse gratia, ut non ipse modo absolveretur, verum etiam ex accusatoribus nonnulli exilio punirentur. Quid igitur hinc potest colligi? Primum hoc censeo posse colligi, si res acta est in senatu ac lege repetundarum, senatus eam fuisse provinciam. Attigi hunc locum iam supra, ubi de Cilicia dixi, p. 139, sed nunc paulo plura dicenda esse video, quia viri docti aliter solent statuere. Omnes enim, quantum scio, legem repetundarum

pariter ad proconsules a senatu missos et ad legatos principis, qui imperatoriis provinciis praeerant, pertinuisse atque de utrisque senatum iudicasse credunt. Equidem, etsi nihil usquam apud auctores certi inveni, contra universam tamen rationem imperii futurum esse existimo, ut senatus putetur de delictis etiam legatorum Caesaris iudicasse. Novimus enim, quanta diligentia imperatores operam dederint, ne in iis provinciis, quas ipsi regerent, senatus quicquam administraret. Si autem licuisset, apud senatum accusare legatos principis, nonne senatores revera omnium provinciarum erant arbitri? Nonne oportebat eos, si recte iudicare vellent, inquirere, quid imperator mandasset, quae tributa imposuisset, quo quidque modo administrari iussisset? Quae certe princeps, qui suas esse vellet illas provincias earumque reditibus milites ali, pati non poterat. In quibus si quid delictum esse videretur, nonne ipse imperator quodammodo in ius vocabatur? Erat autem vere unus omnium earum quas tenebat provinciarum proconsul; legati eius vice, dum ipse Romae est, eas regebant. Ac si ipsos illos legatos licebat repetundarum in senatu accusare, certe licebat etiam legionum legatos praefectosque, inter quos partes provinciarum principis divisas esse constat. Sic senatui in ipsos etiam milites exercitumque, quo nihil magis proprium imperatoris habebatur, iudicium esset datum. Neque hoc debebit ulla ratione statui. Nolo plura de eodem genere disputare, quia haec sufficere censeo; illud addo, ne opus quidem fuisse lege repetundarum in legatis Caesaris. Primum enim pecuniarum omnis administratio in provinciis imperatoriis erat apud procuratores legatorum potestati non subiectos, deinde, si qua in alia re legati deliquissent, nonne brevius ac tutius erat ipsum adire imperatorem, qui et statim revocandi et mandatis coërcendi et denique puniendi plenissimam haberet potestatem? Denique, id quod confirmat sententiam nostram eique maximam probabilitatem conciliat, cum tot afferantur apud Tacitum et Plinium causae praesidum lege repetundarum condemnatorum vel accusatorum, nulla in iis est, quam ex provincia imperatoria delatam esse constet. Collegit eas causas diligenter patruus noster, Carolus Timotheus, in scriptione academica de legibus iudiciisque repetundarum, Berol. 1845, comment. III p. 37, qui, cum repetundarum legem ad utrumque pariter provinciarum genus referret, ipse mirabatur, tam pauca ex principis provinciis afferri iudicia. Sed debuit haec omnia ex indice, quem conficiebat, eximere. Primum enim affert duo exempla procuratorum, Lucilii Capitonis apud Tac. Ann. IV, 15 et P. Celeris apud Tac. Ann. XIII, 33; sed uterque fuerat in Asia, senatus provincia, accusabaturque, quod contra leges a provincialibus pecunias cepisset. Itaque ea cognitio, quia tota provincia senatui mandata erat, rite ad eundem pertinebat; neque haec exempla docent, reliquarum provinciarum, quas imperator obtinebat, aut procuratores aut legatos lege repetundarum apud senatum causam dixisse. Sequitur apud Tac. Ann. IV, 18 C. Silius, qui Germaniae supe-

riori praefuerat. Eum Tacitus narrat in senatu esse accusatum; sed non repetundarum, verum maiestatis erat iudicium. Ex tribus rebus hoc intelligitur, primum quod Tacitus ipse ait: *Nec dubie repetundarum criminibus haerebant* (Silius et uxor eius Sosia Galla), *sed cuncta quaestione maiestatis exercita,* unde, dum de maiestatis criminibus, quae in provincia administranda commisisset, agitur, commemorata esse videmus etiam repetundarum quaedam crimina, quae movere possent et senatum et imperatorem, ut nocentem esse hominem existimarent, sed nequaquam lege repetundarum esse accusatum. Deinde idem ostendit ipsa iudicii forma. Tacitus enim narrat neminem provincialium res repetisse a C. Silio, idque necesse erat in quovis repetundarum iudicio. Tum ex iis, quae Tacitus tradit, discimus statim postquam accusatus est Silius, actam esse causam, neque ullum accusatori tempus esse datum, quo ex tam longinqua provincia litteras testesque arcesseret, idque fieri consuevisse in repetundarum reis notum est. Quare certe C. Silii damnatio non debet pro argumento haberi, ex quo de imperatoriis provinciis senatores iudicasse colligamus. Tum de Pomponio Labeone sic narrat Dio Cass. LVIII, 24: *καὶ οὗτος μὲν τῆς τε Μυσίας ποτὲ ὀκτὼ ἔτεσι μετὰ τὴν στρατηγίαν ἄρξας καὶ δώρων μετὰ τῆς γυναικὸς γραφεὶς ἐθελοντὴς σὺν αὐτῇ διεφθάρη,* ut sane de lege repetundarum ac Labeone apud senatum accusato significare videatur. Veruntamen minus accurate Dionem scripsisse ostendit Tacitus Ann. VI, 29 eundem Labeonis casum referens: *Pomponius Labeo, quem praefuisse Moesiae rettuli, per abruptas venas sanguinem effudit. — Nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Caesar missis ad senatum litteris disseruit morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse.* In his nullum est indicium repetundarum. Quomodo enim carnificem potest timere, qui repetundarum accusatur? Pecuniam contra leges captam ex bonis suis restituit, notatur infamia, amittit ordinem, privatur sacerdotiis (vide patrui commentationem quam modo laudavi, p. 28), sed vitae salutique suae nihil est, quod timeat. Necesse igitur erat, alia crimina Labeo metueret. Neque omnino accusatus est apud senatum, idque docent quae addit Tacitus, eum voluntaria morte voluisse rem familiarem liberis conservare. Nam si coepta esset repetundarum accusatio apud senatum, ea, quamvis reus interim sibi manum intulisset, tamen peragebatur, id quod omnia, quae Tacitus refert, exempla ostendunt, sequebatur damnatio, bona publicabantur. Quid igitur accidit Labeoni? Provinciales eum detulerant apud Tiberium, quod et pecuniam contra leges cepisset et alia, opinor maiestatis, crimina admisisset: ideo ille ei amicitiam renunciavit domoque interdixit. Tum

Labeo, metuens etiam ne maiestatis apud senatum accusaretur, sibi ipse mortem conscivit scripsitque rem Tiberius senatui iis litteris, quas Tacitus significat, quibus non opus fuisset, si ab initio res in senatu acta esset. Superest, si ab Cossutiano Capitone, de quo supra diximus, et Eprio Marcello, de quo haec ipsa disputantur, discedamus, unus Vibius Secundus, qui docere posse videatur, etiam ex imperatoriis provinciis repetundarum causas ad senatum esse delatas. De eo enim sic est apud Tac. Ann. XIV, 28: *Vibius Secundus eques Romanus accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur, ne graviore poena afficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.* Certum igitur est repetundarum fuisse iudicium, certum rem actam esse a provincialibus. Sed ille Vibius Secundus quis fuit? Statuunt fuisse procuratorem alterius Mauretaniae, quam provinciam Claudius anno 42 instituerat. Neque id a vero videtur abhorrere; nam cum Vibius Crispus eloquentia et divitiis principem in civitate locum obtinuerit ac saepe a Tacito inter eos, qui plurimum tunc valuerint, nominetur, fratrem quoque eius illustrem equitem Romanum fuisse putabimus. Omnia igitur videmur habere, quae procuratorum crimina in senatu cognita esse doceant, accusantem provinciam, reum, qui principis provinciae praefuerat, legem repetundarum. Sed unam tamen rem desidero, quae plurimum valet. Num enim Tacitus ait rem actam esse in senatu? Non ait neque actam ibi esse existimo. Refert enim de eadem re Tacit. Hist. II, 10, cum Galba rerum potitus esset, Vibium Crispum Annio Fausto, equiti Romano, delatori olim fratris sui, diem apud senatum dixisse ac pervicisse, ut ille condemnaretur. Quid? Si causa in senatu acta erat ex lege repetundarum, quomodo fieri poterat, ut ipsi qui condemnarant senatores, cum malos delatores, qui Nerone imperante floruerant, ulcisci statuissent, Annium Faustum punirent? De iis, opinor, potius agebatur tunc delatoribus, qui apud ipsum principem viris bonis insidias struxissent, non de iis, qui rite in senatu repetundarum postulassent. Itaque mihi quidem hoc exemplum alio videtur pertinere ac quicquid iudicabitur, illud constat, nihil certi ex eo posse colligi. Contra autem sunt certissima aliorum procuratorum exempla. Nam Pontius Pilatus, Iudaeae procurator, cum accusaretur a Samaritanis, quod multos homines contra leges occidisset, a Vitellio, Syriae praeside, Romam missus est, ut ibi apud imperatorem Tiberium causam diceret, qui cum interim obisset, impune evasit. De ea re Ioseph. Antiq. XVIII, 4, 2 sic narrat: *Οὐιτέλλιος — Πιλάτον ἐκέλευσεν ἐπὶ Ῥώμης ἀπιέναι, πρὸς ἃ κατηγοροῖεν Ἰουδαῖοι διδάξοντα τὸν αὐτοκράτορα.* Nulla senatus mentio, apud quem si Pilati causa acta esset, sine dubio lex repetundarum valuisset. Sed accuratius narratur causa Cumani, qui alter ab Pontio Pilato Iudaeae praefuit. Qui cum a Iudaeis arguereturur, quod pecunia accepta insontes interfecisset, quia aperte crimen repetundarum erat, si omnino ex imperatoriis provinciis tales causae ad senatum deferrentur, ad senatum mittendus atque in eo accusandus erat.

Sed sic tradit de eo Ioseph. Antiq. XX, 6, 2: *κελεύει δὲ* (Ummidius Quadratus, Syriae legatus) *καὶ τοῖς τῶν Σαμαρέων πρώτοις καὶ τοῖς Ἰουδαίων* (ex quibus illi socii erant Cumani, hi accusatores) *Κουμάνῳ τε ἐπιτρόπῳ — ἐπ' Ἰταλίας ἀπιέναι πρὸς τὸν αὐτοκράτορα κριθησομένους ἐπ' αὐτῷ περὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους ζητήσεων* et paulo post: *Οἱ περὶ Κούμανον δὲ καὶ τοὺς πρώτους τῶν Σαμαρέων, ἀναπεμφθέντες εἰς Ῥώμην, λαμβάνουσι παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος ἡμέραν, καθ' ἣν περὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητήσεων λέγειν ἔμελλον — καὶ Κλαύδιος — διακούσας — τοὺς μὲν ἀναβάντας πρὸς αὐτὸν (Σαμαρεῖς) ἐκέλευσεν ἀναιρεθῆναι, τῷ Κουμάνῳ δὲ φυγὴν ἐπέβαλε.* Ac similis prorsus fuit causa Felicis, qui post Cumanum Iudaeam rexit, quem Ioseph. Antiq. XX, 8, 9 narrat postquam decessit, a Iudaeis apud Neronem esse accusatum, sed gratia Pallantis absolutum. Nonne haec exempla simillima sunt illi, quod commemoravimus, Vibii Secundi, quem Mauri apud Neronem repetundarum accusarunt? Nec dubito, quin, si quis diligenter quaerat, etiam legatos provinciarum imperatoriarum invenire possit repetundarum non apud senatum, sed apud principem accusatos ab eoque punitos.

Sed ab hac satis longa digressione, qua videmur effecisse, ut legati Caesarum procuratoresque non in senatu, sed apud ipsum imperatorem, a quo potestatem acceperant, repetundarum accusari consuerint, redeundum est ad eam de qua disputatio nostra suscepta erat Lyciam. Num igitur Eprium Marcellum, de quo Tacitus narrat, in senatu a Lyciis accusatum esse putamus? Si statueremus ita, sequeretur, ut Lycia fuerit senatus provincia. Iam duas per Orientem scimus fuisse senatus provincias, Bithyniam, in quam certe Lycia attribui non potuit, et Asiam; sed hanc ab Eprio Marcello administratam esse constat Vespasiano imperante ab anno 71 p. Chr. per triennium. Vide Borgh. in Bullett. inst. arch. Rom. anni 1831 p. 147. Quid igitur faciamus? Num Cyprum insulam ab Eprio Marcello rectam esse existimabimus? Ea erat sane praetoria ac senatus provincia, qua tamen tunc praeter insulam ipsam populos continentis comprehensos esse demonstrari non potest, nec quod inscriptio, quam Borghesius in Bullett. inst. arch. Rom. anni 1831 l. l. citat, posita est Eprio Marcello ab insula Cypro, satis causae est, ut eum huic insulae praefuisse statuamus. Relinquetur, ut causa Eprii Marcelli apud imperatorem acta sit Lyciaque principis fuerit provincia, non ut sola haberet Caesaris legatum (tantula enim erat, ut legati munus non expleret), sed ut cum aliis populis coniuncta regeretur. Idque confirmatur prorsus testimonio Plinii nat. hist. XII, 1, 10, qui de platano referens, quae maxima fuisset in Lycia, addit *Licinium Mucianum ter consulem et nuper provinciae eius legatum* de ea in libris suis tradidisse; item XIII, 28, ubi Mucianus ter consul, qui *praesederit Lyciae,* commemoratur. Ibi de Caesaris provincia dici certum est; appellatur enim legatus. Mucianus autem est ille C. Licinius Mucianus, qui cum anno 67 a Nerone provinciam Syriam regen-

dam accepisset, imprimis auctor fuit Vespasiano, ut imperium capesseret, qui primum consul fuit anno 52 p. Chr. Quando autem Lyciae praefuit? Dupliciter id potest cogitari. Quoniam enim Lyciam non per se solam constitisse, sed cum aliis populis coniunctam uni legato paruisse diximus, nonne ita accidere potuit, ut Mucianus in Syriaca legatione Lyciam quoque cum Pamphylia, quam maxime cum ea coaluisse in unam rempublicam Dio l. s. l. ait, et Galatia teneret? Etenim a Domitio Corbulone et Caesennio Paeto, cum Cappadociae et Armeniae praeessent, videri omnes, qui principi proprie parebant, Asiae minoris populos uno imperio esse comprehensos supra diximus neque obstant Plinii verba Lyciae praesidem appellantis; siquidem cum uni et soli Lyciae tunc nemo legatus praefuerit, utrum pauciores an plures provincias cum ea coniunctas fuisse statuas parum refert. Veruntamen adversatur huic rationi haud dubie Tacitus Hist. II, 9, qui *Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati regendas permisisse narrat* Galbam imperatorem, quo loco observamus usum minus accurate dicendi, qui nisi intelligatur, possit nos in errores inducere. Quamvis enim una vere esset provincia Galatia et Pamphylia unumque legatum haberet, Tacitus tamen, ut populorum diversitatem significaret, provincias plurali numero appellavit. Iam occiso Nerone et Mucianum Syriae praesidem scimus rite sacramentum Galbae praestitisse nec hunc de successore illi in Syriam mittendo cogitasse; quare si retinere imperator vellet in Syria Mucianum eiusque opera bona ac fideli uti, certe facere non potuit, ut magna populorum quos regebat parte adempta Calpurnium Asprenatem in Galatiam mitteret. Illo igitur tempore, quo Galba imperium adeptus est, Galatia et Pamphylia et Lycia suum habebant legatum ab Syriaco diversum, nec Mucianus cum Syriae praeesset, simul praefuit Galatiae ac Lyciae. Quando autem praefuit? Certe Galatia (sic enim breviter appellabimus provinciam quae etiam Pamphyliam et Lyciam amplectebatur) erat praetoria etiamtunc, ut fuerat antea, idque intelligitur vel ex Tacito Hist. I, 10, qui septem omnino legiones per Orientem ducibus Muciano et Vespasiano enumerat. Quare necesse est Galatiae praefuerit Mucianus ante annum 52, quo primum consulatum accepit. Itemque Eprium Marcellum statuemus, postquam anno 48 praeturam gessit (Tac. Ann. XII, 4), in Galatia fuisse legatum Caesaris causamque eius res repetentibus Lyciis non in senatu esse actam, sed apud ipsum Neronem. Neque multum a vero aberrabimus, si eum Muciani in Galatia successorem fuisse putabimus. Causa enim Eprii acta est anno 57, ut paulo ante ex Galatia decesserit; Corbulonem autem, qui Galatiam et Pamphyliam et Lyciam cum Cappadocia coniunxisset, anno 55 missum esse supra diximus. Eodem igitur tempore ex Galatia Eprius Romam rediit, cui si triennium vel quadriennium provincialis administrationis tribuemus, ad id tempus, quo Mucianum in Galatia fuisse demonstravimus, perveniemus.

Iam, ut quae multis disputata sunt, breviter complectamur, anno 66 p. Chr., quo Domitius Corbulo a Nerone occisus est, per Orientem duae erant senatus provinciae, Asia et Bithynia, item duae Caesaris, Syria, quae Ciliciam comprehenderet, et Cappadocia, qua etiam Galatia, Ponti pars, Pamphylia, Lycia contineretur. In his quid tunc mutavit Nero? Primum eam, quae ante Corbulonem provincia fuerat, Galatiam cum Pamphylia et Lycia restituit, cuius praesidem Calpurnium Asprenatem Galba imperante cognovimus; deinde novam provinciam fecit Palaestinam, tribus legionibus propter bellum Iudaicum ornatam, cui praefecit T. Vespasianum; Syriam C. Licinio Muciano traditam, nisi quod Palaestina dempta erat, eodem ambitu reliquit, quo olim ante Corbulonem fuerat. Nam etiam Cappadociae rursus procuratorem equitem Romanum impositum esse arbitror, ne Suetonius Vesp. c. 8, qui pro equite Romano consularem legatum praefectum esse ait, minus accurate dixisse videatur; sed tutela tamen militaris etiam Cappadociae erat penes legatum Syriae. Haec igitur sic tunc instituta ab imperatore Nerone, nec tamen diu manserunt. Nam Vespasianus et Cappadociae cum Galatia coniunctae novam consularem provinciam et Lyciis cum libertatem rursus ademisset (Suet. Vesp. 8), alteram praetoriam provinciam instituit, ut Asia quae olim Augusto imperante duas senatus provincias, unam imperatoris habuisset, iam per multas rerum vicissitudines senatus illa quidem non plures, at imperatoris quattuor provincias acciperet. Verum ultra haec persequi quamvis et operae pretium necdum a quoquam satis temptatum sit, a proposito tamen nostro alienum est magnamque videbimur utilitatem scientiae nostrae attulisse, si maxima Romanorum provincia qualis sub priorum imperatorum tutela fuerit, post praeclaras doctissimorum virorum disputationes nova cura illustrasse iudicabimur.

Iam enim executi sumus, quod volueramus, ut ab Caesare Augusto ad T. Vespasianum continuam Syriae praesidum seriem contexeremus temporaque, quibus quisque et iniit munus et decessit, inveniremus. Quae quoniam longa necessario oratione explicanda erant, faciendum esse putavimus, ut, quae disputatione nostra effecta sunt, in unum conspectum redigeremus tabulamque adderemus, in qua quae dum operose examinantur, ab dubitationibus liberantur, argumentis confirmantur, minus patebant, breviter proponerentur. Hos igitur Syriae provinciae imperatorum legatos fuisse existimamus:

Q. Didium	anno 30 a. Chr.	M. Agrippam	ab anno 23 a. Chr.
M. Messallam Corvinum	29	M. Titium	13
M. Tullium Ciceronem	28	C. Sentium Saturninum	9
A. Terentium Murenam	ab anno 28	P. Quinctilium Varum	6
C. Sentium Saturninum	26	P. Sulpicium Quirinium	4

M. Lollium	ab anno 1 a. Chr.	L. Vitellium	ab anno 35 p. Chr.
C. Marcium Censorinum	anno 3 p. Chr.	P. Petronium	39
L. Volusium Saturninum	ab anno 4	C. Vibium Marsum	42
P. Sulpicium Quirinium	6	C. Cassium Longinum	45
Q. Caecilium Creticum Silanum	11	C. Ummidium Quadratum	50
Cn. Calpurnium Pisonem	17	Domitium Corbulonem	61
L. Aelium Lamiam	21	C. Cestium Gallum	63
L. Pomponium Flaccum	anno 33	C. Licinium Mucianum	66

De

Macedoniae Romanorum provinciae praesidibus

qui fuerunt usque ad imperatorem T. Vespasianum.

Cum ex aliquot saeculis plurimi ac doctissimi viri in cognoscenda antiquitate Romana elaborarint ac vix ullus locus eorum studiis vacuus reperiatur, quam multa tamen ubique vel obscura vel falsa sint, quo quisque plus in ea perspicienda ipse proficit, eo intelligit manifestius. Itaque tantum abest, ut eorum probemus sententiam, qui quasi omnia iam explorata sint, nihil amplius esse statuant, quod litteris Latinis opera danda esse videatur, ut acrius eas ipsas urgendas esse existimemus atque in investigandam vitam et publicam et privatam Romanorum maiorem quandam curam ac diligentiam quam antea conferendam esse censeamus. Etenim plurimae res, quae ad antiquitatis scientiam maxime pertinere videantur, aut silentio omnino praetereuntur aut cum magnis erroribus traduntur; quod utrum per auctorum inopiam an doctorum virorum quandam negligentiam an denique per communem hominum imbecillitatem argumentique infinitam copiam accidat, non disputabimus hoc loco: res ipsa certe est verissima. Veluti quis non dixit de Graecia ab Romanis capta? Quid debet in tota prope antiquitate esse illustrius quam illud tempus, quo Graeci, postquam domesticis discordiis debilitati libertatem suam non amplius tueri potuerunt, in populi Romani potestatem pervenerunt? At Graecia capta quo iure, quibus legibus usa sit, admodum est incertum. Quam cum olim viri docti statuissent ab Romanis in provinciae formam esse redactam, idque imprimis Car. Sigonius, intelligentissimus antiquitatis Romanae iudex, de antiquo iure populi Romani (Lips. 1715) Tom. II p. 63 uberius persecutus esset, ceteri, quasi dubitari non posset, postquam Corinthus anno 146 a. Chr. expugnata est, provinciam, quae Achaia appellaretur, constitutam ac deinceps, quamdiu imperium Romanum constitit, servatam esse existimarunt; itaque cum ab iis tradebatur, qui quae apud viros doctos invenerant, propagare quasi vellent, tum ab aliis, qui disciplinam nostram ipsi suis studiis augere atque emendare cuperent. Sed nuper ante paucos annos in conventu philologorum Basileensi extitit Car. Frid. Hermannus, vir eruditissimus,

negans utique usque ad imperatorem Augustum vel ad bella civilia ullam fuisse Romanorum provinciam Achaiam: vere liberos fuisse Graecos, suis legibus, suo iure esse usos, denique imperio Romano non paruisse. Qui tunc quidem minus movit hominum animos, quam argumenti quod proposuerat magnitudo ipsiusque auctoritas postulabat. Sed biennio post ubi disputationem suam auctam addidit fasciculo commentationum variis temporibus a se scriptarum,[1]) moveri coepta est quaedam contentio. Nam cum alii prorsus ei assentirentur neque usque ad interitum libertatis Romanae iure provinciae usos esse Graecos docerent, Ioach. Marquardtius in compendio antiquitatum Romanarum Beckeriano Tom. III p. 121, ubi omnium provinciarum Romanarum rationes persequitur, aliam viam ingressus est, non novam illam quidem omnino, sed et a paucis temptatam necdum a quoquam satis munitam. Qui etsi verum esse negat, quod Hermannus de libertate Graeciae a Romanis conservata disputarat, tamen ne vetere quidem opinione probata Graeciam modo accessionem quandam fuisse statuit Macedoniae provinciae, modo suis ac peculiaribus paruisse rectoribus. Nec vero Hermannus sententiam suam vel improbari vel refutari aequo animo tulit, sed in defensione disputationis de Graeciae post captam Corinthum condicione, quam ante paucos menses in programmate academico Gottingensi edidit, acriter Marquardtii rationes impugnavit imprimisque auctorum veterum de Graeciae condicione testimoniis examinandis id egit, ut, quod olim dixerat, confirmaret.

In has virorum doctorum contentiones nos quidem delati sumus prope inviti, non quod verum quid esset, non intelligere videremur idque certissimis argumentis demonstrari posse desperaremus, aut, si quid boni invenissemus, dicere id vel cum offensione aliqua vereremur; sed aliud sequebamur, cum primum hunc locum ingredi coepimus. Nam, etsi praeclare de litteris nostris meruisse videbamus Hermannum, qui rem longe omnium maximam ex longo silentio multisque erroribus ad novam virorum doctorum quaestionem revocare coepisset, minus tamen nos movebat, utrum ipse recte libertatem Graecorum a Romanis relictam esse statueret, an Marquardtius verum vidisset, qui et de provincia Achaia crederet et eam nonnunquam cum Macedonia coniunctam fuisse existimaret; ipsas virorum doctorum disputationes, ni fallor, cognovimus aliquanto postquam ipsi de ea re cogitare et quaedam etiam scribere inceperamus. Sed cum imperatoris Augusti aetate ea videremus de Graecia a veteribus auctoribus tradi, quae cum vulgari opinione non consentirent, inde ab hoc capite paulatim reliqua exploravimus totiusque rei originem ac decursum persecuti sumus. In quo non infitiabimur nobis prope molestum fuisse, quod praeter opinionem

1) Liber sic inscriptus est: Gesammelte Abhandlungen und Beiträge zur classischen Litteratur und Alterthumskunde, Göttingen 1849, ubi vide 349 sq.

subito dum vero inveniendo studemus, in medias virorum doctorum dissensiones incideremus. Etsi enim utilis saepe est ea disputatio, quae redarguendis falsis opinionibus purget quasi litteras verique videndi facultatem praebeat, atque imprimis nostra aetate tanta extiterit et in dicendo vanitas et in credendo facilitas, ut, nisi iis quae falsa sunt, erutis ad id, quod verum est, non videamur posse pervenire, nobis tamen hoc tempore quietum potius disputandi genus, quam erectior pugnandi alacritas placebat. Quare cum ab initio omni virorum doctorum refutatione abstinere statuissemus, tum multo minus postquam ea, de quibus dubitaretur, cognovimus, ad disceptationem descendere debuimus; siquidem ea in contentionem vocantur, quibus tamquam gradibus quibusdam ad alia, quae adhuc obscura fuerunt, ascendere soleamus, eaeque res proferuntur, quae si verae essent, magna pars eius quae nunc est antiquitatis Romanae cognitionis everteretur. Ex hoc enim prope genere est, quod Hermannus in defensione p. 4 universam controversiam sic constituit, ut partes quasdam Graeciae populo Romano vectigales fuisse atque a magistratibus Romanis administrari consuevisse concedat, sed ideo vel ipsas illas regiones vectigales vel reliquam Graeciam, quae partim libera, partim etiam immunis fuit, in provincia populi Romani fuisse neget. Eodemque pertinet, quod p. 12 quaestorem Corinthi collocatum fuisse facile patitur, sed eum cuiquam, qui pro praetore vel pro consule esset, paruisse negat. At nos sic et accepimus semper et ex veterum scriptorum lectione ipsi videmur intellexisse, in qua regione esset ager publicus populi Romani, ibi fuisse provinciam; quaestores vero ubi extra Italiam invenirentur, ibidem fuisse vel pro praetoribus vel pro consulibus. Haec tamquam fundamenta quaedam antiquitatis Romanae observavimus ad eaque, si qua nova invenire cuperemus, direximus. Quid igitur nunc faciamus? Num refellamus virum doctissimum, qui falsam rem ubi sita esset commonstravit atque veteres errores persequi coepit? At hoc si non paucis quibusdam exemplis defungi, sed vere sufficere adversariorumque dubitationibus obviam ire velimus, et longae sane disputationis sit et relicta provinciali ratione ad ius magistratuum Romanorum deverti cogat. Nonne igitur praestat, cum utrumque persequi non possis, si de provinciis dicere constitueris, omnem contentionem abiicere? Simile est, quod Hermannus in defensione p. 9 negat ex eo, quod quaedam Graecae civitates anno Corinthi eversae in nummis utantur, debere de Graecia in formam provinciae redacta colligi; neminem enim unquam audisse, amissae libertatis tam dulcem gentibus recordationem fuisse, ut velut novae aetatis inde initium caperent. Quomodo hoc refellamus, quod videatur pugnare cum omni opinione antiquitatis? Doceamusne Graecis Romanorum imperium fortasse non dulce, sed adeo tamen salubre fuisse, ut Pausanias ipse, Graecarum rerum studiosissimus, eo Graeciae salutem allatam esse fateatur, idque clementiam ac prudentiam Romanorum singillatim persequendo ostendamus? An aliarum et Graecarum et Asiaticarum

civitatum exempla citemus, quas ab eo tempore, quo in provincias populi Romani receptae sunt, constat annos numerare consuesse? Nam regna, quae annum, quo Romanis parere coeperunt, in nummis celebrare solent, velut in universa Aegypto consuetudinis erat, ideo fortasse admittere nolit Hermannus, quod ea ex servitute in libertatem restituta esse dicat. Quamquam ne hoc quidem satis verum videtur esse, propterea quod etiam ii, qui suis dominis paruerant, si eos cum externis commutent, de libertate amissa queri solent. An denique illud afferam, quod item recte afferatur, potuisse fieri, ut non propter gratam rei recordationem Graecae civitates annum eversae Corinthi in nummos reciperent, sed quod illud non minus quam reliqua imperaretur? Omnia haec, si non dicere modo, verum etiam probare cum aliis tum ei qui contra iudicarit velis, peculiarem quandam nec parvam exigunt operam. Denique omnis haec controversia versari mihi videtur potissimum in libertatis vocabulo, quod alii interpretantur aliter, neque facile est, qua ratione ipsi Romani intellexerint demonstrare. Consulto enim saepe id amplificant, nimirum ut libertate data magnum beneficium tribuisse videantur. Quibus magnifice loquentibus qui credunt, ii liberas civitates exemptas fuisse dicunt ex iure praesidum, ut quamvis intra provinciarum fines essent, quodammodo tamen extra eos esse viderentur, qui rem spectant, longe deteriorem earum condicionem esse intelligunt. Equidem, ut paucis complectar quod sentio, sic video, liberas fuisse eas civitates, quae suis, non Romanis legibus uterentur: edictum provinciale praesidis ad eas non pertinebat, quia avitas suas leges habebant. Sed quae pro imperio imperantur, ea liberis civitatibus imperantur non minus quam reliquis, quae in provincia sunt, ac magis adeo quam foederatis, quarum foedere si quid exceptum est, eo non tenentur. Itaque respublicae earum ita constituuntur, ut potestas sit apud optimates, in quem statum qui deliquerunt, a Romanis puniuntur, de bello ac pace nihil deliberant, habent denique, quam nos hodie dicamus, plenissimam libertatem municipalem, suis ac propriis legibus institutam. Quodsi quis latius extendet libertatem et ubicunque liberam civitatem nominari videbit, ibi provinciam esse negabit, dissolvet hercle totum imperium Romanum neque ullam provinciam relinquet; nulla enim est, in qua non liberae sint civitates. Quam praeclarus hic est campus dicendi! sed idem tam magnus, ut solus per se maximas vires postulet. Quare cum omni de hoc genere disputatione abstinere constituerim, facere tamen non possum, quin unum afferam locum Ciceronis, qui cum prope demonstrare videatur, quod dixi, negligi tamen solet, ád Att. VI, 1, 15, ubi haec sunt: *Multaque* (in edicto meo provinciali) *sum secutus Scaevolae, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus. — Graeci vero exultant, quod peregrinis iudicibus utuntur. Nugatoribus quidem, inquies. Quid refert? Tamen se αὐτονομίαν adeptos putant.* Quibus quid potest esse apertius? Hanc igitur

libertatem Romani Graecis, quos ex vetustis temporibus suis iisque magna arte excultis legibus uti neque facile ad alienos mores traduci posse intelligerent, dederant communiter, quae quominus Graeci et imperio Romano parerent et in provincia censerentur nihil impediebat.

Quas res cum animo complecteremur aliaque, quae de condicione Graeciae traduntur, consideraremus, fatemur nos nunquam discessisse ab vetere illa sententia, in qua fuerunt qui primi ex philologis de hac re scripserunt, ut Graeciam post excidium Corinthi utique in provinciae formam redactam esse iudicaremus. Ne illud quidem nos movebat, quod, nisi qui forte locus oculos nostros sane parum curiose quaerentes fugit, nemo veterum auctorum Graeciam provinciae formam accepisse narrat. Quis enim tam inique agat, ut tradi omnia velit? Nonne satis est ea narrari, ex quibus recte colligere possimus? Nos vero si illam legem nobis imponemus, maximam spem antiquitatis cognoscendae delebimus. Est autem eorum temporum, quibus Graecia a Romanis capta est, bonorum auctorum inopia maxima. Nam de excidio Corinthi praeter Pausaniam, qui aliud proprie consilium sequitur, nemo fere tradit paulo copiosius; inferioris autem aetatis memoria tota vel ex ieiunis historiae compendiis vel ex paucis ac laceris meliorum auctorum reliquiis petenda est, donec Ciceroniana aetas huius et amplissimi et optimi auctoris libris illustrari incipit. Quodsi Livius superesset in hac parte, qui non modo amplificationem imperii Romani diligenter persequitur, verum etiam singulis annis quae magistratuum provinciae fuerint explicat, isque de Graecia sive Achaia taceret, tantum sane ex hoc silentio efficeretur argumentum, ut maius vix posset cogitari: nunc cum ii, qui et maximas res praetermiserunt neque omnino rei publicae Romanae historiam explicare voluerunt, taceant vel potius non tam aperte dicant, ut a quolibet possint intelligi (nam ne tacuisse quidem prorsus, sed recte quaerentibus omnia aperire demonstrabimus), ex hoc silentio argumentum satis validum repeti non debet. Ciceronis quidem tempore quae Achaiam provinciae Romanae iure usam esse doceant, perspicua extant testimonia, dummodo ea habeantur pro perspicuis, quae recte de ea re colligi patiantur; nam ut appelletur Achaia provincia, ut quomodo id ius acceperit narretur, ab iis, qui non perpetuitatem historiae explicant, sed aliud agentes praeteritorum temporum mentionem faciunt, postulari non debet.

Quare cum persuasissemus nobis, Achaiam inde ex quo Corinthus eversa est, fuisse provinciam Romanam, multa tamen videbamus, quae non parvam dubitationem moverent. Quid enim est, quod iis, de quibus dicimus, temporibus nunquam pro praetore vel pro consule Achaiae nominetur? Cum tot commemorentur repetundarum damnati, tot alii praesides, qui bene vel male provincias rexerint, tot denique virorum illustrium, quorum honores ac munera recenseantur, exempla, quomodo accidere potuit, ut nemo, qui Achaiae

praefuerit, notus sit nobis? Verissimum enim est, quod Hermannus ait, cum provinciam Achaiam Pighius in annalibus constituerit inde ab Corintho excisa, singulisque annis rectores eius persequatur, omnes locos vacuos relinqui praeter quinque eosque coniectura vel aperte falsa vel incertissima expleri. Deinde qualis tandem erat provincia Achaia? Non erat vicina barbaris populis, qui perpetuo bello defendendi vel subiiciendi essent: ipsa habebat civitates incredibilem in modum exhaustas atque imbecillas, easdemque antiquitus omnium artium et publicarum et privatarum peritissimas, quae cum semel externo imperio otium quo ante caruerant accepissent, sine exercitus praesidio essent quieturae. Num haec propraetori vel proconsuli Romano, quales quidem erant libertatis tempore, sufficere poterant, qui et exercitui praeesse et rem gerere cuperet? Ipse etiam Achaiae ambitus sane exiguus videri debuit Romanis. Quanta terrarum spatia amplectebantur reliquae provinciae? Nam omnis Hispania parebat duobus praetoribus, nonnunquam adeo uni, in Africa quicquid erat dicionis Romanae, ab uno regebatur magistratu, Syria et Asia quot civitates, quot gentes ac regna continebant? Sardinia vero et Sicilia, quae etsi maiores sunt Achaia, proxime tamen ad eius exiguitatem videntur accedere, propter servorum multitudinem et rem frumentariam et Italiae propinquitatem praetorio imperio regebantur. Haec, quae ad universi imperii Romani conformationem ac quasi constitutionem spectant, etsi nec veterum auctorum locis demonstrantur nec necessariis quibusdam rationibus efficiuntur, multum tamen valebunt apud eos, qui rerum Romanarum periti erunt. Qui sic utique intelligent, quamdiu libera fuit respublica Romana, non potuisse fieri, ut Achaia ipsa per se propraetoris vel proconsulis provinciam expleret. Quodsi Achaia quo tempore in imperium Romanum transiit, accessio facta est alius alicuius provinciae, ut postea disiuncta per se ipsa constiterit, poterimus concedere: si autem inferiore aetate reperietur coniuncta fuisse cum alia provincia, credi non poterit ante fuisse disiunctam, ut ipsa provinciam propriam efficeret. Progressio enim omnis in imperio Romano haec erat, ut fines provinciarum paulatim minuerentur, non ut augerentur. Quo magis populi socii Romanorum mores discebant pristinamque libertatem obliviscebantur, eo plures esse oportebat magistratus Romanos. Itaque in Asia cum fuisset principio una provincia, post accesserunt Cilicia et Bithynia, Augustus addidit Galatiam, alii imperatores alias; in Africa imperante Augusto una erat proconsularis provincia, Caligula constituit Numidiam, postea qui imperarunt, duas Mauretanias. Ex una illa Gallia Transalpina, quam accessionis loco a senatu accepit Caesar, quot postea provinciae natae sunt? Hispaniae vero finibus non auctis ab duabus, quas libertas novit, provinciis ad tres et quattuor et plures pervenerunt provincias. Eandemque rationem si reliquas provincias et longius temporis spatium persequi placeat, ubique atque in ipsa Italia observare licebit.

Quae cum videremus, quoniam Achaiam et postquam capta est a Romanis in provinciae ius redactam esse credebamus et Ciceronis quidem aetate ex certissimis argumentis cum Macedonia sub eiusdem proconsulis imperium coniunctam esse intelligebamus, necesse erat sic existimaremus, inde a Corinthi eversione usque ad libertatis certe interitum unam provinciam cum Macedones, qui proprie appellantur, tum Achaeos omnes esse complexam, eamque sententiam deinde plurimis ac certissimis rebus confirmari perspeximus. Quae cum ita essent, quoniam ut contentione ac refutatione uteremur neque animus nos impellebat neque commode fieri posse videbamus, etiamsi Achaiam quaeque eius condicio fuisset in imperio Romano diligenter spectaremus, universam tamen disputationem sic potissimum instituendam esse putavimus, quasi integrum esset argumentum neque recentibus virorum doctorum opinionibus varie temptatum. Illud etiam consentaneum erat, ut Macedoniae provinciae praesides commentationi nostrae praescriberemus, siquidem totum praestabat sequi quam partem aliquam. Veruntamen hoc tribuemus vel tempori vel virorum doctorum auctoritati, ut, antequam ad id, quod proprie propositum est, aggrediamur, veterum scriptorum de Achaia a Romanis capta testimonia denuo examinemus, quae ubi consentire cum praesidum Macedonicorum historia docuerimus, magnum subtrahetur adversariorum opinionibus subsidium. Atque is quidem, qui expugnationem Achaiae omnium, qui extant, accuratissime narrat, Pausanias libr. VII, 16, 10 sic ait: *Τούτων* (i. e. multarum, quas Mummius quibusdam civitatibus imposuerat) *μὲν δὴ ἄφεσιν παρὰ Ῥωμαίων εὕροντο Ἕλληνες, ἡγεμὼν δὲ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἀπεστέλλετο· καλοῦσι δὲ οὐχ Ἑλλάδος, ἀλλ' Ἀχαΐας ἡγεμόνα οἱ Ῥωμαῖοι, διότι ἐχειρώσαντο Ἕλληνας δι' Ἀχαιῶν τότε τοῦ Ἑλληνικοῦ προεστηκότων*, quae sunt sane paulo obscuriora. Etenim omnes magistratus Romani Graece dicuntur *ἡγεμόνες*, non modo qui pro consulibus aut pro praetoribus sunt, verum etiam quaestores et legati et nonnunquam procuratores imperatorum. Deinde quod ait vocari Achaiae praesides, dubium est, utrum ad imperatorum aetatem, qua Pausanias vixit, solam pertineat, an etiam ad liberi imperii Romani tempora referatur: quidni enim imperatores cum novam provinciam constituerent ab eo populo, qui olim potentissimus fuerat, appellarent? Idque mihi quidem hoc loco videtur esse probabilius. Quare ex Pausaniae verbis hoc tantum efficitur, inde a quo capta est Graecia, usque ad id quo scripsit tempus, magistratus Romanos in eam mitti consuesse i. e. fuisse provinciam; utrum ab initio peculiares rectores habuerit an coniuncta cum alio populo provinciam effecerit atque ab imperatoribus demum suae provinciae ius acceperit, demonstrari ex iis non potest. Atque hoc gravissimum est testimonium; nam Dio Cassius libr. XXXVIII, 38, qui Caesarem, cum adversus Ariovistum proficisceretur, ad tribunos suos praefectosque pristinae Romanorum virtutis commemorandae causa sic dicentem facit: *Τί γὰρ ἄν τις καθ' ἕκαστον λέγοι τὴν Σαρδώ,*

τὴν Σικελίαν, τοὺς Μακεδόνας, τοὺς Ἰλλυρίους, τὴν Ἑλλάδα, τὴν Ἀσίαν τὴν περὶ τὴν Ἰωνίαν, Βιθυνοὺς, Ἴβηρας, Ἄφρους, oratorie sine dubio loquitur neque certe hoc agit, ut provincias a Romanis constitutas enumeret; immo bella potius vel populos, quibuscum ea gesta erant, recenseri oportebat. Nam cum paulo post Albaniam, Armeniam utramque, Arabiam, Palaestinam nominet, quis has Caesaris tempore provincias fuisse putabit? Qui etiamsi statueretur provinciarum aliquem ordinem sequi, dubium tamen esset, an sui potius quam Caesariani temporis rationem haberet. Quare minus probo Marquardtium, qui in Beckeriano antiq. Rom. compendio Tom. III p. 126 ita hac auctoritate utitur, ut a nonnullis veteribus scriptoribus peculiares praesides Achaiae tribui doceret. Nam quod idem Dio XXXVI, 1 Cornelium Sisennam *τὸν τῆς Ἑλλάδος ἄρχοντα* appellat, iam Hermannus in defensione sua p. 19 eum Cn. Pompeii legatum fuisse videri animadvertit ipsique infra de eadem re dicemus. Denique tamquam tertium argumentum, quo Achaiae praeses efficiatur, affertur, quod Cic. in Verr. Act. I, 3, 6 ait: *Itaque cum ego diem inquirendi in Sicilia perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet,* eumque hominem paulo post *Achaicum inquisitorem* nominat. Quo loco scholiasta Gronovianus apud Orell. p. 388 adnotat: *Praetor Achaicus Opimius dictus est*, quam auctoritatem etsi non totam contemnere soleo, vereor tamen ne hoc loco corrupta sit. Primum enim nominandus erat Oppius; siquidem de eodem loco haec habet Pseudo-Ascon. p. 128: *Alii hunc Rupilium, alii Oppium putant. Sunt, qui Rupilium dicunt accusatorem, Oppium reum, alii Q. Metellum Nepotem accusatorem, Curionem reum.* Deinde apud hunc personatum Asconium, qui plus tamen scire videatur quam Gronovianus, praetoris nulla mentio, ut dubitem, an eum hic, qui Ciceronis verba explicare vellet, coniectura magis, quam certa aliqua auctoritate usus effecerit. Nam Cicero ipse nihil habet de praetore, nec Verri certe facile erat, eludendi iudicii causa ex viris praetoriis aliquem invenire, cuius accusationem fictam interponeret, ac si invenisset, quanta vehementia Cicero eius audaciam persecutus esset, quod ne clari quidem viri dignitati propter suam cupiditatem pepercisset? Accusari autem repetundarum poterant non modo praetores vel pro praetores ipsi, verum etiam quaestores et legati eorum, cuius generis hominem si ab amicis Verris accusatum esse putabimus, et quare nomen eius Cicero sine ulla honoris significatione praetermiserit intelligemus et de Achaia provincia nihil prorsus effici perspiciemus. Ac fuisse ipso illo tempore Oppium aliquem vel quaestorem vel legatum, de quo socii quererentur, significat Pseudo-Asconius p. 171 ad Cic. in Verr. libr. I, 19, 50, ubi cum hic narret, propter C. Verris legati furta in Asia cum legati ad C. Neronem venissent, responsum tulisse, eiusmodi querimonias, quae ad legatum populi Romani pertinerent, non ad praetorem, sed Romam deferri oportere, ille haec adnotat: *Atqui legimus de Oppio et de Procilio non apud populum*

depositas querelas, sed apud eos, sub quibus agebant aut quaesturam aut legationem. Qui Oppius nescio an idem fuerit, a quo Achaei cum res repeterent, primum opera Verris praetorem de repetundis, deinde cum eludi se vidissent, rectorem Macedoniae adierunt. Hoc certe constat, nihil pertinere ad hanc quaestionem illum qui putatur praetorem Achaicum. At pertinet huc luculenta Plutarchi narratio in Cimone c. 2, qui ubi exposuit, quantum periculum tempore L. Luculli Chaeroneenses propter caedem civium Romanorum accusati adissent, haec habet: *Ἡ δὲ κρίσις* (i. e. iudicium de caede) *ἦν ἐπὶ τοῦ στρατηγοῦ τῆς Μακεδονίας· οὔπω γὰρ εἰς τὴν Ἑλλάδα Ῥωμαῖοι στρατηγοὺς διεπέμποντο.* Proprie hic appellantur *στρατηγοί*, qui imperium habent, qui praesunt provinciae; quare duo haec ex his verbis efficiuntur apertissime, primum Boeotiam universamque Graeciam illo Luculli tempore usam esse iure provinciae Romanae coniunctamque cum Macedonia fuisse sub unius rectoris imperium, deinde Graeciam postea separatam a Macedonia peculiares accepisse praesides.

Equidem Romanos, quale provinciae ius et Macedoniae et Graeciae daturi essent, significasse arbitror ipso illo tempore, quo subegerunt. Causa enim subigendi fuit bellum Andrisci, confectum biennio antequam Corinthus expugnata est: antea et Macedonia et Graecia liberae fuerant. Nam Perse rege victo Macedoniam Romani liberaverant (Liv. XLV, 18 et 29), deductisque omnibus praesidiis cum militem nullum relinquerent, ne consulem quidem aut praetorem aut quemquam alium liberatis a se populis praeficere poterant; idque cum ex reliquis, quae illo tempore acta esse narrantur, colligatur, tum aperte ex provinciarum divisione anni 166 a. Chr., quam Liv. XLV, 44 accurate tradit, cognoscitur. Decesserant enim anno 167 et L. Aemilius Paullus, qui bellum Persicum terra gesserat, et L. Anicius pro praetore, qui bellum Illyricum administraverat, ut nec per Illyrici gentes item libertate donatas (Liv. XLV, 18) nec per Macedoniam nec denique per Graeciam, in qua ii modo principes, qui regem Persen adiuverant, longinquo exilio puniti sunt, quisquam cum imperio remaneret. Iam anno 166 consules creati sunt M. Claudius Marcellus et C. Sulpicius Gallus, quorum illum de gentibus nonnullis Alpinis, hunc de Liguribus triumphasse produnt fasti triumphorum: neuter igitur in Macedoniam aut Graeciam pervenit. Praetoribus autem duobus Livius narrat duas urbanas provincias esse decretas, reliquis quattuor duas Hispanias, Sardiniam, Siciliam, ut ne horum quidem quisquam ultra mare Hadriaticum processerit. Atque ipsa Macedonia iis legibus erat composita, ut praeside nullo egeret, sed, si quid opus esset, facile id a senatu Romano regeretur. Societate enim tantum cum imperio Romano coniuncta erat ac foedere, ut dimidium tributi, quod olim ferre regibus solita esset, populo Romano penderet, idque tributum Macedonum ipsorum magistratus et colligebant et publice in urbem mittebant: senatus, si leges colligendi

violarentur, cognoscebat ac iudicabat, ipse colligendi nullam curam habebat. Neque ulla tunc quidem in Macedonia erant ea, unde in reliquis provinciis maximi erant reditus, agri publici et vectigalia. Livius enim decem legatis, qui ad ordinandam Macedoniam a senatu missi sunt, sic scribit mandatum esse (libr. XLV, 18), ut *metalli Macedonici quod ingens vectigal erat, locationesque praediorum rusticorum tollerent; nam neque sine publicano exerceri posse et ubi publicanus esset, ibi aut ius publicum vanum aut libertatem sociis nullam esse;* neque dubium est, quin haec mandata legati executi sint. Qui igitur antea regum in Macedonia fuerant agri, attributi tunc, ut opinor, communibus illis quattuor, in quae Macedonia divisa est, qui postea cum provincia constitueretur, a populo Romano repetiti sunt. Cuius rei documento est Cic. in Rull. I, 2, 5 commemorans *agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminini, partim L. Paulli, qui Persen vicit, virtute parti sunt.* Quorum quoniam duplex genus Cicero nominat, unum intelligemus esse eorum, quos T. Flamininus Philippo regi ademptos interim Graecis civitatibus, quas liberavit, attribuerat, alterum eorum, quos Paullus publice fruendos quattuor illis Macedoniae partibus permiserat neque existimabimus factum esse, ut quod regnum et libertate vera illa, non hac, quam postea etiam in provinciis civitates habebant, donatum esset neque a milite ullo aut magistratu Romano obtineretur et publicanum denique habere vetaretur, in eo esset ager publicus populi Romani. Libera igitur fuit Macedonia post regem Persen captum usque ad bellum Andrisci, nomine quidem, non re, quia eo foedere illigata erat, ut nec ipsa per se quiescere nec leges a Romanis impositas servare posset. Sed cum imperio tamen nemo eo missus est. Fallitur enim Pighius in annalibus Romanis anni 602 ab urb. (Tom. II p. 438), cum iam anno 152 a. Chr. praetorem aliquem in Macedoniam missum esse coniicit ex Oros. IV, 21, qui P. Scipionem Africanum narrat, minorem illum, qui Carthaginem delevit, tunc cum Romae propter bellum Celtibericum summus timor esset neque quisquam iuniorum nomen dare vellet, ultro sese militaturum in Hispaniam obtulisse, *cum tamen in Macedoniam sorte iam deputatus esset.* Explicat enim hoc Polybius XXXV, 4, qui Scipionem nominatim a Macedonibus expetitum esse ait ad controversias, quas inter se habebant, dirimendas, quippe cuius antea cum L. Paullo patre militantis modestiam atque integritatem cognossent. Legatum igitur eum voluerunt mitti a senatu ad eandem rationem, qua saepe in Graeciam et Asiam et alias terras modo plures modo singuli legari consueverant, qua in Macedoniam post Persen victum cum ante Africanum fortasse complures, tum certe eius loco alius missus est, nimirum P. Scipio Nasica cos. anni 155, qui Macedoniam auxiliis Achaeorum adiutus aliquamdiu defendit (Zonar. IX, 28). Veruntamen praetori Macedonia provincia data est anno 149 a. Chr., cum Andriscus, qui regis Persei filium se ferebat, Roma profugus maiorem opinione tumultum excitasset nec Macedones

modo, verum etiam Thraces aliasque finitimas gentes ad seditionem concivisset. Tunc missus est P. Iuventius Thalna, qui cum contemneret hostem, etsi item Graecorum copiis adiuvabatur, victus ab Andrisco est et cum exercitu caesus. Quare cum maius bellum imminneret, anno 148 Q. Caecilius Metellus praetor cum novo exercitu ad pacandam Macedoniam profectus est. Nam consules quidem illius anni aliis bellis occupabantur, ex quibus L. Calpurnius Piso bellum Punicum administrare iussus est, alter Sp. Postumius, qui propius ab urbe retinebatur, in Gallia rem gessit viamque Postumiam a Genua Veronam munivit (cf. Borghes. in Diurn. Arcad. anni 1821, 2 p. 220). Missus igitur Metellus praetor facile Andriscum bis victum cepit prorogatoque imperio novam provinciam constituit. Nec vero Macedonia eius imperium continebatur. Breviter enim, sed aperte tamen Florus II, 16, ubi de seditionibus Achaeorum narrat, ait: *Metello ordinanti cum maxime Macedoniam mandatam esse ultionem*, pluribusque idem exequitur Pausanias VII, 13, qui quamquam proprie Andrisci bellum gerendum accepisset, tamen eum et antequam id confecisset, de Lacedaemoniorum bello dehortatum esse, et victo Andrisco cum nihilo minus bellum inter Achaeos et Lacedaemonios exarsisset, denuo de induciis faciendis legatos in Achaiam misisse tradit. Idemque Metellus Thebanis multas imposuerat, quas Phocensibus et Euboeensibus et Amphissensibus penderent (Paus. VII, 14 extr.). Unde Metellum intelligimus cum maxime in Macedonia versaretur, Graeciae res curasse. Ubi autem senatus et ab legatis quos miserat edoctus et ex Metelli litteris quae agerentur apud Achaeos cognovit, bello persequi iniuriam statuit itaque Metello scripsit, non ut egrederetur quasi ex provincia sua quoque exercitu in Macedonia non amplius opus esset, eum in Achaiam transportaret, sed prorsus tamquam Achaia cum Macedonia coniuncta esset, armis eum, non verbis ac legatis uti iussit. Sic ille composita Macedonia in Graeciam properavit nec tamen bellum ante L. Mummii adventum finire potuit. Hic enim ne gloriae parandae occasio sibi eriperetur, cum paucis primum advenit expectatoque dum reliquae copiae convenissent, ipso consulatus sui anno Corinthum cepit. Quaeritur igitur, an Mummius Metello non Achaici modo belli, verum omnino etiam Macedoniae successor datus sit. Sic sane videtur. Etenim etsi incertum est, quod Pausanias VII, 16 init. narrat Metellum eiusque exercitum a Mummio, postquam advenit, iussum esse redire in Macedoniam (imperare enim sine dubio poterat Mummius, quia propter consulatum quem gerebat maiore utebatur imperio, abscedere autem illum iubebat, aut ut in provinciam ille suam, quam proprie accepisset, proficisceretur aut ut deducto etiam ex Macedonia exercitu vetere in urbem ad triumphum reverteretur), veruntamen hoc cum incertum sit neque de Macedoniae et Achaiae coniunctione recte coniici patiatur, aliquod tamen argumentum ex tempore, quo uterque triumphavit, peti potest. Qua in re facile eorum testimonia contemnuntur, qui cum universam

historiam Romanam brevi conspectu amplectantur, ita dicunt, quasi eodem tempore et P. Scipio ex Africa et Metellus et Mummius triumpharint, quo ex genere imprimis est Eutropius libr. IV, 14. Accuratior enim longe Livii est epitome libr. LII: ibi primum triumphus Macedonicus, deinde Punicus, tum res anno 145 a. Chr. gestae imprimisque bellum Viriathi, contra quem consulari exercitu opus fuerat, denique Achaicus triumphus narratur, quem continuo annus 143 subsequitur. Iam non attingam hoc loco eam quaestionem, quae nuper ab eodem C. F. Hermanno tractata est, quo anno Corinthus deleta esse videatur (parum enim huc pertinet), sed hoc video nondum a quoquam esse dubitatum, quin Metellus et P. Scipio anno 146 triumphum egerint, L. Mummius vel anno vel biennio post, animadverteruntque id, qui fastos triumphales hoc spatio laceros suppleverunt, qui biennio post L. Mummii triumphum collocare solent. Sed etiam qui annum modo inter Macedonicum et Achaicum triumphum intercessisse volunt, si iidem Macedoniam peculiarem provinciam fuisse putant ac diversam a Graecia sive Achaia, statuere debent praefuisse anno 145 a. Chr. praetorem aliquem Macedoniae. Iam cum praetores illo tempore constet fuisse sex, duo certe Romae negotia urbana curabant, tertium C. Laelium scimus in Hispania citeriore cum Viriatho pugnasse, quartum Africa modo in provinciae formam redacta, ex qua P. Scipio decesserat, postulabat, quintum Sicilia, quam antea sub M. Atilio Serrano, qui Scipionem in delenda Carthagine adiuverat (Appian. Punic. c. 114), fuisse iudico, sextum denique Sardinia; nam pro praetore in hac provincia, quae bellum nullum sustinuisset, non fuisse credo. Quare efficitur, ut Macedonia anno 145 suum habere rectorem quoniam non poterat, cum Achaia imperio L. Mummii paruerit. Pighii quidem ratio certe improbanda, qui cum non modo Macedoniam ab Achaia dirimat, verum etiam L. Mummium iam anno 146 quo Corinthus eversa est decessisse existimet, ut iustum rectorum numerum inveniat, Siciliae et Sardiniae imperium prorogare cogitur, quorum illud quia bellum Punicum compositum erat, ab omni consuetudine recedit, hoc cum illius saltem aetatis more pugnat. Quae cum ita sint, Macedoniae provinciae, quacum Achaia inde a quo tempore omnino Romanis parere coepit coniuncta fuit, conditor fuit *Q. Caecilius Metellus*, alter praeses *L. Mummius.*

De successoribus L. Mummii etsi non traditur, coniicere tamen possumus ex iis, quae anno 142 a. Chr. in Macedonia gesta esse narrantur breviter in Livii epitome libr. LIII, ubi expositis iis, quae anni 143 consul Ap. Claudius gesserat, additur: *Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quaestore cum exercitu caesus est.* Uberiusque eandem rem narrat Varro de re rust. II, 4 exponens, unde Scrofae cognomen in Tremelliam gentem venerit: *Avus meus primum appellatus est Scrofa, qui quaestor cum esset Licinio Nervae praetori, in Macedonia provincia relictus, qui praeesset exercitui, dum praetor rediret, hostes arbitrati occasionem se habere victoriae, impressionem facere coeperunt in castra.*

Credamus igitur iis, qui *A. Licinium Nervam* anno 142 praefuisse Macedoniae censent, eidemque anno tumultum illum assignant (nam quidam provinciam eius anno 141 tribuunt ac fortasse rectius), certe ad disiiciendam Pseudophilippi manum mensibus aliquot opus erat, quare Licinium pro praetore, qui postquam decessit, totum bellum dicitur esse conflatum, non eodem anno, sed iam priore antecedenti in Macedoniam venisse eamque anno 142 prorogato imperio obtinuisse statuemus. Parvum igitur spatium inter hunc et inter L. Mummium relinquitur, quo si quis alius praefuit Macedoniae nobis ignotus, certe non plus quam annum praefuit. In hoc autem Licinio nihil traditur, quod Achaiae quoque eum praefuisse doceat, sed in tanta auctorum ieiunitate etiam hoc satis erit nihil narrari, quod eum non praefuisse Graecis ostendat. Successit autem ei *D. Iunius D. F. Silanus Manlianus* praetorio imperio, qui cum domum reversus a Macedonibus accusaretur, quod contra legem pecunias cepisset, a patre naturali T Manlio Torquato, cos. anni 165, privato iudicio condemnatus est (Cic. de fin. I, 7; Valer. Max. V, 8, 3; Liv. epit. LIV); sed accusatores nominantur modo Macedones, Achaiae et Graeciae nulla fit mentio. Insequentium annorum rectores ignoti sunt, anno demum 135 a. Chr. a Livio epit. libr. LVI nominatur *M. Cosconius* praetor, qui in Thracia cum Scordiscis prospere pugnarit, qui populus cum etiam postea nonnullos triumphos praebuerit Macedoniae praesidibus, M. Cosconium et in fastos triumphales per hoc tempus laceros et in praesidum Macedonicorum seriem inserendum esse putamus.

Eorum, qui insequuntur, annorum rectores Macedoniae ignoti sunt. Neque id mirum debet esse. Incredibilis enim est auctorum qui haec tempora tradiderunt ieiunitas, qui maximarum rerum et domesticarum et externarum vix levia quaedam vestigia conservarunt. In Macedonia autem vel otium erat vel minora bella, quae memoriae prodere vix operae pretium esse videretur. Hoc constat, consules omnes illorum annorum, qui in ipso magistratus anno extra urbem tunc versari solebant, in aliis provinciis bella gessisse. Ita unum modo praetorem invenimus anno 129 a. Chr. *Ti. Pandusium,* qui cur Macedoniae praefuisse videatur, infra explicabimus. Neque Pighius in annalibus, diligentissimus talium rerum indagator, quemquam invenit omniumque annorum provincias relinquit vacuas. Eximendus enim est etiam M. Aemilius Scaurus, is, qui postea princeps senatus fuit, quem anno 119 a. Chr. Achaiae provinciae praefuisse statuit. Nam argumento utitur hoc uno, in denariis eius nomine signatis esse symbola ac notas Apollinis Delphici, inde apparere, eos in Achaia esse percussos. Quae quam leviter disputata sint, docuit imprimis Hermannus in collectione commentationum suarum, quae supra a nobis citata est, p. 362: pertinere enim symbola illa ad ludos Apollinares, quos M. Scaurus in praetura ediderat. At ipso illo anno, quo hunc Scaurum in Achaia Pighius collocat, magnorum bellorum in Macedonia

iacta sunt semina, quae effecerunt, ut etiam his temporibus, quorum omnes locupletiores enarratores deficiunt, vestigia tamen pauca de rectoribus Macedoniae supersint, eorumque prope perpetua series usque ad civilia bella contexatur. Etenim anni 119 a. Chr. consulem *L. Caecilium Metellum* constat cum Delmatis pugnasse, a quibus devictis nomen Delmatici accepit. Qui cui provinciae in hoc bello gerendo praefuerit, videatur posse ambigi. Cum iisdem enim Delmatis pugnavit anno 156 a. Chr. C. Marcius Figulus, cum nec Macedonia nec Illyricum nec Gallia in provinciae formam redacta erant (Appian. Illyr. c. 11). Veruntamen cum Appian. Illyr. c. 10 Segestanos, populum Illyrici, a Cotta et Metello victos esse scribat, infra, ubi de Illyrico provincia quae putatur disputabimus, id ita intelligendum esse docebimus, ut Cotta Galliae, Metellus Macedoniae praefuerit; neque enim recte Pighius Annal. III p. 80 locum Appiani emendandum esse opinabatur. Constat autem L. Metello in Macedonia prorogatum esse imperium, non item constat, quando triumpharit. Nam in fastorum triumphalium fragmento Kircheriano haec modo supersunt:

L . CAECILIVS . L . F . Q . N . METELLVS ANN . DCX . .
DELMATIC . PROCOS . DE . DELMATEIS . III . NO.....

unde de prorogato imperio et triumpho, quod diximus, intelligitur, annus autem triumphi periit neque apud Eutrop. IV, 3 legebantur quae vera essent. Quare Pighius Annal. III p. 88 rem ita disposuit, ut anno 118, quo M. Porcius Cato et Q. Marcius Rex consules fuerunt, Metelli triumphum collocaret. Equidem cum Pighium etiam de Q. Marcii triumpho Gallico, cuius apud Eutropium quidem nullum est vestigium, paulo cupidius mentionem intulisse videam, recte fere huius verba sic constituta esse iudico a postremis editoribus: *M. Porcio Catone et Q. Marcio Rege — Narbona in Gallia colonia deducta est. Postea* (vel *anno post,* ut quidam codices exhibere dicuntur) *L. Metello et Q. Mucio Scaevola cos. de Delmatia triumphatum est.* Efficitur, ut L. Metellus per biennium imperio in Macedonia gesto tertio demum anno i. e. 117 a. Chr. triumpharit; eodemque anno extremo (nam in fastis dies a. d. III Non. Dec. notatur) Q. Marcius ex Gallia triumphum egit, cui anno 116 L. Licinius Geta (Pigh. Ann. III p. 94), tum M. Scaurus successerunt. Ad hanc igitur rationem annos fastorum supplendos esse arbitror. Neque mirabimur per triennium prope Metellum, quamvis nulla provincia constituenda esset, mansisse in Macedonia; ne enim alios aliarum provinciarum rectores afferam, proxime ante eum in fastis collocatur triumphus Gallicus Cn. Domitii Ahenobarbi consulis anni 122. Qui cum proconsul appelletur ac triumphasse dicatur post Q. Fabium Maximum Allobrogicum, qui item proconsul dicitur, ante annum 120 triumphum agere non potuit, ut item prope triennium in provincia sua

commoratus esse videatur. De Metelli autem triumpho non modo probabile fit ex Eutropii quam diximus narratione, itemque ex Liv. epit. libr. LXII, qui eius res Delmaticas post Q. Marcii victoriam collocat, verum etiam ipsa rerum continuatione confirmatur. Motae enim erant Delmatico bello barbarorum nationes supra Macedoniam habitantes, ut per multos annos ibi consularibus exercitibus opus esse videamus. At anno 118 M. Porcium Catonem, qui in provincia decessit, constat in Africam esse profectum ad discordias, quae Micipsa mortuo oriebantur, componendas; de Q. Marcio diximus; anno 117 L. Caecilium Metellum in Italia mansisse ac viam Salariam refecisse doctissime demonstravit Borghesius in Bullett. inst. arch. ann. 1843 p. 103, nec Q. Mucium Scaevolam Augurem, pacis quam belli artibus insigniorem, qui praesertim iam Asiam rexisset, in consulatu externam ullam provinciam sortitum esse eo probabile fit, quod nullus triumphus eius in fastis notatur, quem si consulari exercitui adversus barbaras gentes praeesset, facile reportasset. Tum demum, cum decessisset Metellus, *Q. Fabius Maximus Eburnus* anno 116 a. Chr. reperitur et Macedoniam et Achaiam rexisse.

Nimirum quaerendum est hoc loco de insigni inscriptione Graeca apud Boeckh. Corp. inscr. graec. n. 1543, quae epistolam continet Q. Fabii Q. f. Maximi proconsulis datam ad Dymaeorum magistratus et senatum et civitatem. Is in ea poenam narrat, quam in seditiosos aliquot homines, qui rempublicam a Romanis institutam perturbassent, statuerat commemoratque conventum, quem Patris egerat, et consilium, quod secum habuerat. Quare etsi libertatem communiter Graecis datam esse ait, cum omnia nominet, quae praesidum in provinciis propria esse solent, non licet C. F. Hermanni (in defensione p. 5) opinionem sequi, qui Q. Fabium ita Macedoniae praefuisse censet, ut suae provinciae fines egressus Graecorum finitimorum res turbatas composuerit. Ad quam rem certe opus erat senatus aliquo mandato, quod ipsum in epistola publice scripta non commemorari non potuit. Provinciae igitur iure tunc Achaia utebatur. Sed coniunctam etiam fuisse cum Macedonia docet illa epistola. Quid enim? Pro consule appellatur Q. Fabius. Proconsules autem constat, quamdiu liberum fuit imperium, in eas provincias esse missos, quae vel quia bellicosae essent vel quia nationibus bellicosis vicinae, maiora negotia exhiberent. Iam Graecia et per se satis exigua erat, et quia civitatum maior pars libertate utebatur, parum negotiosa; bellum vero in ea, dum Mithridates cum Romanis pugnare coepit, nullum fuisse scimus. Nam quod Obsequens de prodig. c. 84 anno 136 in ea exercitum Romanum caesum esse narrabat, iam diu intellectum est a quibusdam effici librariorum errore, qui pro Vardaeis, Illyrico populo, imperite nominassent Achaeos. Quare certe Q. Fabius Macedoniae pro consule praefuit, cuius quasi accessio erat Achaia. Sed quis tandem est ille Q. Fabius Maximus? Boeckhius quidem non multo postquam Graecia subiecta est, vixisse eum arbitratur, quia

Dymaeorum seditio rempublicam, quam Romani instituerant, nondum satis stabilitam fuisse ostendat. Eodemque ducit ipsum eius nomen. Fabii enim Maximi cum aliquam diu summis honoribus floruissent, inde ab anno 116 a. Chr. ita iacere coeperunt, ut usque ad annum 46 nemo ex clarissima gente in consularibus fastis reperiatur. Iam igitur, cum in libera republica pro consulibus constet fere fuisse eos, qui consulatu gesto provincias regerent, quis ex quattuor Q. Fabiis Maximis, qui post Corinthum expugnatam ante annum 46 consules fuerunt, videtur dici? Eorum primus est cos. anni 145 Q. Fabius Maximus Aemilianus. Is propter duas causas non videtur dici, primum quod eo tempore L. Mummius prorogatum in Achaia et Macedonia imperium habebat, deinde quod eum scimus per consulatus sui annum eumque qui insequitur, in Hispania ulteriore bellum gessisse. Neque satis est simile veri, si quis eum post imperium Hispanicum Macedoniae praefuisse suspicetur. Quamquam enim minus verum est, quod Hermannus in defensione sua p. 5 negat moris Romani fuisse, ut duas deinceps provincias idem homo administraret (nam et P. Scipionem et Pompeium et paucos alios cum privati essent, proconsulari imperio ornatos esse scimus), vix tamen id factum est nisi in bello gravi ac molesto, quale tunc nullum in Macedonia aut Graecia fuit. Alter est Q. Fabius Maximus Servilianus, cos. anni 142 a. Chr.; sed is rursus et hoc et insequenti anno in Lusitania cum Viriatho dimicavit (Appian. Iber. c. 67 et Oros. V, 4), in Macedonia autem eodem tempore A. Licinium et D. Silanum fuisse supra diximus. Tum tertius est Q. Fabius Maximus Allobrogicus, Aemiliani filius, cos. anni 121, cuius similis prorsus est causa. Nam consulatus sui anno in Gallia cum Allobrogibus aliisque eius regionis gentibus bella gessit, unde cognomen accepit (Liv. epit. libr. LXI; Plin. nat. hist. VII, 51; Vellei. II, 10; Strabo IV p. 185) triumphusque eius insequenti anno notatur in fastis. Superest igitur cos. anni 116 a. Chr. Q. Fabius Maximus Eburnus, quem Hermannus quoque potissimum dici existimat. Etenim si ad recentiora tempora deferamur, Q. Fabius Maximus invenitur, accusator ille C. Antonii (Cic. in Vat. 11, 28 et schol. Cic. in Vat. p. 321), qui praetura anno 48, ut videtur Pighio Annal. III p. 445, gesta legatus fuit Caesaris in Hispania contra Cn. et Sex. Pompeios pugnantis (Auct. de bell. Hisp. 2 et 41; Dio XLIII, 31) ibique victoria parta in ipso consulatus sui anno 45 a. Chr. mense Octobri triumphavit ac pridie Kal. Ian. mortuus est (Dio Cass. XLIII, 46; Cic. epist. VII, 30, 1). Qui cum ex praetura Hispaniam provinciam acceperit, in consulatu autem ipso decesserit, certe proconsulari cum imperio in Macedonia aut Achaia nullo pacto esse potuit. Relinquitur denique Q. Fabius Maximus Africanus, qui per totum annum 10 a. Chr. consulatum obtinuit, de quo quae pauca nota sunt, collegit Borghesius in Bullett. archaeolog. Neap. ann. 1846 p. 57, ex quibus nihil tamen efficitur nisi quo nomine et qua gente fuerit. Hunc sane possemus habere pro illo, qui in Dymensi inscriptione appellatur pro consule, nisi et

ipsum et omnes, qui postea vixerunt, utique excluderet Dymensis reipublicae ratio. Etenim Dyme primum a Cn. Pompeio post bellum piraticum hominibus frequentata est, qua in re sine dubio etiam respublica aliter constituebatur ac fuerat antiquitus, tum ab imperatore Augusto post bellum Actiacum colonia eo est deducta omnisque respublica ad rationem coloniae Romanae composita. Vide commentationes nostras p. 376. Quod postquam accidit civitati, nec seditionem talem, qualem epistola illius proconsulis significat, motam esse opinor, nec certe magistratus Graeci, qui in ea commemorantur, amplius ulli esse potuerunt. Sic necessario ad vetustiora tempora illumque anni 116 a. Chr. consulem reiicimur. Quamquam hoc nostrae rationi quispiam obiiciat, aliquando etiam praetoriis viris, qui in maiores provincias mitterentur, consulare imperium et consularem exercitum esse datum, ut pro consulibus appellarentur, idque cum in aliis provinciis fiat, tum in Macedonia plerosque praesidum ea dignitate usos esse videbimus. Verum Aemilianus quidem, cos. anni 145, certe in praetura Macedoniae non praefuit, quo tempore neque Achaei victi nec Corinthus capta erat, nec magis Servilianus, cos. anni 142, qui sive anno 146, ut placet Pighio, sive anno post praeturam gessisset, in L. Mummii provinciam incideret. Allobrogicum vero, cos. anni 121, Plutarchus C. Gracch. c. 6 narrat ex praetura tenuisse Hispaniam, ut hac quoque ratione intelligamus unum relinqui Q. Fabium Eburnum, qui Macedoniae praeesse potuerit. Nisi vero quis dicit, aliquem nobis ignotum Q. Fabium, qui ad consulatum omnino non pervenerit, ex praetura cum Macedoniam teneret, illam ad Dymenses epistolam scripsisse. Eum ut refellere non possumus (neque enim novimus tot annorum praetores), ita ab eo, quod simile est veri, omnino recedere intelligimus ad eaque deferri, quorum ratio nulla reddi possit. Quare praefuisse Macedoniae Achaiaeque statuemus Q. Fabium Maximum Eburnum, cos. anni 121. Pugnat enim pro eo etiam hoc, quod Macedoniae et decessor et successor fuerunt consules atque ut Delmatici collega L. Cotta in Gallia bellum gessit, ita Q. Fabii collega C. Geta in eadem provincia videtur esse versatus, unde de Q. Fabii provincia Macedonia coniicere possimus vel sine ope tituli Dymensis, qui cum accedat, vix ulla relinquitur dubitatio. Sed alia tamen neque parva hoc loco nascitur difficultas. Etenim Cicero in Pis. 16, 38 sic ait: *Ex Macedonia aliquot praetorio imperio, consulari quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumpharit.* Dupliciter hoc potest intelligi. Aut enim praetorio et consulari imperio ait fuisse eos, qui consulatum et praeturam gesserant, aut imperium praetorium tribuit iis, qui pro praetoribus, consulare iis, qui pro consulibus appellabantur. Siquidem notum est saepe etiam qui praeturam modo gessissent, pro consulibus tamen esse vocatos, imprimisque id in Macedoniae praesidibus factum esse paulo ante diximus. Sed etiamsi nomen saepe idem erat eorum, qui praetores modo, et eorum, qui consules fuerant, merito tamen dubitari potest, num imperium etiam

ac dignitas fuerit eadem, ut nihil intercederet discriminis inter proconsules, qui consulatum gessissent, et inter eos, qui non gessissent. Qua de re qui disputabunt, recte etiam hunc Ciceronis locum adhibebunt. Cum enim inde a Sulla qui Macedoniae praefuerunt, omnes appellentur pro consulibus, ex iisque eos, qui praetores modo ante fuerant, non triumphasse constet, quoniam Cicero ait qui consulare imperium habuissent, triumphasse omnes, intelligimus non idem esse consulari imperio uti et pro consule appellari; atque aliquid inter eos fuisse discriminis etiam per se erat probabile. Quamquam haec quaestio ad Q. Fabium Maximum Eburnum parum pertinet; fuerat enim consul nec dubitari potest, quin triumpharit. Sed quando triumphavit? In fragmento enim Kircheriano postquam triumphi L. Metelli Delmatici et Q. Marcii Regis, de quibus paulo ante disputavimus, commemorati sunt, sequitur triumphus M. Aemilii Scauri consulis de Gallis Carnis, actus anno 115 exeunte, deinde haec sunt:

M . CAECILIVS . Q . F . Q . N . MET[ELLVS . PRO . AN]N . DCXLII
COS . EX . SARDINIA . . . . . [SEX]TIL
C . CAECI]LIVS . Q . F . Q . N . [METELLVS ANN] DCXLII
[CAPRARIVS . COS . EX . THRACIA . . . . SEXTIL].

Tum lacuna sequitur satis magna. Ibi supplementa nostra eo nituntur, quod Eutrop. IV, 25 habet: *C. Caecilio Metello et Cn. Carbone cos.* (i. e. anno 113 a. Chr.) *duo Metelli fratres eodem die alterum ex Sardinia, alterum ex Thracia triumphum egerunt.* Itemque Vellei. II, 8 *Circa eadem tempora duo Metelli fratres uno die triumphaverunt.* Unde cum constet duos Metellos uno die triumphasse, quoniam L. Metellus, cos. anni 117, quem intra Italiam substitisse diximus, nullam rerum gerendarum occasionem habuit, relinquitur cos. anni 113, qui cum fratre suo M. Metello, consule anni 115, triumpharit. Sed cui ille provinciae praefuit, cum triumphum mereretur? De Macedonia ut cogitemus, suadet similitudo reliquorum imperatorum, qui cum Thracibus bella gesserunt, de quibus postea dicemus. At in Macedonia tunc *T. Didium* fuisse scimus. Nimirum anno 114 eo missum esse constat *C. Porcium Catonem.* Nam Livius epit. LXIII *eum consulem in Thracia male adversus Scordiscos pugnasse* ait, itemque Florus I, 38 de Scordiscis narrans: *Itaque non fusus modo ab his aut fugatus, sed (simile prodigio) omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato.* Cf. Eutrop. IV, 24. Qui anno insequenti magis ob iram exercitus amissi quam propter avaritiam repetundarum ex Macedonia condemnatus est, ut narrant Vellei. II, 8; Cic. in Verr. III, 80 et IV, 10. Cf. C. G. Zumptii commentationem academicam de legibus et iudiciis repetundarum I p. 26. Hic igitur Cato cum turpiter a

Scordiscis victus esset, barbaros repressos esse scribit Florus I, 38 a Didio: *Didius vagos et libera populatione diffusos intra suam reppulit Thraciam,* quod cum narretur ante res a consule anni 112 a. Chr. gestas, necesse est acciderit cum eo ipso anno, quo Cato cladem acceperat, tum insequenti. Neque recte fecit Pighius Annal. III p. 105, qui huic T. Didio Illyricum provinciam tribuit. Etenim ne alia afferam hoc loco quae infra uberius explicabuntur, eum et Cicero in Pis. 25, 61 inter eos nominat, qui ex Macedonia triumphos reportarint et Florus in eo capite, quo bella Thracica exponit, nullius provinciae nisi Macedoniae rectores commemorat. Fuit autem hic Didius, etsi parum multa de eo apud scriptores, qui supersunt, traduntur, virtute bellica insignis, qua ei contigit, ut quamvis novus homo esset, post aliquot annorum intervallum anno 98 a. Chr. consulatum adipisceretur, in quo cum collega celebrem illam legem Caeciliam Didiam tulit (Cic. p. Font. 15, 53). Eum Cic. p. Planc. 25, 61 cum C. Mario confert eiusque triumphos commemorat, ut cum in fastis Capitolinis triumphus eius Hispanicus de Celtiberis ponatur anno 93 a. Chr., duos omnino eum triumphos retulisse discamus. Atque etiam post hos triumphos in bello Marsico legatus fuit L. Caesaris (Vellei. II, 16 et Ascon. ad Cic. Cornel. p. 63 Orell.). Cf. etiam Garaton. ad Cic. p. Planc. l. l. Hic igitur T. Didius cum triumphus eius in fragmentis fastorum triumphalium non adnotetur, dubium esse non debet, quin Macedoniam provinciam anno 113 obtinuerit eaque successori tradita anno 112 triumphum, quem repellendis barbaris meruerat, egerit. Quare C. Metellus Caprarius, cos. anni 113, qui item ex Thracibus dicitur triumphasse, non Macedoniam accepit, sed finitimam aliquam provinciam, unde, cum Macedonia a barbaris urgeretur, auxilio venire posset. Quid enim abhorret a similitudine veri, cum Cato a Scordiscis superatus esset, commotas esse omnes barbaras nationes supra Macedoniam usque ad Italiae confinia pertinentes, eaeque quia eo magis metuendae viderentur, quod etiam Cimbri populabundi in Illyricum pervenirent, ambobus consulibus Italiam cum Gallia esse mandatam, quod idem anno 106 et deinceps per aliquot annos factum est? Qui ita provincias inter se partiti sunt, ut Cn. Carbo contra Cimbros proficisceretur, a quibus ad Noreiam devictus est, alter C. Metellus contra reliquas gentes bellum administraret ex iisque triumphum referret. Idque eo est probabilius, quod Metellum eiusdem anni, quo consulatum gessit, mense Sextili triumphasse discimus, id quod, si Macedoniam provinciam accepisset, nullo modo fieri potuit.

Sed ut redeamus unde egressi sumus, de Q. Fabii Maximi Eburni triumpho Macedonico, qui in fastis usque ad Sextilem mensem anni 113 non commemoratur, quid statuemus? Nimirum dilatus sane est ultra solitum tempus, sed non sine certa aliqua causa. Successit enim Fabio C. Cato cum novo exercitu veteremque ille ad urbem reducere iussus est. At interim, dum veteres copiae coguntur earumque reditus in Italiam comparatur, C. Cato vin-

citur, in qua clade totus exercitus eius perit. Quid igitur? Nonne Fabius remanere debuit in Macedonia, ut provinciam quamdiu ea in sorte Catonis erat, tueretur? Tum ineunt novi consules anni 113, ex quibus C. Metellus ex Italia in Illyricum proficisci iubetur, T. Didius praetor vel pro praetore eum adiuvare ex Macedonia, novi exercitus scribuntur, hostes barbari repelluntur, C. Metellus submotis hostibus in urbem festinat, ut uno die cum fratre suo, quem decedere imperio oportebat, triumpharet eaque re insolitam genti suae laudem adderet. Nonne sic fieri potuit, ut Q. Fabii et reditus et triumphus in extremum annum 113 reiiceretur? Etenim hunc non multo post Metellorum triumphos in fastis perscriptum fuisse suspicor, tum anno 112 T. Didii item ex Macedonia.

Quamquam autem et Thracum gentes repressae erant et Cimbri interim satiati clade Romanis illata in Galliam iter averterant, singulari tamen cura Macedonia videbatur esse digna. Quare ex consulibus anni 112 unus L. Calpurnius Piso in Italia substitit, ut Cimbros abeuntes observaret, alterum *M. Livium Drusum* constat in Macedoniam esse missum. Nam non modo Florus I, 38 Scordiscos ab eo ait ulterius actos vetitosque transire Danubium, verum etiam Liv. epit. LXIII ait: *Livius Drusus consul adversus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit.* Nec dubium, quin inde etiam triumphum reportarit, quem Cicero ab omnibus Macedoniae rectoribus, qui consulare quidem imperium habuissent, partum esse scribit. Illud certum, prorogatam ei esse provinciam per annum 111; nam eius anni consulibus, P. Cornelio Scipioni Nasicae et L. Calpurnio Bestiae Sallust. Iugurth. c. 27 illi Italiam, huic Numidiam decretam esse tradit. Successit autem in Macedonia cos. anni 110 *M. Minucius Rufus*, cum collegae eius Sp. Postumio Albino Numidia eveniret. De illo narrat Florus I, 38: *Minucius* (Scordiscos) *toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur.* Cf. Frontin. Strat. II, 4. Mansitque prorogato imperio in provincia certe per annum insequentem, quia Liv. epit. LXV eius res gestas post Q. Metelli et M. Silani consulum anni 109 bella narrat, fortasse etiam anno 108 provinciam administravit. Triumphus quidem eius commemoratur a Velleio II, 8.

Sequitur magna lacuna, quae ne coniectura quidem satis potest expleri. Occupata enim erat omnis respublica Romana primum Numidico, post etiam bello Cimbrorum et Teutonum, qui aliquot exercitus extinxerant maximumque periculum urbi minitari viderentur. Barbarae vero gentes repressae a praesidibus, quos nominavimus, maiora certe bella non moverunt; neque enim quicquam de iis traditur nisi apud Obseq. c. 103, qui anno 104 in Macedonia Thraces subactos esse scribit, et apud Euseb. Scal. p. 149, qui anno 100 Thraces victos esse ait. Quare fuerint sane bella in Macedonia, triumphos etiam pepererint qui praeerant (nam aliquot praetorio imperio peperisse dicit Cicero eo quem significavimus

loco), sed praefuerunt praetorii ordinis viri; consules quidem usque ad devictos Cimbros et Teutonos in Italia modo et Gallia constat esse versatos. At anno 99 a. Chr. Pighius Annal. III p. 178 M. Antonium consulem, eum, qui oratoria laude excelluit, ait Macedoniam provinciam obtinuisse idque ex Eusebii loco, quem modo diximus, colligit. Id equidem minus verum esse existimo, quia si consulari imperio Macedoniam rexit, ex norma illa Ciceroniana etiam triumphasse ex ea est existimandus. Nemo autem unquam de triumpho eius Macedonico quicquam retulit, qui in tanta hominis celebritate nullo pacto aut apud reliquos scriptores latere aut a Cicerone reticeri potuit. Nam illud, quod ex praetura ornatus consulari imperio Ciliciam praedonibus maritimis liberavit, ex quo bello non magis videtur triumphasse, commemoratur a Livio epit. LXVIII; Cic. de orat. I, 18 et Brut. 45, 168, idque imperium retinuit etiam anno 100 a. Chr., cum ad urbem constitutus cum praesidio arma contra Saturninum tulit (Cic. p. C. Rabir. perd. reo. 9, 26). Illud etiam minus recte statuisse Pighium in Annal. III p. 182 iudico, quod C. Iunium Norbanum, eum qui anno 81 consulatum gessit ac saepe a Cicerone civis seditiosus furiosusque appellatur, quem M. Antonii quaestorem fuisse constat (Cic. de orat. II, 21, 89), quaestorem fuisse putat in Macedonia, neque leve id momentum fuisse suspicor, ut omnino Antonium in Macedonia fuisse statueret. Quem nos in Cilicia potius quaestorem fuisse censemus additumque Antonio, quod bellum esset grave ac multiplex.

In clariore luce versari incipimus demum anno 92, quo bellum Marsicum, quod reipublicae Romanae prope exitium attulit, conflatum est. Etenim Livius epit. LXX postquam de Ariobarzane, Cappadocum rege, per L. Sullam in regnum reducto et P. Rutilio repetundarum ex Asia damnato narravit, antequam de M. Livii Drusi tribuni plebis actionibus dicere incipit, habet haec: *C. Sentius praetor contra Thracas infeliciter pugnavit*, quo loco cum olim in editionibus male legeretur *C. Geminius*, errores quidam Pighii extiterunt, qui ex eo qui unus fuit Macedoniae rector, efficit tres (Annal. III p. 185 et 213 et 234). C. autem Sentius sine dubio est idem, de quo Oros. V, 18 exposito bello Marsico sic narrat: *Iisdem temporibus rex Sothimus cum magnis Thracum auxiliis Graeciam ingressus cunctos Macedoniae fines depopulatus est tandemque a C. Sentio praetore superatus redire in regnum coactus est.* In quibus verbis animadvertimus aperte Graeciam cum Macedonia in unam provinciam coniungi, quod sane non magni faceremus, si ab Orosio ipso, qui provinciarum veterum rationem parum curabat, videretur proficisci; nunc cum relatis iis quae apud antiquum aliquem scriptorem invenerat invitus quasi testis extiterit, non contemnendum esse putamus. Nec vero recte Sigonius apud Livium pro eo quod legitur *infeliciter*, ex Orosii testimonio scribendum esse *feliciter* existimat. Nonne enim ipsum illud, quod Orosius totam Macedoniam vastatam esse scribit, significat praesidia Romanorum ad fines

provinciae constituta cessisse praetoremque esse reiectum? Eodemque pertinet, quod Obsequens c. 113 narrat anno 92 Medorum in Macedonia gentem provinciam cruente vastasse. Hanc igitur cladem Romanorum Livius eo quo diximus loco exposuit, de victoria quae scripserat, perierunt. Etenim Sentium postea confirmatis Romanis et prospere pugnasse et barbaros ex provincia eiecisse discimus imprimis ex Cicerone, qui in Pis. c. 34 sic habet: *Denseletis, quae natio semper obediens huic imperio etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedoniam C. Sentio praetore tutata est, nefarium bellum et crudele intulisti.* De eademque re idem in Verr. III, 93, 217 dicit: *Modo C. Sentium vidimus, hominem vetere illa ac singulari innocentia praeditum, propter caritatem frumenti quae fuerat in Macedonia* (exorta sine dubio ex barbarorum populationibus) *permagnam ex cibariis pecuniam deportare.* Ex quo loco duas imprimis res de Sentio intelligimus. Primum enim quid est quod *modo* se vidisse dicat Cicero, cum Sentium fuisse in provincia constet iam anno 92, Verrinae autem orationes habitae sint anno 70? Vix enim, si Sentius anno vel biennio post decessisset, fieri poterat, ut Cicero quod ante viginti fere annos accidisset, id modo factum esse scriberet, cui si decem annos vel paulo amplius tribuerimus, abunde fecisse videbimur. Sed, ut quindecim annos tribuamus, si intra hos Sentius rediit, necesse est steterit a L. Sullae factione. Quodsi Marianarum partium fuisset, proscriptionem certe non effugisset. Etiam illud de diuturniore imperio Macedonico persuadet, quod magnam pecuniam honeste ex cibariis partam dicitur deportasse; nam si biennium in provincia mansisset, magna fortasse ea poterat esse, sed non tanta, quantam Cicero commemorare vellet; si diu mansit, sane divitiae luculentae poterant confici. Atque haec quae ex Ciceroniano illo loco colligimus, confirmantur ipsa reipublicae condicione quae illa aetate fuit. Subsecutum enim est postquam Sentius in provinciam abierat, bellum Marsicum gravissimum ac periculosissimum, quo quotquot apud Romanos erant boni duces, in Italia satis negotiorum habebant neque in externas provincias, quae non magnum aut praesens periculum minitarentur, dimitti poterant. Quare eo tempore mutata esse imperia vix probabile est. Ac scimus idoneo testimonio Sentium non esse revocatum. Nam Plutarchus Sulla c. 11, postquam discordias civiles anni 88 et quomodo Sulla ereptum sibi a Mario Sulpicioque belli Mithridatici imperium recuperarit narravit, quae interim Mithridates gesserat tradit. Etenim Archelaus, eius dux, primum insulas maris Aegaei occuparat, tum Euboeam, Athenas civitatesque Graecas usque ad Thessaliam excitarat. Ibi ei occurrit ad Chaeroneam Bruttius Sura (de cuius nummis cf. Borghes. in Observat. numism. dec. XVI, 2 in diurn. Arcad. anni 1828, 4 p. 183), legatus Sentii, Macedonum praesidis, qui tribus proeliis victum reiecit. Ita cum sese res Romanorum in Graecia et Macedonia haberent, exercitusque Macedoniae impositus magnam belli Mithridatici partem confecturus esse videretur, advenit

praemissus a Sulla quaestor eius L. Licinius Lucullus, qui Bruttium recedere iussit neque contra eum hostem pugnare, qui Sullae a senatu populoque Romano decretus esset. Hinc apertissimum efficitur argumentum, ut nullam tunc peculiarem Achaiae provinciam fuisse intelligamus, sed coniunctam cum Macedonia; nullus enim Achaiae rector commemoratur, nullus Achaicus exercitus, sed quae Achaiae defendendae causa Macedoniae rector gerebat, ea ita prorsus exponuntur, quasi nec ius suum nec provinciam ille egressus esset. Erat igitur anno 87, quo Sulla in Graeciam pervenit, idem Macedoniae Graeciaeque rector, qui fuerat ante bellum Marsicum. Quodsi tunc Sentius versabatur in provincia sua, certe ante Sullam ipsum non rediit. Tenebatur enim urbs omnisque Italia a Marianis, ad quos si transisset, incolumis esse post Sullae victoriam, quod Cicero significat, non potuit. Sed hoc merito quaeri potest, num Sentius, quamvis maneret in provincia, manserit etiam in imperio. Nondum enim lex Cornelia lata erat, quae tamdiu rectores provinciarum iubebat imperium retinere, dum in urbem revertissent; quare cum prorogatione imperii opus esset, incertum est, num ea a senatu decreta sit. Illud quidem certum, neminem alium cum imperio missum esse in Macedoniam. At Sulla ipse quo imperio erat in Graecia? Nihil invenio apud scriptores, nisi bellum Mithridaticum ei esse decretum, sed quoniam notum erat Romae, regis copias in Europam transisse magnamque Macedoniae provinciae partem occupasse, consentaneum erat, ut maius imperium ei etiam in Macedonia daretur quam haberet qui huic praeesset. Itaque Sulla expulso Mithridate cum exercitus otium ageret, in Dardanos, Scordiscos, Delmatas aliasque gentes Macedoniae vicinas bellum gessit finesque imperii amplificavit (Appian. Mithrid. c. 55; Eutrop. V, 7; Liv. epit. LXXXI et LXXXII et LXXXIII; Plut. Sull. c. 23).

Veruntamen nascitur circa haec tempora etiam alia difficultas. Etenim sunt nummi nonnulli Macedonum (apud Eckhel. Doctr. numm. II p. 61), in quorum adversa parte legitur CAE . PR, in aversa AESILLAS . Q. Eos nummos Eckhelius recte interpretatur de *Caecilio praetore* et *Aesilla quaestore,* sed qui homines fuerint, non definit. Qui quod reliquit, supplere voluit Bartol. Borghesius, primum in Novis fragmentis fastorum consularium Capitolinorum P. II p. 50, tum in Observationum numismaticarum dec. XVI obs. 3 (Diurn. Arcad. ann. 1828, 4 p. 186), ubi quaedam, quae antea dixerat, emendavit ac mutavit. Comparat autem his alios nummos Macedonicos Surae proquaestoris, quos paulo supra citavimus, eosque adeo similes ac prope pares esse ait, ut eiusdem temporis utrosque esse necesse sit, deinde adhibet inscriptionem apud Grut. p. 377, 5, *apud Argos in campis Macedonicis repertam*, hanc:

Q . CAICILIO
C . F . METELLO
IMPERATORI
ITALICI . QVEI
ARGEIS . NEGOCI
ANTVR

Hanc inscriptionem libertatis tempore, non sub imperatoribus positam esse docet et dicendi genus simplex et orthographia antiquior et denique Metellorum nomen, sub initia imperii extinctum. Iam in Metellorum gente duo tantum praenomen Gaii habent, C. Caecilius Metellus Caprarius cos. 113 et C. Metellus, qui inter iuniores senatores commemoratur a Plut. Sull. c. 31, quem eundem a Livio epit. LXXIII dici Borghesius putat Salluvios vicisse. Quodsi hoc natus existimetur Q. Caecilius, cui Italici negotiatores titulum illum posuerunt, infra Bruttii Surae quaestoris aetatem, qua eadem nummos, quos diximus, factos esse oportet, detrudatur; sin illo Caprario, temporis quidem ratio non obstet, quin statim vel ante Sentium Saturninum, cuius quaestor Sura erat, vel post eum Macedoniae praefuisse statuatur. Ac quoniam post Sentium Sulla, tum alii Macedoniam tenuerunt, Borghesius ante eum anno 91 hunc Q. Caecilium Macedoniae praefuisse et anno 92 praeturam gessisse et inscriptione illa nummisque celebratum esse existimat. Magnam haec habent probabilitatem; sed unum tamen adversatur, quod tanti videtur esse faciendum, ut totam Q. Metelli administrationem Macedonicam prope tollat. Quid enim est, quod in nummis Caecilius appellatur PR i. e. *praetor,* non PROPR i. e. *propraetore?* Scimus nos quidem, saepe a scriptoribus eos, qui provinciis praesint, vocari praetores, sed vocantur abusu quodam nominis neque id in nummis aut inscriptionibus, ubi ipsa honoris atque imperii significatio necessaria est, fiat. Neque enim tunc amplius praetores in ipso magistratu provincias sortiebantur. Quamquam enim aliquot annis post quam vulgo existimatur, institutum esse video, ut non ipsi praetores, sed praetura functi in provincias mitterentur, certa tamen sunt exempla, iam ante Cornelias leges id usu venisse, veluti C. Marii, quem Plut. c. 6 ait post praeturam in Hispaniam ulteriorem esse profectum. Certe igitur ille Q. Metellus C. F., si rite sortitus est provinciam, item post praeturam Roma abiit nec praetor, sed pro praetore appellandus erat. Quomodo autem fieri potuit, ut, dum praetor est, in Macedonia cum imperio versaretur? Nulla alia ratione, quam per civilis belli perturbationes, in quo hunc Q. Metellum constare debet partes Sullanas esse amplexum. Siquidem ex propinquis eius Caecilia Metella uxor erat Sullae, et Metellus Pius, is, qui anno 80

consulatum gessit, Sullae Brundisium appulso sese adiunxit (App. bell. civ. I, 80), a quorum animo ille desciscere non potuit. Item, si Romae fuit, cum Cinna et Carbo anno 87 urbem occuparent principesque adversariorum occiderent, aufugit certe postea ad Sullam; nam Plut. Sulla c. 22 multos narrat Roma nobiles viros confugisse in castra Sullana in Graeciam et Macedoniam, ut ibi senatus prope esset. Quid igitur? Si hunc Q. Metellum statuamus vel anno 87, cum Mariani redirent, praeturam gessisse vel in annum insequentem praetorem fuisse designatum, nonne credibile est eum, ubi promiscuam optimatium caedem fieri videret, confugisse ad Sullam? Quo cum venisset honore et imperio ornatus exercitum accepit, quem suis auspiciis duceret riteque imperator appellari potuit eadem ratione, qua Q. Metellus, de quo modo diximus, cum Sulla in Italiam traiecto sese coniunxit nec Sullae, sed suis auspiciis bellum contra Marianos administravit. Sic nummorum et inscriptionis illius testimonia conciliabuntur cum reipublicae Romanae consuetudine, sed praeses tamen Macedoniae efficietur nullus. Quaestorem autem huius Q. Metelli praetoris ex nummis apud Borghes. l. l. cognoscimus fuisse quendam *Aesillan*, qui qua gente ortus fuerit, parum notum est.

Veruntamen illa, quae antea diximus de C. Sentio, videntur pugnare cum iis, quae Pighius Annal. III p. 232 habet, qui anno 88, quo L. Sulla consul fuit, P. Gabinium Capitonem Achaiae praesidem appellat eique per complures annos imperium prorogatum esse statuit, quod si verum esset, accideret sane, ut eodem tempore et Macedoniae et Achaiae praesidem cognosceremus, Achaiaque sola per se provinciam effecisse videretur. Gabinium autem hunc Cicero p. Arch. 5, 9 appellat praetorem anni 89, idemque sine dubio est, de quo idem in Q. Caec. 20, 64 sic habet: *Nuper cum in P. Gabinium vir fortissimus et innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet et contra Q. Caecilius peteret isque se veteres inimicitias iam diu susceptas persequi diceret, cum auctoritas et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa causa erat iustissima, quod eum sibi Achaei patronum adoptarant.* Ex quibus intelligimus, P. Gabinium repetundarum esse accusatum a L. Pisone, eo qui C. Verris collega in praetura fuit anno 74, sine dubio lege Cornelia. Quod si ita est, nec iudicium ipsum ante annum 81, quo leges Corneliae latae sunt, fieri potuit et P. Gabinius in bello civili ab optimatibus steterat popularibusque victis in Italiam redierat. Neque enim si in Italia cum popularibus mansisset, post Sullae victoriam incolumis fuisset ac repetundarum accusari potuisset. Illud minus recte fecit Pighius, quod hinc peculiarem fuisse provinciam Achaiam eique Gabinium praefuisse colligit. Nam quod Achaei accusarunt, non sequitur, ut cum iis non etiam Macedones in unius provinciae formam coniuncti fuisse possint videri. Quidni enim pars provinciae accuset, in qua potissimum praetor deliquerit? Achaia enim etsi eidem praetori cui Macedonia parebat, peculiarem tamen

efficiebat dioecesim neque adeo cum illa coaluerat, ut gentis terraeque proprium nomen perisset. Hermanni vero ratio, exposita in disputatione p. 363, tota reiicienda est, qui Gabinium, cum Macedoniam regeret Achaiaque omnino non esset in provincia populi Romani, repetundarum crimen ex Achaeis contraxisse putat idque ex eo maxime conficit, quod legem repetundarum Cicero dicat propter socios atque amicos populi Romani esse latam. Quasi vero qui in provincia sunt, socii atque amici populi Romani non sint nec praecipue ita appellentur! Possit igitur rectissime fieri, ut Gabinium Capitonem existimemus universae provinciae Macedoniae pro praetore praefuisse, sed cum in Achaeos solos peccasset, ab his esse accusatum. Sed quo tempore praefuit? Ut continuo post praeturam urbanam eum praefuisse censeamus, fieri non potest, quoniam anno 88, quo Sulla in Graeciam pervenit, et Macedoniam et Graeciam obtinuisse C. Sentium paulo supra diximus eundemque videri in illa provincia mansisse. Neque post annum 88 cum Romae populares omni potentia uterentur, probabile est admissum esse a Sulla eum, qui a populari factione praefectus esset. Quare Gabinii provincia in id tempus differenda sit, quo Sulla Italia Romaque victa rempublicam constituit, i. e. in annum 81, quo cum decessisse videatur C. Sentius, Macedonia rectore careat. Sic enim malim hanc difficultatem tollere, quam patruum Car. Timotheum sequi, qui in commentatione de legibus iudiciisque repetundarum p. 50, cum Macedoniam et Achaiam separaret, anno 88 illam C. Sentio, hanc Gabinio evenisse putabat, utrumque autem usque ad Sullae decessum in provincia mansisse. Quamquam etiam longe alia ratio iniri poterit eaque, ut mihi videtur, multo similior veri. Etenim etsi poterat sine dubio etiam pars aliqua provinciae praetorem accusare, quia tamen Achaei soli a Cicerone nominantur, videantur habere paululum causae, qui Achaiae soli Gabinium praefuisse dicant, praesertim cum eum, qui anno ante praeturam Romae gessisset, non probabile sit, si Sullam secutus esset, nullum imperium, nullum munus habuisse. Quid igitur prohibet eum pro legato Sullae habere? Neque enim suo eum imperio usum esse ait Cicero. Sulla autem cum in Macedonia versaretur ac non modo Mithridatem regem expelleret, verum etiam barbaras gentes provinciae finitimas domaret, quid abhorret a vero, exercitum cum eoque legatum habuisse in Achaia? Nam fuisse exercitum Sullae qui non pareret propraetori Macedoniae in Achaia infra ubi de C. Antonio dicemus, explicabimus simillimeque egit Caesar, qui victo Pompeio provinciam Macedoniam diremit interim partibusque legatos praefecit. Sic Gabinius quamvis nulla esset proprie provincia Achaia, ex ea tamen sola repetundarum accusari et damnari (Cic. p. Arch. 5, 9) poterat, atque haec mihi in re sane obscura ac difficili maxime probabilis videtur esse coniectura. Veruntamen ut in Gabinio Pighius veri inveniendi occasionem praebuit, ita cur in Annal. III p. 223 anno 90 inter Achaiae praesides collocarit Q. Ancharium, non reperio. Quamquam nolim omnino

vituperare, quod coniectura usus sit (qua nisi qui in hoc argumento aliquando utatur, parum proficiat), sed haec certe quin falsa sit vix potest dubitari. Nihil enim de Q. Anchario traditur, nisi senatorem fuisse et virum praetorium (Plut. Mar. 43) et a C. Mario occisum (App. bell. civ. I, 73).

Postquam autem L. Sulla rempublicam composuit, missus est in Macedoniam *Cn. Cornelius Dolabella,* is, qui anno 81 cum M. Tullio Decula consulatum Sullae beneficio accepit. Qui quando in provinciam profectus sit, non traditur; sed decessisse eum constat anno 78 exeunte vel ineunte anno 77. Hoc enim anno postquam rediit, repetundarum accusatus est ab C. Caesare (Ascon. in Cic. p. Scaur. p. 26 Orell.; Gell. IV, 16), qui tunc annum aetatis tertium et vicesimum agebat (Suet. Caes. 4); minus enim recte apud auctorem dialog. de orat. 34 annus unetvicesimus nominatur. Absolutus autem est imprimis Q. Hortensii eloquentia (Valer. Max. VIII, 9), traditurque in eo iudicio magnum testimonium, quo Achaiam tunc Macedoniae proconsulis potestati subiectam fuisse intelligamus. Plutarchus enim Caes. 4 de Caesaris accusatione narrans ait: *Καὶ πολλαὶ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος τῶν πόλεων μαρτυρίας αὐτῷ παρέσχον,* id quod aperte ad Graecos a Dolabella vexatos ac direptos pertinet. Accidisse autem iudicium eo quo diximus anno ostendit etiam Cicero Brut. 92, qui vidisse se ait in ea causa eloquentiam Hortensii, cum biennio antecedenti per itinera in Graecia et Asia facienda ab urbe abfuerit. Veruntamen quamvis iniuste fortasse Dolabella socios tractasset, gloriam tamen bellicam assecutus est domitisque gentibus barbaris et victoriam et triumphum deportavit (Cic. p. Planc. 19, 44 et Sueton. Caes. l. c.). Legatus autem ei ab Pigh. Annal. III p. 271 additur M. Fonteius, quem Cicero repetundarum ex Gallia reum defendit, quem c. 16 orationis quae extat in Macedonia legatum fuisse significat. Minus illud quidem recte, ut censeo. Cicero enim Macedonicam legationem Hispaniensi, qua item functus est, antecessisse ait; hanc autem c. 3 accidisse *turbulentissimo reipublicae tempore, cum adventu L. Sullae in Italiam maximi exercitus civium dissiderent* i. e. anno 83, quare C. Sentio potius legatum fuisse existimo. Sed certissime pertinent ad Dolabellam, quae in notissimo senatusconsulto de Asclepiade Clazomenio leguntur apud Boeckh. Corp. inscr. graec. n. 5879, quod factum est anno 78. In quo cum prius ii, qui Asiae et Euboeae vectigalia locabant, immunitatem trium illorum hominum, de quorum honore senatus decrevit, servare iubeantur, deinde qui Asiam et Macedoniam provincias obtinebunt, commemorantur, ut apertum sit Euboeam tunc in provincia Macedonia fuisse.

Successit autem Dolabellae *Appius Claudius Pulcher,* qui cum praetor fuisset anno 89 (Cic. p. Arch. 5), expulsus deinde a populari factione demum Sulla, qui ipse fieri nollet, intercedente consul creatus est anno 79 (App. bell. civ. I, 103). De eius rebus

tradunt Liv. epit. LXXXXI: *Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus proeliis vicit,* plura Eutrop. VI, 2: *Ad Macedoniam missus est Appius Claudius post consulatum. Levia proelia habuit contra varias gentes, quae Rhodopam provinciam incolebant atque ibi morbo mortuus est;* item Oros. V, 23: *Interea* (i. e. dum bellum Sertorianum geritur) *Macedonicum bellum Claudius sortitus varias gentes, quae Rhodopaeis montibus circumfusae sunt, at tunc Macedoniam crudelissime populabantur (— quarum cruentissimi atque immanissimi Scordisci erant), hos itaque, ut dixi, Claudius pellere Macedoniae finibus bello attemptavit magnisque se malorum molibus obiecit, unde cum animo aeger et curis circumseptus, morbo insuper correptus esset, interiit.* Etiam Florus denique I, 38, tempore praesidum non servato, quia Appium post Curionem collocat, ait: *Appius in Sarmatas usque pervenit.* Sed quando in provinciam abierit, non constat. Nam Sallustius fragm. hist. libr. I orat. L. Philippi extr. anno 77 ineunte commemorat Appium Claudium interregem, quem Philippus cum Q. Catulo ceterisque, quibus imperium esset, iubet adversus M. Lepidum res novas molientem urbique cum exercitu appropinquantem mitti. Eum Appium Claudium Pighius Ann. III p. 285 negat esse hunc, de quo agimus, item negat Drumannus hist. Rom. II p. 182, esse putans illum potius Ap. Claudium, qui decem annis ante tribunus militum fuerat (App. bell. civ. I, 68). Cuius cum nulli prorsus honores commemorentur, vix tunc ad hanc interregis dignitatem potuit admitti. Atque accedit, quod commonefactus a Mario beneficii olim accepti Ianiculum populari factioni urbem oppugnanti prodiderat, ut ab Sullanis non posset amplius ei fides haberi. Quare longe probabilius esse censeo hunc dici ipsum, qui biennio ante consul fuerat, cui si in Italia versaretur, cum Q. Catulo, superioris anni consule, maxime custodiam urbis committi oportebat. Fuit igitur hic Claudius ineunte anno 77 ad urbem, sed paulo postquam novi consules creati sunt Lepidusque a Catulo et Pompeio repulsus est, in provinciam abiit, in qua decessit anno 75 a. Chr. Ideoque res ab eo gestae a Livio l. l. narratae sunt post Cn. Pompeium ad bellum Sertorianum in Hispaniam missum.

Successorem Appii fuisse scimus *C. Scribonium Curionem,* consulem anni 76 a. Chr., mortuum anno 53 (Cic. epist. II, 2), qui saepe a Cicerone commemoratur. De cuius rebus in Macedonia gestis breviter narrat Florus I, 38 *Curio Dacia tenus venit,* Liv. epit. LXXXXII *Praeterea ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos — continet,* id quod anno 75 collocatur, Eutrop. VI, 2 *Missus ei* (Ap. Claudio) *successor C. Scribonius Curio post consulatum. Is Dardanos vicit et usque ad Danubium venit triumphumque meruit* (cf. Cic. in Pis. 19, 44) *et intra triennium finem bello dedit.* Cf. Oros. V, 23; Frontin. Strateg. IV, 1, 43; Sallust. fragm. p. 958 ed. Cort. Quare ex provincia videtur decessisse ineunte fere anno 72, ut opinor. Parum enim accurate numeratis annis Eutrop. VI, 5 ait:

Uno tempore multi simul triumphi fuerunt, Metelli ex Hispania, Pompeii secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Servilii ex Isauria. Ex his enim primus triumphavit P. Servilius Vatia (cf. Borghes. in Diurn. Arcad. anni 1829, 1 p. 131) anno 75, tum Curio eo quo diximus anno, denique anno 71 Metellus et Pompeius (Vellei. II, 30).

Successisse autem ei constat *M. Licinium Lucullum,* fratrem germanum L. Luculli Pontici, qui post adoptionem appellatus est M. Terentius Varro, consulem anni 73 cum C. Cassio Varo. De eius rebus in provincia gestis audiendus est imprimis Eutropius, qui primum VI, 7 init. ait: *Anno urbis Romae DCLXXVIII* (i. e. secundum Eutropii rationem anno 72 a. Chr.) *Macedoniam provinciam M. Licinius Lucullus accepit,* tum c. 10 plenius: *Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit: oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die quo aggressus est, vicit, Cabylen cepit, usque Danubium penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates aggressus est. Illic Apolloniam evertit, Calatin, Parthenopolin, Tomos, Histrum, Burzianonem cepit belloque confecto Romam rediit. Ambo* (i. e. ipse et frater Ponticus) *tamen triumphaverunt.* Breviter in Livii epit. LXXXXVII haec sunt: *M. Lucullus proconsul Thracas subegit,* et apud Florum I, 38: *Lucullus ad terminum gentium Tanain lacumque Maeotim pervenit.* Cf. Oros. VI, 3; App. Illyr. c. 30. De ceteris eius rebus cum possint plurima disputari, quia et vir clarissimus erat et magna familiaritate cum Cicerone coniunctus, tacebo; sed tempus, quo in provinciam abiit, intelligitur ex iis, quae supra de Curionis proconsulatu exposita sunt. Minus enim probo Garatonium ad Cic. Verr. II, 8, qui quod Cicero eo loco ait Lucullum iam in provincia fuisse, quo tempore Dio Halesinus, cuius causa ibi narratur, a Verre magna hereditatis parte spoliatus est, idque primum fuisse Verris facinus (cf. Verr. I, 10), colligit in ipso consulatus sui anno eum profectum esse in Macedoniam. Quod qui probabit, necessario debebit statuere Lucullum statim postquam magistratum inierat, ab urbe abisse; Cicero enim Verrem, quem ineunte anno 73 in Siciliam pervenisse constat, ait eodem die quo provinciam attigit, scripsisse ut Dio ille ad se de hereditate veniret, unde litteras ipsas iam in urbe compositas esse suspicatur. At longa erat causa illa nec quo die coepta, eodem finita, ut facile inter illud tempus, quo primum Dio ab Verre appellatus est, et inter sententiae pronunciationem annus intercedere potuerit. Quare nec ab Eutropii quamvis levi auctoritate discedemus nec cum iis quae Cicero narrat pugnabimus, si Lucullum ineunte anno 72 a. Chr. gesto iam consulatu ab urbe abisse medioque fere anno in provinciam pervenisse statuemus. Sed redisse eum constat ante medium annum 70, quo Cicero in Verrem dixit; testis enim adhibitus est in causa Dionis Halesini, quam exposuimus: de triumpho tradit non modo Eutropius, cuius verba citavimus, verum etiam Cic. in Pison.

19, 44 et Plin. nat. hist. XXXIV, 17 et Euseb. in chron. In hoc autem M. Lucullo Plutarchus Caes. c. 4 narrat rem admodum memorabilem, quae si vera esset, numeraretur a nobis in argumentis, quae Achaiam cum Macedonia in unam provinciam coniunctam fuisse liquido docerent. Ait enim C. Caesarem, eum qui postea dictator fuit, cum Dolabellam repetundarum crimine, quo eum Graeci imprimis postulabant, damnare non potuisset, ut voluntatem suam in Graecos ostenderet, quod se in accusando illo strenue adiuvissent, causam Graecorum suscepisse, cum C. Antonium captae pecuniae (*δωροδοκίας*) arguerent apud M. Lucullum, Macedoniae praesidem: ac tantum eum valuisse, ut Antonius ad tribunos plebis provocaret, negans aequo iure se certare in Graecia cum Graecis, Romae autem ex his actionibus magnam ei apud omnes gratiam collectam esse. Hoc, ut certis ab auctoribus videtur esse petitum, ita merito magnas dubitationes movet. Primum quo tempore M. Lucullus in Macedonia fuit, dubitari potest num Caesar fuerit in Graecia. Si enim verum est, quod supra diximus, M. Lucullum anno 72 in provinciam abisse, Caesarem constat ex altera profectione, quam post Dolabellae accusationem in Graeciam suscepit, redisse, cum in locum C. Aurelii Cottae absens cooptatus esset inter pontifices (Vellei. II, 43); Cotta autem acto anno 75 consulatu in Galliam profectus erat ibique rebus prospere gestis antequam triumphare posset, mortuus est (Cic. in Pis. 26 62 ibique Ascon., Brut. 92). Nec satis certum est, quando obierit Cotta, sed videtur fere anno 73, ut spatium ei relinquatur, quo res triumpho dignas gerere potuerit. Sic efficitur, ut Caesar redierit aestate fere anni 73; nam aestate eum ex Graecia traiecisse colligo ex Velleio l. l., qui quod periculum a piratis fuisse scribit, id hieme tantum esse non potuit. Sequitur, ut M. Lucullum Romae agentem necdum in provinciam profectum invenerit. Sed fuerit in Graecia Caesar, dum Lucullus et praeest Macedoniae et in ea provincia versatur: non magis intelligi possunt, quae ab Plutarcho narrantur. Etenim Antonius aut erat publice legatus senatoriique ordinis: tum lege repetundarum tenebatur neque apud eum, qui pro consule erat, accusari potuit. Aut in cohorte eius equestrique dignitate erat: tum facile a proconsule coercebatur nec tribunos plebis appellare licebat. Haec igitur magnis quibusdam difficultatibus laborant, sed plana sunt, quae ad eandem sine dubio rem pertinentia habet Asconius in orat. in toga cand. p. 84 ed. Orell.: *Clientem autem negavit habere posse C. Antonium: nam is multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Deinde Graeci, qui spoliati erant, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat. Egit pro Graecis etiamtum adolescentulus* (Caesar) — *et cum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius iuravitque se id eiurare, quod aequo iure uti non posset. Hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio, quo haec dicerentur, senatu moverunt causasque subscripserunt, quod*

socios diripuerit, quod iudicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia manciparit bonaque sua in potestate non haberet. Iam omnia aperta. Nam C. Antonius est ille, qui anno 63 a. Chr. Ciceronis collega in consulatu fuit. Qui cum in bello Mithridatico imperatore Sulla prima stipendia fecisset, Graecorum civitates, quod contra populum Romanum arma eas cepisse diceret, vexavit ac diripuit. Id illi impune mansit, dum Sulla vixit, quo mortuo Graeci sua repetiverunt, privato illi quidem iudicio, quia Antonius nondum senator erat, apud eum praetorem, qui inter cives et peregrinos iudicabat. Praetor autem fuit M. Lucullus anno 76, quo Antonium nondum quaestorem fuisse ex Ciceronis, quem in praetura et in consulatu collegam habuit, rebus intelligimus; qui cum anno 75 quaesturam in Sicilia gesserit, certe Antonius eundem honorem non ante adeptus est, ut Graecis nisi ut furti eum accusarent, nihil superesset. Convenit autem etiam, quod sexennio post i. e. anno 70 censores fuisse narrantur, qui Antonium senatoria dignitate spoliarent, quam ille paulo post per aedilitatem vel praeturam recuperavit. Ac confirmatur scholiastae auctoritas a Q. Cic. de pet. cons. 2, 8, ubi quae sunt: (Antonii) *vocem — audivimus iurantis, se Romae iudicio aequo cum homine Graeco certare non posse* quin ad eandem hanc rem referenda sint, non est dubium. Plutarchum igitur M. Luculli mentio, quem et Macedoniae praefuisse et cum ea simul Graeciam rexisse sciret, in errorem induxit.

Quis M. Lucullo successerit, nusquam tradi video Pighiique hoc loco annalium lacuna est sane deploranda. Ac primum quidem quaeritur, utrum consularis post M. Lucullum fuerit an praetoria provincia. Etenim cum alias provincias constet modo a praetoriis modo, cum maius periculum immineret, a consularibus viris esse administratas, tum ipsi Macedoniae quamvis plerumque consulares praeessent, aliquando tamen etiam praetorios praepositos esse infra videbimus. Antecesserat autem M. Luculli magna sane victoria, qua effectum erat, ut Macedonia quamvis barbaris gentibus vicina, tamen pacata quodammodo videretur nec proxime de bellis in ea gestis audimus. Faciamus autem fuisse consularem; certe accipere non potuit nisi qui postquam M. Lucullus Romam revertit, consul fuisset. Cuius qui in consulatu fuerunt decessores, L. Gellius et Cn. Lentulus medio fere anno 70 censores creati sunt (cf. Borgh. in Act. acad. archaeolog. Rom. Tom. VIII p. 131), quo eodem tempore M. Lucullus revertit, ut eorum neuter ei in Macedoniam succedere potuerit. Qui anno 71 consulatum gesserunt Cn. Aufidius Orestes et P. Cornelius Lentulus, eorum hic a censoribus, quos modo diximus, senatu eiectus est (Dio XXXVII, 30; Plut. Cic. 17), quare cum anno 63 iterum praeturam recuperandi ordinis senatorii causa gereret, mala ambitione ductus cum Catilina coniuravit periitque. Alter Cn. Orestes, etsi praetura eius urbana commemoratur a Valer. Max. VII, 7, 6 adoptioque a Pseudocic. p. dom. 13, 35, aliaque quaedam a Cic. de off. II, 17, 58 et p. Planc. 21, ignotior tamen nobis est neque

usquam alias a Cicerone nominatur; quare, cum ab eodem ad Att. XII, 21 et Phil. II, 5 non commemoretur inter consulares, qui causae Catilinariae interfuerunt aut inter eos qui per tumultum illum Italiae cum imperio fuerunt, magna sane suspicio est, eum paulo post gestum consulatum nulla administrata provincia decessisse. Qui autem anno 70 sequuntur consules, M. Licinius Crassus et Cn. Pompeius, ex iis hic narratur a Velleio II, 31, antequam consul fieret, iurasse, se ex eo magistratum in nullam provinciam esse iturum, ideoque etiam a Zonara X, 2 sic de eo perhibetur: *παρῃτήσατο τὴν στρατηγίαν.* Necessario igitur si Macedoniam consulari homini mandatam esse statuemus, ad alterum ex consulibus, qui anno 69 inierunt, deducemur, quem cum infra demonstraturi simus, non in ipso consulatu profectum esse in provinciam, annus certe vel prope biennium relinquitur, quo vacua sit Macedonia. Iam per hoc spatium fieri potest, ut quaestor vel legatus aliquis M. Luculli praefuerit pro praetore (id enim non raro accidebat), sed locum habebit etiam praetor aliquis. Nominatur autem apud Cic. Epist. XIII, 41 et 42 *L. Culleolus* aliquis *proconsul,* ad quem scribit Cicero, ut L. Luccei causam, quam is apud Bulliones habebat, cum cura ac diligentia tum imperio tueretur, ut eum in ea provincia, in qua Bulliones erant, pro praetore fuisse videamus. Bulliones autem sunt in Illyrico (Plin. nat. hist. III, 22, 26), quod, dum Caesar Gallias accepit, cum Macedonia coniunctum fuisse infra explicabimus. Fuit igitur L. Culleolus proconsul Macedoniae. Sed quando fuit? Duo maxime indicia Cicero exhibet, unum, quod ait Pompeio gratissimum fore, si Culleolus L. Luccei causam diligenter defendisset, alterum quod se saepe una cum Pompeio esse significat. Quae causae moverunt epistolarum interpretes, ut eas anno 60 vel 59 scriptas esse putarent. Nimirum illi et provinciam Illyricum cum Macedonia coniunctam esse ignorabant neque seriem praesidum eius tenebant: nunc illis annis nullum spatium relinqui, quo Culleoli proconsulatus collocetur, infra apertissime intelligemus. Aliud igitur tempus quaerendum neque invenio nisi illud, quo anno 70 et 69 et Pompeius Romae consulatum gerebat eoque gesto usque ad legem Gabiniam quiescebat et Cicero aedilitatem vel petebat vel gerebat. Quo tempore dignitate multo sane praestabat Pompeius idque quodammodo leviter ipse indicat Cicero, cum in ep. 41 ait: *et cum ipsi, quae fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotienscunque me videt (videt autem saepe) gratias agit singulares.* Quae cum ita sint, sic censeo, Culleolum anno 71 fuisse praetorem, atque ex eo magistratu lege Sempronia missum esse insequenti anno in Macedoniam, quam M. Lucullus devictis Thracibus pacarat. Quis fuerit Culleolus, nescitur. Nam ipsum cognomen nusquam alias inveni. Sed appellatur etiam alius hoc tempore Macedoniae praeses. Etenim Plutarch. Cat. min. c. 9 tradit M. Catonem cum tribunus militum creatus esset a populo, missum esse in Macedoniam *πρὸς Ῥούβριον τὸν στρατηγόν;* ac praetorem vel pro praetore dici videntur indicare,

quae paulo post habet, cum ait: *ἐπεὶ δ' ἧκεν εἰς τὸ στρατόπεδον, πλειόνων ταγματων ὄντων, ἑνὸς αρχων ἀποδειχθεὶς ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ τῆς μὲν ἰδίας ἀρετῆς μιᾶς οὔσης μικρὸν ἔργον ἡγεῖτο.* Quo igitur tempore et Rubrius erat propraetore Macedoniae et Cato tribunus militum? Anno 67 putat Drumann. in hist. Rom. V p. 154, propterea quod Plut. c. 10 dicit, Catonem cum Athenodorum philosophum ut secum habitaret adduxisset, visum sibi esse praeclariorem victoriam referre quam eae essent, quas Pompeius et Lucullus tum maxime referrent (*ὥς τι κάλλιστον ῥηκὼς καὶ λαμπρότερον ὧν Πομπήϊος τότε καὶ Λεύκολλος ἐθνῶν καὶ βασιλειῶν κατεστρέφοντο σὺν ὅπλοις περιϊόντες*). Illo enim anno et Lucullum in Asia cum exercitu fuisse, et Pompeium bello piratico operam dedisse. Equidem dubito an oratorie magis quam accurate ad tempus significandum Plutarchus dixerit; populos enim et regna Pompeius in piratico bello nulla subigebat, sed multa in Mithridatico, quod post Lucullum administravit: quare apud Plutarchum praesertim ornandi quam temporum recte referendorum studiosiorem fieri certe potest, ut verba illa nihil valeant nisi maiorem sibi victoriam visum esse Catonem reportare quam Lucullum et Pompeium, qui illa aetate pro summis imperatoribus haberentur. Nec potuit Cato ulla ratione anno 67 versari in Macedonia, cui tunc Q. Metellum per triennium certe praefuisse paulo post docebimus, ut Rubrio praetori nullus locus relinquatur. Quodsi Cato imperatore Metello meruisset, eius necessitudinis certe vestigia aliqua apud scriptores extarent, quae nulla equidem inveni. Necesse igitur est Rubrius ille, sub quo Cato tribunus militum fuit, Macedoniae praefuerit ante Metellum. Nam quaesturam gessit Cato anno 65, quia a Plut. Cat. c. 16 contentiones eius cum Q. Catulo censore narrantur, quem rursus constat non multo postquam iniit propter inimicitias M. Crassi collegae abdicasse; ad quaesturam autem petendam certe Romae esse oportebat Catonem anno 66, quo ipso anno Metellum in Macedonia fuisse constat. Rursus autem Cato tribunatum militarem accipere non potuit ante annum 70; nam antecedenti anno Plut. Cat. 8 refert eum in bello Spartaci cum L. Gellio Poplicola cos. stipendia fecisse; deinde Romae ex lege sine nomenclatore ambisse. Sic tribunatus Catonis et Rubrii praetura Macedonica in illud biennium concluduntur, quo modo L. Culleolum posuimus. Ac probabile sane est, Catonem tunc iam fuisse tribunum militum. Habebat enim tunc, utpote natus anno 95, viginti quattuor annos tirociniaque iam posuerat: quid igitur expectaret ac committeret, ut, cum anno 66 vel anno ante quaesturam petere statuisset, ante petitionem non in urbe, ut moris erat, sed in provincia versaretur? Iam duae res cogitari possunt. Aut inter M. Lucullum et Q. Metellum duo praesides Macedoniae collocandi sunt, annuus uterque ac prorsus ignotus, aut L. Culleolum eundem esse statuemus ac Rubrium Plutarchi, ut nomina hominis fuerint L. Rubrius Culleolus. Neque hoc magna quadem probabilitate caret. Quamvis enim etiam alia praenomina in gente Rubria

inveniantur, veluti M. aliquis in bello Africano commemoratur a Plut. Cat. 62, frequentissimum tamen imprimis tempore libertatis est Lucii praenomen, ut Pompeianus ille apud Caes. bell. civ. I, 23, ut alius apud Cic. Phil. II, 16, 40, ut ille qui Dossenus cognominatur, in nummis apud Eckhel. Doctr. Numm. V p. 296. Nihil igitur obstet, quin annis 70 et 69 L. Rubrium Culleolum aliquem Macedoniae praefuisse existimemus.

Sed post hunc L. Culleolum rursus consularem factam esse Macedoniam existimo. Movebantur enim omnes transmarinae provinciae illo tempore consularique imperio egebant; Africam, Siciliam, Sardiniam, adde duas Hispanias praetoriis viris mandari satis videbatur. Nam in Sicilia tunc L. Metellum successisse Verri novimus, ex Hispania M. Pupium Pisonem praetorium virum triumphasse tradunt Cic. in Pis. c. 26, p. Flacc. 3, Ascon. in Pis. p. 15 ed. Orell. Asia autem finitimaeque provinciae tunc obtinebantur ab Lucullo, et in Ciliciam missus est Q. Marcius Rex, cos. anni 68 (Dio XXXV, 14 sq., Plut. Luc. 35, Liv. 98). Quare sola Gallia relinquitur, quae consularis esse potuerit provincia, quam C. Pisoni cos. 67 traditam esse ait Dio XXXVI, 20. Cf. Cic. ad Att. I, 13, 2. Si igitur consularis post L. Culleolum facta est Macedonia, necesse est, ut paulo supra diximus, contigerit alterutri ex consulibus anni 69, qui paulo post M. Luculli reditum eum magistratum acceperunt. De horum autem provinciis sic refert Xiphilinus, Dionis epitomator, p. 75 ed. Reim. *Κληρουμένων δὴ τῶν ὑπάτων Ὁρτήσιος τὸν πρὸς Κρῆτας ἔλαχε πόλεμον· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ὑπό τε τῆς ἐν τῷ ἄστει φιλοχωρίας καὶ ὑπὸ τῶν δικαστηρίων, ἐν οἷς πλεῖστον τῶν κατ' αὐτὸν ἀνθρώπων μετά γε τὸν Κικέρωνα ἠδυνήθη, τῷ τε συνάρχοντι τῆς στρατιᾶς ἐθελοντὴς ἐξέστη καὶ αὐτὸς κατὰ χώραν ἔμεινεν. ὁ δὲ δὴ Μέτελλος ἐστείλατο εἰς Κρήτην.* Unde secundum legem Semproniam sic factum esse putabimus, ut anno 70, cum L. Culleolus Macedoniam teneret, a senatu consulibus futuris decerneretur Italia et Cretense bellum, tum creati consules Hortensius Cretense bellum, Metellus Italiam sortiretur, denique in ipso consulatu Hortensius bellum cum Italica et urbana commoratione commutaret; et hunc fuisse rerum ordinem ostendit Cic. in Verr. III, 95, 222, qui anno 70 sic ait: *Quid agis, Hortensi? Consul es designatus, provinciam sortitus es.* Sic igitur bellum accepit *Q. Caecilius Metellus,* qui postea Creticus appellatus est. Legati autem eius commemorantur a Cicerone p. Planc. c. 11 C. Sacerdos, qui ante Verrem Siciliae praefuerat, et L. Flaccus, item, ut videtur, L. Bassus, quem classi praefectum fuisse ait Dio XXXVI, 2. Ex his notissimus est L. Flaccus, quem cum post praeturam ex Asia repetundarum a D. Laelio accusatus esset, Cicero oratione, quae extat, defendit. Iam in hac oratione Cicero c. 3 sic ait: *Bellum Cretense ex magna parte gessit atque una cum summo imperatore sustinuit,* et rursus c. 26: *Adsunt ex Achaia cuncta multi legati, Boeotia, Thessalia, quibus locis nuper legatus L. Flaccus imperatore Metello praefuit.* Metellus

dubitari non potest quin hic sit Q. Caecilius Metellus Creticus; alium enim Metellum, qui illo tempore provinciam rexerit, novimus nullum, ac L. Metellum, cos. anni 68, in ipso consulatus sui anno decessisse constat, ut collega eius Q. Marcius Rex aliquamdiu solus summum magistratum gereret. Neque quod Metellus, quem anno 54 vixisse constet ex Cic. p. Planc. c. 11, ubi *hic Metellus* appellatur, non adfuit L. Flacco periclitanti anno 59 (eo enim anno oratio pro Flacco habita est), quamvis qua de causa acciderit nequeam indicare, satis tamen videtur esse argumenti, ut non eundem hominem fuisse existimemus. Quodsi Q. Metellus, qui Creticum bellum gessit, idem L. Flacci in Graecia imperator fuit, hae duae res certissime efficiuntur, primum, de quo C. F. Hermannus dubitavit, ut provinciae tunc iure usa sit Achaia, Boeotia, Thessalia ipsique Athenienses et Lacedaemonii, quorum legatos cum laudationibus in iudicio L. Flacci adfuisse Cicero ait, quamvis libertatem haberent, magistratui tamen Romano paruerint, deinde ut Metello proprie Achaia et Macedonia provincia, sed cum ea simul bellum Creticum mandatum sit. Idque etiam hinc longe simillimum veri est, quod tres legiones cum Metello fuisse constat (Phleg. Trall. in Phot. Bibl. c. 97), quo tanto numero militum certe in bello facili tantulaque insula sola non opus erat. Sed illud mirum esse videatur, cur Cicero eo quem diximus loco Achaeorum modo legatos commemoret, Macedonicorum nullam mentionem faciat, ex qua re non absurde aliquis suspicari posse videatur, Achaiam, si antea coniuncta fuit cum Macedonia, tunc fuisse diremptam ac pro peculiari provincia, quae una cum Creta regeretur, constitutam. At Ciceronem in maxima parte orationis, qua L. Flaccum defendit, hoc agere video, ut testium Asiaticorum imprimisque Graecorum in Asia sitorum fidem elevet, idque sic instituit, ut Graecis Asiaticis veros Graecos in Europa habitantes opponat. *Adspiciant,* inquit, *hunc florem legatorum laudatorumque Flacci ex vera integraque Graecia; tum se ipsi expendant, tum cum his se comparent,* et postea: *Hisce utitur laudatoribus Flaccus, his innocentiae testibus, ut Graecorum cupiditati Graecorum auxilio resistamus.* Tum Athenienses et Lacedaemonios et ceteros, quos diximus, nominat, a quibus legatio Flacci laudetur, ut mirum iam esse non debeat, quod cum veros Graecos adhibere velit, Macedones non commemoret. Quamquam fortasse L. Flaccus soli Achaiae legatus imperatoris sui praefuit; maiorem enim provinciam habebat, qui cum imperio erat quam qui legatus erat, ut, dum Metellus Cretense bellum administrat, pro eo Flaccus Achaiam, Macedoniam ipsam vel C. Sacerdos ille, qui nominatur, vel alius aliquis regeret. Etenim ad hoc maxime tempus referenda esse censeo, quae Cicero de prov. cons. 3, ut Pisonis in provincia administranda ignaviam demonstret, oratorie sane, sed tamen non sine veritate narrat: *Atque hanc Macedoniam domitis iam gentibus finitimis barbariaque compressa pacatam ipsam per se et quietam tenui praesidio atque exigua manu, etiam sine imperio per legatos no-*

mine ipso populi Romani tuebamur. Nullum certe tempus novi, quo nec imperator ullus nec exercitus in Macedonia fuerit nisi hoc, quo qui sorte eam acceperat, longinquum bellum gerebat legatosque suo loco barbaros a M. Lucullo felici bello compressos defendere iubebat. Nihil igitur ex Ciceronis illo loco quem diximus, colligi debet, ut non etiam tunc Achaia cum Macedonia in unam provinciam coniuncta fuisse videatur. Sed potest etiam aliis certissimis rationibus demonstrari, fuisse eas coniunctas. Cicero p. Planc. c. 11 vitam priorem Cn. Plancii exponit, quantopere is omnium, quibuscum fuerat, gratiam ac benevolentiam adeptus sit, referens. Primum Saturninum nominat, cuius contubernalis Plancius fuerat, tum hunc Metellum Creticum, cuius miles, denique C. Sacerdotem et L. Flaccum, qui item Plancii innocentiam testimonio suo comprobent. Sequuntur haec: *In Macedonia tribunus militum fuit: in eadem provincia postea quaestor,* ac Macedonum laudationibus eum adiuvari, L. Appuleii, cuius quaestor fuerat, amore sustentari addit. Cur non nominat, sub quo tribunus militum fuerit? Nimirum quia fuerat imperatore eodem Metello, quo prius in contubernio Saturnini meruerat. Etenim si Plancius, qui adolescentulus iam cum A. Torquato in Africam profectus erat, initio belli Cretici denuo stipendia meruit, certe non ultra quattuor vel quinque annos dilatus est, dum tribunatu militari ornaretur, quem quidem tunc adolescentulis prope vix bellum ingressis conferri consuevisse sciamus; quare is nullo pacto in C. Antonium, quem ab anno 62 Macedoniae praefuisse infra docebimus, incidere potuit. Necesse est ante eum fuerit tribunus, et quidem, si non erat imperatore Metello, eo tempore, quo L. Torquatus Macedoniam regebat. Sed huius nomen tacet omnino Cicero, cum non modo Metellum et L. Appuleium, verum etiam Sacerdotem et Flaccum nominet; qui etsi iam mortuus esset, aliqua tamen ratione commemorandus erat; vixisse autem paulo ante discimus ex Cic. ad Att. XV, 21, 1. Inde recte videmur posse colligere, nullam inter Plancium et inter L. Torquatum necessitudinem intercessisse, sed illum eodem imperatore, quo primum militare coepit, factum esse tribunum militum, sed ita, ut, cum prius in Creta insula meruisset, deinde tribunatu ornatus in Macedoniam transferretur. Addo ad haec, quod ut magno sane documento est Cretam cum Macedonia fuisse coniunctam, ita memorabilem dicendi usum, ex quo multorum virorum doctorum errores profecti sunt, exhibet. Caesar enim bell. civ. III, 4 Cn. Pompeii legiones, quas is ad bellum cum Caesare gerendum in Macedonia collegerat, recensens *unam* commemorat *ex Creta et Macedonia, ex veteranis militibus, qui dimissi a superioribus imperatoribus, in iis provinciis consederant.* Quid enim? Num existimabimus, veteranos in alia provincia consedisse atque in ea, ubi stipendia emeruissent, ubi multis modis ab imperatoribus adiuvarentur? Quare cum ex veteranis, qui in Creta et Macedonia consederant, una legio effecta esse dicatur, statuemus, unam fuisse eam provinciam eosque, qui

a Pompeio denuo conscriberentur, iam ante sub iisdem imperatoribus iisdemque signis meruisse. Nec vero propterea Caesar eas provincias appellare dubitat, latiore quadam vocabuli potestate, qua non quicquid uni summo magistratui Romano paret, sed quamvis regionem imperio populi Romani subiectam significat. Sic compluribus rationibus videmur effecisse, ut Q. Metellus, qui Creticum bellum gessit, idem Macedoniam provinciam eo, quo priores imperatores ambitu habuerant, obtinuerit; illud incertum, utrum Creta, postquam Romanis parere coepit, item proconsuli Macedoniae obtemperarit an vel per se constiterit vel alii provinciae adiuncta sit, quam totam disputationem in posteriorem locum differendam esse existimamus. Cum igitur Q. Metellus in ipso consulatu, ut videtur, sortis arbitrium ita mutasset, ut ipse pro Q. Hortensio Macedoniam cum bello Cretico acciperet, abisse Roma non videtur nisi peracto consulatu. Nam legatio quidem illa Cretensium, quae veniam petierat a Romanis, quod contra M. Antonium, IIIviri patrem, pro praetore imperio orae maritimae ornatum bellum gesserant (Cic. in Q. Caec. 17; in Verr. II, 3 et III, 91; Pseudo-Asc. in Verr. p. 206; Liv. epit. XCVII; App. bell. civ. I, 111), sine dubio iam in consulatu Crassi et Pompeii Romam venerat, quae cum parum mite responsum tulisset, bellum decretum imperiumque Metello traditum erat (Diodor. exc. l. XXXIX extr.). Sed impetus in insulam non factus est ante annum 68, quoniam Liv. XCVIII narrat de Cydonia urbe capta post Capitolium anno 69 a Q. Catulo dedicatum. Ac tunc quidem Metellus bellum gerebat clementius, condiciones Cretensium audiebat, foedus adeo quodammodo componebat; post ubi lege Gabinia Pompeio imperium non modo totius maris interni, verum etiam terrae in omnibus provinciis usque ad quinquagesimum a mari miliarium delatum est, et properavit antequam Pompeius adveniret, bellum conficere (Dio XXXVI, 1) et in resistentes Pompeiique auxilium implorantes maiore severitate uti coepit. Non enarrabo hoc loco bellum ipsum aut contentiones Metelli et Pompeii, cui cum imperio maris tota insula Creta obvenerat, duas tamen res animadvertam. Primum ab Dione XXXVI, 1 nominatur Cornelius Sisenna, is qui anno 78 praetor fuerat (Sc. de Asclep. 1), *ὁ τῆς Ἑλλάδος ἄρχων*, quem ex App. Mithrid. 95 Pompeii legatum fuisse, ab eoque praefectum esse discimus Peloponneso, Atticae, Euboeae, Thessaliae, Macedoniae, Boeotiae, nimirum quatenus illae terrae intra quinquagesimum ab mari miliarium pertinent. Qui quomodo has, quas diximus, terras regere potuerit, nisi eae iure provinciae Romanae uterentur, non sane intelligimus neque certe probari potest C. F. Hermanni in defensione sua p. 19 iudicium, qui ex ea re negat de provincia Graecia posse colligi propterea quod Sisennae fuerit extraordinaria legatio. Fuerit extra ordinem delata illa praefectura, item ut Pompeio summum in praedones imperium, sed id ad rationem pertinet, qua constituta est, non pertinet certe eo, ut unquam ad populos vere liberos neque Romanorum imperio subiectos magistratus

Romanos cum imperio missos esse debeamus existimare. Una tunc Aegyptus ex omnibus terris ad mare internum pertinentibus suis parebat regibus, et quamvis amica Romanorum vera tamen libertate utebatur, in cuius ora maritima nescimus num fuerint praedones, sed fuisse non minus probabile est quam in aliis multis maris interni partibus. Nec tamen ab Appiano cum accurate reliqui maris divisionem commemoret, legato Pompeii tributa esse narratur. L. Flacco vero, quem Metelli legatum in eadem Achaia fuisse supra diximus, qui certe non erat extraordinarius magistratus, si constare sibi vellet, uti omnino Hermannus non debuit. Sed hoc commemoravimus non quod magnopere ad propositum pertinere putaremus, sed ne quid, quod de eodem argumento disputatum esset, praetermittere videremur. Deinde notabile est, quod Cn. Pompeius quamvis cum Metello de belli Cretici imperio contendisset adeoque litteris ad senatum missis cum eo expostulasset (Liv. XCIX), non tamen obtinuit, ut ipse Cretam imperio Romano addidisse videretur. Documento cum illud est, quod Liv. libr. C narrat Metellum leges dedisse Cretensibus perdomitis, quibus in imperio Romanorum uterentur, id quod nunquam fecit nisi idem qui in provinciam populum redegerat, tum Diodor. in Exc. Vat. XL, 19 ipsum titulum, quem Pompeius de rebus contra piratas et Mithridatem gestis confecerat, referens, in quo nulla Cretae mentio fit. Cf. Zonar. X, 5. Quare eripuerat ille quidem ornamenta multa triumphi, imprimis Panarem et Lasthenem, duces Cretensium (Dio Cass. XXXVI, 2; Vellei. II, 40), eaque re significabat, quantum de Cretensibus victis sibi deberetur, sed laudem insulae subiectae ipsam sibi non sumpsit. Tempus, quo bellum confectum sit, Oros. VI, 4 biennio, Vellei. II, 34 et Eutrop. VI, 11 triennio definiunt; hi enim etiam annum, quem Metellus componendo insulae statu legibusque dandis consumpsit, numerant. Quare cum L. Torquatum, cos. anni 65, successisse ei constet, Metellus annum 65 redeundo Macedoniaque ipsa lustranda videtur consumpsisse, tum ineunte anno 64 in Italiam pervenisse. Triumphus quidem eius diu impeditus est ab Pompeii amicis; nam Sallust. Cat. 30 narrat, cum anni 63 mense Novembri de seditionibus per Italiam ab Catilina concitatis nuncius allatus esset, eum a senatu cum imperio in Apuliam esse missum. Tunc igitur nondum triumpharat aut imperium deposuerat, sed oppressa coniuratione Catilinaria cum optimates novas vires collegissent, triumphum egit mense fere Maio anni 62 (Eutrop. VI, 16; Vellei. II, 34).

Iam antequam in enumerandis Macedoniae praesidibus pergamus, faciendum est, ut unum, qui pro Achaiae, quae putabatur provincia, vel Macedoniae rectore haberi solebat, amoveamus. Etenim Pighius Ann. III, 293 L. Gellium Publicolam praefuisse statuit Achaiae propter unum hoc Ciceronis de leg. I, 20 testimonium, qui Atticum sic dicentem facit: *Me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gellium, familiarem tuum* (Ciceronis), *cum proconsule ex praetura in Graeciam venisset et Athenis philosophos, qui tum erant, in*

locum unum convocasset, ipsis magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum cet. De quo loco assentior utique Hermanno in disputatione sua p. 363, non posse inde colligi Gellium praefuisse Achaiae. Nam nec pro consule Achaiae dicitur neque id de coniectura debet statui. Quid enim? Qui praetura gesta fiunt pro consulibus, ideo non praetoriam potestatem et sex fasces, sed consulare imperium cum duodecim fascibus accipiunt, quod propter maiorem aliquem motum consulari exercitu opus est. Quis autem in Achaia, seiuncta quidem ab Macedonibus, ut Pighius ceterique opinabantur, talem tunc motum fuisse audivit? Qui si fuisset, non minus in Achaiam potuit mitti pro consule, qui praeturam tantum gesserat, quam in Hispanias et Asiam et alias provincias missos esse constat. Itaque recte Hermannus L. Gellium Achaiae praefuisse negat, item negat Macedoniae; putat Asiae praefuisse, nulla ille quidem ratione addita, sed magna tamen cum probabilitatis specie. Etenim dubium non est, quin Gellius sit ille, qui consulatum anno 72 cum Cn. Cornelio Lentulo gessit, quo eodem collega triennio post censuram administravit. Qui cum Ciceronis appelletur familiaris, si plurimum sumamus, non potest plus quam quindecim annis maior natu fuisse quam Cicero; consulatum quidem gessit undecim annis ante illum, qui suo se anno quam primum per leges licuerit, omnes honores adeptum esse glorietur. Sequitur, ut Gellius circa annum 77 praeturam gesserit. Ea autem aetate provinciae, in quas Gellius per Graeciam iter facere posset, erant hae, Macedonia, qua ipsae Athenae comprehendebantur, et Asia et Cilicia. Nam Bithynia demum anno 75 mortuo rege Nicomede in provinciae formam redacta est. Iam in Macedoniae praesidibus nullum Gellio locum relinqui, ex serie, quam confecimus, intelligitur, in Cilicia scimus primum Cn. Dolabellam ann. 80 et 79 fuisse, deinde ad annum 75 P. Servilium contra Isauros bellum gessisse (Oros. V, 23 et Eutrop. VI, 3; etiam Suet. Caes. c. 3, qui Caesarem ante Sullae mortem imperatore Servilio meruisse ait, et Cic. in Verr. III, 70, unde cum quidam aliter colligerent, Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1829, 1 p. 131 eum anno 75 triumphasse docuit), tum L. Octavium, cos. anni 75 (Plut. Luc. 6), quo mortuo L. Lucullus successit. In Asia autem eadem aetate fuit primum C. Claudius Nero, de quo loquitur Cic. in Verr. I, 19, tum Terentius Varro, consobrinus Hortensii, quem Pseudoascon. ad Cic. in Caecil. p. 109 ab Appio Claudio repetundarum accusatum esse scribit, quod iudicium apud P. Lentulum Suram, cos. anni 71, praetorem anni 75, actum esse dicitur, denique L. Iunium Silanum, eundem, qui Bithyniam in formam provinciae redegit, quem Plin. nat. hist. II, 35 anno 76 in provincia sua fuisse significat. Cf. Borghes. in Diurn. Arcad. anni 1822, 2 p. 361 et Ann. inst. arch. anni 1849 p. 14. Quare inter Terentium Varronem et L. Iunium nemo alius videtur pro consule intercessisse, sed potest sane inter C. Claudium et inter Terentium, si et illum ipso anno 80, quo commemoratur, de-

cessisse statuamus, et huic vel ei, quem inserimus, Gellio, id quod in praetoriis viris saepius factum esse constat, annum modo provinciae tribuamus. Est igitur locus in Asiae pro consulibus, quo Gellius possit collocari, omninoque Gellium, virum studiorum ac pacis quam belli peritiorem Asiae potius, praesertim quo tempore nondum bellum Mithridaticum exarserat, quam Macedoniae, bellicosissimae provinciae, praefectum esse existimo.

Nunc redeo in viam. Successisse enim Metello constat *L. Manlium Torquatum*, veterem Attici amicum (Cornel. Att. c. 1), qui cum P. Autronius Paetus et P. Cornelius Sulla ambitus condemnati essent, consulatum anno 65 cum L. Aurelio Cotta adeptus est. De eo nihil videtur esse notum, nisi quod Cic. in Pis. c. 19 habet: *Ex qua provincia modo* (i. e. ante duodecim annos; nam oratio in Pisonem anno 55 habita est) *vir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus magnis rebus gestis me referente absens imperator sit appellatus.* Retulerat autem Cicero de eo in consulatu suo, quare sive lectionem, quae a nobis expressa est, servabimus, sive praeclaram Manutii coniecturam pro eo quod est *absens* scribentis *ab senatu* probabimus, hoc efficietur, ut anno 63 Torquatus in Macedonia cum imperio fuerit. At idem Torquatus a Cic. ad Att. XII, 21, 1 nominatur in consularibus, qui Nonis Decembribus in senatu ante Caesarem de Catilinae sociis supplicio afficiendis sententiam dixerint. Unde apparet eum medio anno 63 Romam ex provincia redisse. Sed quando profectus erat? Certe non in consulatu suo; nam initio eum anni 65 Romae fuisse colligas ex coniuratione illa, quam ipsis Kal. Ian. et rursus Kal. Febr. Catilina cum sociis suis in consules aliosque civitatis principes fecisse dicitur (Sallust. Cat. c. 18), nec reliquo anno, etsi nihil traditur quod in urbe eum mansisse doceat, tanta quies erat, ut consul in provinciam praesertim tunc satis pacatam abire mallet. Unam igitur aestatem in Macedonia Torquatus consumpsit. Sed duae aliae res in eo commemorandae sunt. Primum cum magnas res gessisse narretur imperatorque ab senatu ipso, non ab militibus tantum suis appellatus esse, nonne videatur etiam triumphum egisse? Sed non triumphasse eum et silentium cum aliorum scriptorum tum Ciceronis videtur arguere, qui cum totiens quae in consulatu suo acciderunt, celebret, si qui fuisset etiam triumphus, eum certe non praeterisset, et Cicero in Pis. l. l. ipse quodammodo significat, cum Dolabellae, Curionis, Luculli triumphos imperatorio Torquati nomini opponat. Quare desinit in hoc Torquato norma illa Ciceroniana, quam saepe de praesidibus Macedoniae adhibuimus, qui quemquam consulari cum imperio in Macedonia fuisse negat quin triumpharit collocandumque erit Torquati exemplum inter eos, qui quamvis imperatores appellati essent, ipsum triumphum non egerint. Deinde locupletissimum de Macedoniae praesidibus, qui bella cum Thracibus gesserint, testimonium extat apud Flor. I, 38, quod aliquotiens citavimus. In eo nominantur Cato, Didius, Drusus, Minucius, Curio, Appius, Lucullus, de quibus omnibus supra

a nobis disputatum est. Sed unus est reliquus, qui *Rhodopen Caucasumque penetravisse* dicitur, qui olim *Piso* ab editoribus nominari solebat, sed in novissima O. Iahnii editione secundum auctoritatem optimi codicis Bambergensis appellatur *Volso.* Iam temporis ordinem negligi a Floro apparet; Curionem enim ante Appium collocat, ut inde ab illo Volsone rerum quendam ordinem sequens potius ex terris, quo quisque pervenerit, praesides recensere videatur; quare ut Piso ille vel Volso ante Curionem Macedoniam rexerit, non est necesse. Continuam autem cum contexuerimus rectorum Macedoniae seriem inde a Druso, nullus in iis locus potest esse Pisoni eoque minus, quod magnas ille res gessisse eoque mentione aliqua scriptorum dignus esse refertur. Vulso autem sive Volso cognomen est sane antiquum, quod ex Sullana aetate non amplius reperitur; antea Manliae gentis proprium fuerat. Quid igitur? si hunc ipsum de quo agimus L. Manlium, qui praeterea Torquatus cognominabatur, existimabimus vetus gentis suae etiam alterum cognomen aliqua de causa renovasse? Quod cum raro omnino usurpatum sit, non mirum est non inveniri apud Ciceronem aliosque scriptores, qui ubi hominem commemorant, non stirpis prodendae causa, sed suae aetati talium rerum gnarae scribunt, fasti autem consulares, in quibus etiam illud cognomen videatur esse debuisse, perierunt. Nullam certe equidem rationem invenio, qua et Flori auctoritatem conservem nec ab reliquorum testimoniis discedam.

L. Manlium in Macedonia excepit *C. Antonius Hybrida,* Ciceronis in consulatu collega. Etenim anno 64 antequam comitia consularia haberentur, lege Sempronia a senatu decretae erant provinciae consulares Macedonia et Gallia, ac cum creati essent M. Tullius et C. Antonius, sortitione illi Macedonia, huic Gallia evenerat. Tum inito consulatu cum senatus iam et Ciceroni et Antonio quas sortiti erant provincias exercitu, pecunia ceterisque rebus instruxisset, ille, qui Antonium et locupletis provinciae cupidum esse et aperte Catilinae favere videret, non modo Macedoniam collegae concessit, verum etiam ipse quae ex consulatu obeunda erat Gallia, publice deposuit. Testis est Sallust. Cat. 26, qui de iis, quae ante comitia consularia anni 63 gesta sunt, narrans haec habet: *Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret;* item Plut. Cic. 12 de principio anni 63 referens: *Καὶ τοῦτον (τὸν Ἀντώνιον) πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων ἐκείνῳ μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν Μακεδονίαν, αὐτῷ δὲ τὴν Γαλατίαν διδομένην παρῃτήσατο*, denique Dio XXXVII, 33: *εἰλήχει γὰρ τῆς Μακεδονίας ἄρξαι· οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην (τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέστη) οὔτε ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν πλήσιον, ἣν ἀντέλαβε, διὰ τὰ παρόντα ἐξήλασεν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν τὴν πόλιν διὰ φυλακῆς ἐποιήσατο· ἐς δὲ τὴν Γαλατίαν τὸν Μέτελλον (ὅπως μὴ καὶ ο Κατιλῖνας αὐτὴν σφετερίσηται) ἔπεμψε.* Ipse etiam Cicero Phil. XI, 10 gloriatur, instructam se ornatamque a senatu provinciam deposuisse, ut incendium patriae restingueret,

et ad Att. II, 1 inter actiones suas consulares orationem, qua provinciam (nimirum Galliam quam commutarat) in concione deposuerit, sexto loco ante eam, qua Catilinam ex urbe emisit, quam a. d. VI Id. Nov. habitam esse constat, numerat. Neque huic rationi adversatur Cic. in Pis. 2: *Ego provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio communicavi, quod ita existimabam tempora reipublicae ferre, in concione deposui,* cuius loci etsi a vulgari consuetudine Ciceronis verba recedere vix potest negari, probanda tamen fere interpretatio ab Garatonio proposita. Efficitur autem ex his quae disputavimus, primum ut medio anno 64 L. Torquato successor, qui ab anno 62 provinciam regeret, decretus sit, deinde ut ineunte anno 63 Antonius Macedoniam acceperit. Sed abiit ille in provinciam mense demum Martio anni 62, postquam caeso Catilina imperatorium titulum meruit (Dio XXXVII, 40) cum fascibus laureatis (Obseq. 123). Quis igitur interim provinciae praefuit? Primum ad exitum anni 63 L. Torquati, qui rerum urbanarum causa Romam properarat, tum ab ineunte anno 62 C. Antonii vel legatus vel quaestor, ut videamus etiam cum anni vel paulo maius sit praesidum quos noverimus intervallum, non necessario id alicuius, quem ignoremus, imperio esse explendum. Veruntamen cum Antonius, cui P. Sestium quaestorem fuisse putat Pigh. Annal. III p. 343, in provincia sua parum integre versaretur, atque etiam cum barbaris finitimis male rem gereret (Liv. epit. CIII, Obseq. 123; Dio XXXVIII, 10), iam anno 61 Cn. Pompeius nondum tunc in urbem reversus acturus esse dicebatur, ut successor ei mitteretur (Cic. ad Att. I, 12), quod cum defendente Cicerone (Cic. epist. V, 6) non factum esset, anno 60 Antonius Romam rediit (Cic. ad Att. II, 2) accusatusque apud Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum repetundarum ab Q. Fabio Maximo et M. Caelio, quamvis defenderetur rursus a Cicerone, ante alteram actionem solum vertit. Vide C. G. Zumptium de legibus iudiciisque repetundarum I p. 58, ubi quidam virorum doctorum de eius causa errores recte emendantur.

Successit ei *C. Octavius,* Augusti qui postea imperavit pater, vir omni virtute ac laude insignis. Qui etsi praeturam modo gesserat, consulare tamen imperium atque exercitum accepit; pro consule enim appellatur apud Orell. n. 592. Id ea de causa acciderat, quod et Macedoniam barbaris praesertim ab Antonio parum prospere impugnatis vicinam consulari exercitu egere videbant, et anno 60 ineunte tantus timor belli Gallici in urbe fuerat, ut consulibus, L. Afranio Gallia cisalpina, Q. Metello Celeri transalpina decerneretur (Cic. ad Att. I, 19), qui cum bellum non proxime imminere viderent (Cic. ad Att. I, 20), consulatum otio Romae peregerunt. Octavius autem ille non modo iustitia atque integritate ita eminebat (Suet. Oct. 3; Vellei. II, 59), ut Cicero eum ad fratrem tamquam specimen praesidis collaudaret (Cic. ad Q. fr. I, 2), verum etiam armis belloque excelluit. Nam et

proficiscens in provinciam in agro Thurino seditiones quasdam compescuit (Suet. Oct. 3 et 7) et in Macedonia Bessos devicit atque ab exercitu imperator appellatus est (Suet. et Vellei. l. l.). Versatum eum esse in provincia sua scimus mense Octobri anni 59 (nam Cic. ad Q. fr. I, 2, 7 vicinum eum Quinti appellat circa Kal. Nov. scribens), sed decessit paulo post, non tam triumphi, quem meruisse quam agere mallet, cupidus quam consulatus in familiam suam inferendi (Cic. Phil. III, 6, 15; Vellei. II, 59), quem antequam peteret, in ipsa profectione Nolae mortuus est exeunte anno 59 vel ineunte 58; nam Suetonius Oct. 8 filium cum obiret pater, quadrimum fuisse ait neque multos menses, si quos post mensem Septembrem, quo Augustus natus est, vixit, videtur tacuisse. Quaestorem autem huius Octavii anno 59 fuisse L. Aemilium Paulum, qui anno 50 consul fuit, discimus ex Cic. in Vatin. 10, 25. Cf. ad Att. II, 24, 2.

In locum C. Octavii subisse constat *L. Appuleium Saturninum,* item praetorium virum eundemque, ut videtur, pro consule. Quamquam nihil de eo aliud traditur. Erat homo novus, ex praefectura Atinati oriundus (Cic. p. Planc. 8), in Creta stipendia fecit imperatore Metello, deinde aedilis et praetor fuit (Cic. p. Planc. 11); Macedoniam autem obtinuit anno 58, quo tempore Cicero exul in ea provincia Thessalonicae potissimum et Dyrrhachii versabatur. Quem Ciceronem non expulit ille quidem ex provincia, sed iis tamen officiis, quae tanto viro deberi viderentur, propter Clodii timorem colere noluit, cum Cn. Plancius eum et Thessalonicam in quaestorium deduceret et omni amicitia prosequeretur (Cic. p. Planc. 41).

Sequitur, propter quem provincia Macedonia qualis hac aetate fuerit maxime notum est, *L. Calpurnius Piso Caesoninus*, cos. anno 58. Praeteribo hoc loco, quae tunc universae reipublicae tempora fuerint; neque enim id ad Macedoniam pertinet. Sed P. Clodius tribunus plebis cum L. Pisone, quem diximus, et A. Gabinio consulibus ita pepigit, ut, si ipsi M. Tullii salutem sibi prodidissent legemque, qua exilium ei irrogabatur, adjuvissent, unde foedus hoc suo sanguine ictum Cicero solet appellare (veluti in Pis. c. 12 et 13 et 21 et 24; post red. in sen. 7, saepius), tum Clodius sibi eas quas ex omni numero elegissent amplissimas provincias per populum assignandas curaret. Etenim quae iis iam antequam consules fierent, ex lege Sempronia provinciae decretae erant, de quibus deinde inter se vel sortirentur vel compararent, quia minus cupiditates explere posse viderentur, parum placebant. Itaque quo tempore Cicero ut poenam imminentem vitaret, Roma in exilium profectus quodque sibi ipse indixerat exilium, lege confirmatum est, eodem altera proposita est de provinciis consulum, ut Piso Macedoniam, Gabinius Syriam acciperet. Etenim Cic. p. Sext. 10, 25 ait: *promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie et de provinciis consulum nominatim;* ibid. 24, 53

illo ipso die, die dico? immo hora atque etiam puncto temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est. Cf. post red. in sen. c. 7. Quare cum Ciceronem ex urbe abisse sciamus mense Aprili ineunte (ad Att. III, 2), eodem mense legem Clodiam de Macedonia Pisoni mandanda perlatam esse existimabimus. Quae provinciae antea consulibus a senatu decretae fuerint, nescitur, quae tunc praetoribus permissae sunt similiter ac Cilicia, consularis illa quidem, sed non magnae pecuniae provincia, de qua sibi tradenda initio Gabinius cum Clodio pepigerat (Cic. p. Sext. 25, 55 et p. dom. 9, 23): in eam ubi ille Syriam habere maluit, T. Ampius Balbus, praetorius vir, missus est (Cic. epist. I, 3). Nec vero hoc modo fecit Clodius, ut maiores consulibus provincias daret ad id exemplum, quo anno superiore Caesari extra ordinem per populum Gallia data erat, verum magnifice eadem lege qua detulit, eas ornavit exercitu, ad quem comparandum novos delectus habere liceret, et potestate, de qua paulo post dicemus, et omni apparatus genere, veluti vasarii nomine Pisoni centiens et octogiens ex aerario datum esse criminatur Cic. in Pis. 35, ereptum ex actis Caesaris. Vide comment. nostras epigraph. p. 298. Tradita igitur Pisoni est Macedonia, sed sola ea, non adiecta ulla alia provincia. Docent hoc omnia scriptorum testimonia, qui si qua alia regio, quae Macedoniae non esset propria, eius imperio fuisset subdita, debuerunt commemorare ac commemorarunt in simili causa Iulii Caesaris, cui quis non retulit mandatam esse utramque Galliam et Illyricum? Quanto magis Ciceronem, qui tanta vi in Pisonem inveheretur, si qua ad Macedoniam accessio facta esset, id relaturum fuisse putabimus? At solam ille nominat Macedoniam, velut de prov. cons. 2 et 3, in Pis. 16 et 20; atque in Pis. c. 19, ubi superiores imperatores, qui cum magna laude ac triumphis Macedoniae praefuerant, recenset, haud obscure eosdem populos Pisoni commissos esse significat, quo loco, si plus adeo accepisset Piso, quomodo, cum turpiter rem gessisset exercitumque optimum perdidisset, potuit tacere? In Gabinio quidem, Syriae proconsule, qui regem Aegyptium reduxerat, quantopere id ipsum exagitat Cicero paulo post c. 21: *Cum fines provinciae tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos mei capitis pretio periculoque emerat, his se tenere non potuit* sq! Certa igitur debent esse haec duo, et Macedoniam solam iis finibus, quibus omnes superiores et propraetores et proconsules habuerant, obtigisse Pisoni, neque egressum eum esse hos provinciae suae fines. Iam qui fines Macedoniae provinciae proconsule Pisone fuerunt? Aperte indicat Cic. de prov. cos. 3: *Quis vestrum hoc non audivit, quis ignorat Achaeos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis?* quod cum in mediis Thessalonicensium et Dyrrhachinorum et Byzantinorum iniuriis sine ulla peculiari mentione ponatur, dubium esse non potest, quin Achaei non minus quam reliqui in provincia fuerint. Item ibid. c. 4 postquam compluria de Byzantinorum spoliatione narravit: *Quod fanum*, inquit, *in Achaia*, *qui*

locus aut lucus in Graecia tota tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit? quo loco non leges, imprimis Corneliam, citat, quae praesides provinciam egredi vetant, sed communes sociorum iniurias queritur. Apertius etiam ubi universum Pisonis imperium Macedonicum exagitat in oratione, quam in eum habuit, Cicero c. 35 ait: *Evertisti miseras funditus civitates, quae non solum bonis sunt exhaustae, sed etiam nefarias libidinum contumelias turpitudinesque subierunt? Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarii? siquidem potest vi et metu extortum honorarium nominari, quod cum peraeque omnes, tum acerbissime Boeotii et Byzantii, Chersonenses, Thessalonica sensit?* ubi quis non videt idem ius tribui Boeotis ac populis media in Macedonia sitis? Et c. 37 *Aetoliam, quae procul a barbaris disiuncta gentibus in sinu pacis posita medio fere Graeciae gremio continetur, decedens miseram perdidisti. Arsinoan, Stratum, Naupactum, ut modo tute indicasti, nobiles urbes atque plenas, fateris ab hostibus esse captas: quibus autem hostibus? nempe iis, quos tu Ambraciae sedens primo tuo adventu ex oppidis Agrinarum atque Dolopum demigrare et aras et focos relinquere coëgisti,* ubi insignem Aetolorum, in quos pessime Piso imperii iure usus erat, miseriam deplorans haud obscure eandem reliquarum Graeciae civitatum fortunam fuisse significat. Quare omnes Pisonis res gestas complectens c. 40 addit: *Achaia exhausta, Thessalia vexata, laceratae Athenae, Dyrrhachium et Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Parthini et Bullienses illusi, Epirus excisa, Locri, Phocii, Boeotii exusti, Acarnania, Amphilochia, Perrhaebia Athamanumque gens vendita, Macedonia condonata barbaris, Aetolia amissa, Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati — te unum solum suum depeculatorem, vexatorem, praedonem, hostem venisse senserunt.* In quibus si qua non nominatur Graeciae civitas, eam non quod alio iure uteretur aut alii magistratui Romano pareret, sed quod minus insignis eius esset iniuria, praetermissam esse putabimus. Quare Macedonia provincia (dici enim etiam Macedoniam aliquando artiore quodam sensu eam terram, quam proprie Macedones incolebant locus qui modo citatus est docet) Macedonia igitur et Pisonis et superiore tempore amplexa est et vetus Macedonum regnum et Graeciam et Peloponnesum et Epirum et quicquid denique Romanorum fuit ad Hellespontum usque et ad septentriones et ad mare Hadriaticum, praeter Illyricum quidem, de quo et supra in L. Culleolo proconsule diximus et infra uberius exponemus.

At enim, inquient qui Achaiam aut paruisse Romanis aut certe Macedoniae proconsulibus obtemperasse negant, alios provinciae fines maioremque potestatem acceperat Piso, alios reliqui rectores habuerunt. Quid enim est, quod Cicero in Pis. c. 16 habet: *Obtinuisti provinciam consularem finibus iis quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. Nam lege Caesaris iustissima atque optima populi liberi plane et vere erant*

liberi, lege autem ea, quam nemo legem praeter te et collegam tuum putavit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addicta? Et rursus c. 24: *Cumque omnium tuorum scelerum haec pactio extiterit, ut, si tu totam rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur* sq. Nonne enim hinc videtur effici, extraordinariam quodammodo potestatem Pisoni esse delatam amplificatosque provinciae fines, quae cum antea Graecas civitates non complecteretur, sub Pisonis demum imperio illis quoque aucta esset? Posset fortasse ita videri, nisi paulo accuratior legis Iuliae illius quae dicitur cognitio superesset apud eundem Cic. de prov. cons. c. 4: *Emisti a foedissimo tribuno plebis tum in illo naufragio huius urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras: tum, inquam, emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra senatusconsultum* (vel potius *senatusconsulta*, ut rectius scribitur) *et contra legem generi tui dicere liceret: id emptum ita vendidisti, ut aut ius non diceres aut bonis cives Romanos everteres.* In quibus senatusconsulta, quae violata esse dicuntur a Pisone, sunt sine dubio vetera quaedam, quorum auctores ignoramus; lex autem generi est Iulia C. Caesaris consulis anno 59 lata. Qui cum novam legem de crimine repetundarum scriberet, diligenter omnia, ex quibus magistratus Romani in provinciis pecuniam conficere possent, comprehendens etiam hoc statuerat, quatenus proconsulibus liceret in civitatibus liberis ius dicere. Parum enim recte plerosque viros doctos, qui tempora diversasque res confunderent, de peculiari aliqua Caesaris consulis lege, quam de provinciis tulisset, cogitasse aperte demonstravit C. T. Zumptius de legibus repetundarum I p. 62. Sanxerat igitur Caesar in capite aliquo legis repetundarum, ut civitates, quae libertate a Romanis donatae essent, res suas, i. e. aerarium suum, reditus sumptusque ipsi administrarent; nam hac in re vel sola vel imprimis libertatem civitatum positam fuisse docuimus in comment. epigraph. p. 485. Quodsi qui magistratus rationes earum civitatum inspexisset, inquisisset, mutasset, nedum ob eam rem pecuniam cepisset, is repetundarum teneretur. Similiter iam saepius senatus, ut bene meritarum civitatum iura tueretur, decrerat, Caesar sanxit certius singulaque diligenti definitione persecutus est. Ac ne quis putet, liberis modo civitatibus hac lege Iulia esse cautum, in eadem scriptum fuisse scimus, quantum in quoque civitatum genere proconsulibus vel propraetoribus facere liceret, de auro coronario, de frumento, quod multae urbes praestabant, de diplomatis, de navibus militibusque (Cic. in Pis. 37). Quare qui hinc civitates liberas exemptas prorsus fuisse ex imperio proconsulum opinetur, fallatur certissime, nec debemus eo decipi, quod Cicero ait ex lege Iulia populos liberos vere fuisse liberos. Erant sane liberi, sed pro captu Romanorum, qui eas civitates, quae quamvis magistratibus Romanis obtemperarent et tributum penderent et perpetuo amicitiae foedere vinctae essent, suis tamen legibus

suisque a se factis magistratibus uterentur, satis libertatis habere iudicarent. Sed supervacaneum est, plura de hoc genere disputare, cum nulla sit provincia Romana, in qua non plurimae sint civitates liberae, quas qui imperio provincialique iure eximendas esse putabit, universum imperium Romanum misere lacerabit. Veruntamen fac habuerint Graecae civitates libertatem eam, quam non habuerunt, ut proconsuli nullo pacto parerent, eaque libertas erepta iis fuerit a Pisone, ex alia lege, sed tamen erepta: duae res cogitari possunt, ut aut senatus consulta et Iulia lex novum prorsus ius introduxerint, aut vetus aliquod paulatim abolitum renovarint. Si illud statuemus, certe simul confitebimur, ante senatus consulta illa et legem Iuliam Graeciae libertatem fuisse nullam, paruisse eam imperio Romano provinciaeque iure esse usam. Sed tacent de tali iuris mutatione omnes scriptores, imprimis Pausanias, quem initio huius commentationis citavimus, qui cetera Romanorum beneficia diligenter enumerat, simulque confirmatur, quod illi ipsi qui hoc urgent, negant, provinciam fuisse Graeciam; denique cur tandem Graecis, qui bello Mithridatico rem Romanam turpiter prodiderant, hoc beneficium datum sit, parum potest perspici, quibus si relinquebatur quod habuerant iuris, satis honoris videbatur haberi. Sin violavit Piso, quod renovatum erat lege Iulia, non hanc modo legem et senatusconsulta quaedam violavit, sed ipsam vetustatem laesit legesque olim Graecis datas, qua in re quantos clamores Ciceronem excitaturum fuisse arbitramur de Mummii auctoritate spreta, tot clarissimorum imperatorum exemplo contempto? Quorum nihil cum faciat, merito in ea quam exposuimus sententia acquiescemus. Nec modo in Graecia quae proprie appellatur liberas civitates vexarat Piso, verum pariter Byzantium (de prov. cons. 3 et 4; in Pis. 35) et Apolloniam et Dyrrhachium, item liberas civitates, quas nemo unquam negavit pertinuisse ad provinciam Macedoniam, quarum causa simili prorsus loco ponitur. Sed quaeri tamen potest, cum anno 59 Caesar lege sua illud quod diximus de liberis civitatibus sanxisset, cur insequenti anno P. Clodius, cum Macedoniam Pisoni tribueret, tantam ei extra ordinem de pecuniis creditis liberorum populorum statuendi potestatem permiserit. Neque enim id temere aut ut Pisonis cupiditati gratificaretur eum fecisse credemus. Nimirum Caesar non severitati modo consuluerat, ne quis magistratus pecuniam caperet, verum etiam utilitati liberarum civitatum prospexerat. Sed factum erat imprimis, opinor, calamitate belli Mithridatici, ut plurimae harum civitatum aere alieno obruerentur; saepe enim novimus minime expedisse iis libertatem, ut rationibus propter negligentiam aut socordiam confusis ac perturbatis ipsae auxilium magistratuum Romanorum implorarent cum his tum inferioribus temporibus (cf. de Bithyniae civitatibus quae diximus in comment. epigraph. p. 486). Quid igitur proderat Graecis haec lege Iulia defensa libertas? Ideo Clodius paulo post permisit Pisoni, ut de pecuniis creditis in liberos populos ius diceret, ut expediret earum reditus

et sumptus omnesque rationes constitueret, tum illae suo deinceps arbitrio agerent. Ac queritur Cicero de prov. cons. 4 et saepius a Pisone cives Romanos, qui pecunias scilicet crediderant civitatibus, bonis suis esse eversos, unde eum id egisse videmus, quod voluerat Caesar, ut expediret civitates ac solveret aes alienum; neque enim frustra eum in odia hominum locupletium Romaeque potentium incurrisse aut tantae calumniae locum dedisse puto. Nec negabo, abusum fortasse eum esse iure suo, sed tamen et legis Clodiae vim fuisse salutarem praetextumque sane laudabilem et ipsum non descivisse a Caesaris Clodiique consilio videmur demonstrasse. Quae cum ita sint (cohibenda enim est disputatio nostra, ne in locum sane et uberem et difficilem de libertate sociorum populi Romani perveniamus), intelligitur tamen, quomodo Cicero dicere potuerit Pisoni Macedoniam quibus finibus voluisset esse mandatam. Nam cuius potestas in parte aliqua augetur, is certe quodammodo latiores provinciae suae fines accipit idque ita si non probari apud iudices, at oratorie et accusatorie potest dici. Quodsi fines vere et quod proprie dicitur essent aucti adiectis vel alienae ad id tempus provinciae populis vel, quamquam id omnino non potest cogitari, civitatibus recens in servitutem redactis, quam multa, rursus quaero, de ea re disputasset Cicero! Nominandus erat qui subegisset, bellum enarrandum, causa exponenda, tot denique aliae res afferendae, quarum nullum est in duabus plenissimis, quae extant, accusationibus vestigium. Tanta autem cum esset provincia Pisonis curae commissa, non mirum est, praeter quaestorem, cuius nomen ignoramus, plures, certe tres eius legatos fuisse. Commemorantur enim C. Virgilius, qui Byzantii versatus sit (Cic. de prov. cons. 4), et L. Flaccus et Q. Marcius (Cic. in Pis. c. 23).

Superest, ut dicamus, quando Piso abierit in provinciam, quando redierit. Ac profectum quidem eum esse constat exacto consulatu; nam hieme eum mare transisse ait Cic. in Pis. c. 24. Exercitus autem ante properarat in Graeciam, quoniam Octobri mense Cicero audiebat milites eius adventare Thessalonicam, quo nuncio territus alio discessit (Cic. ad Att. III, 22). Mansisse autem in provincia idem ait triennium vel potius triennio postquam profectus est redisse (in Pis. 23), idque ipse c. 40 ita explicat, ut trina eius aestiva commemoret. Consumpsit igitur in provincia annum 57 et 56 et anni 55 aestatem. Vix autem abierat in provinciam, cum anno 57 in senatu agi coeptum est ab Cicerone eiusque amicis, qui illo ab exilio revocato multum in republica poterant, ut Pisoni successor mitteretur, propterea quod leges Clodiae omnes quippe per vim latae non essent pro iustis legibus habendae, sed frustra id tunc esse temptatum significat Cic. de prov. cons. 6. Verum anno 56, cum ex lege Sempronia de consulum anni 55 provinciis ante eorum comitia consuleretur, qui senatus videtur esse habitus extremo fere mense Maio (nam Idib. Maiis supplicationem negatam esse Gabinio narrat Cic. ad Q. fr. II, 7, eamque contumeliam comme-

morat de prov. cons. 6), quattuor omnino provinciae in quaestionem vocatae sunt, Galliae duae, quas Caesar tunc tenebat, Macedonia, Syria. Quo tempore cum inimici Caesaris id agerent, ut huic provincias tantas eriperent, Cicero et ut odium suum expleret et ut Caesari, Pompeio, Crasso, quos de republica consensisse constabat, commendaretur, orationem, quae extat, de provinciis consularibus habuit, qua senatoribus magnopere auctor fuit, ut Caesarem in Galliis retinerent, Macedoniamque et Syriam consulibus designandis decernerent (Cic. de prov. cos. 7). Quid decrerit senatus non traditur. Neque quicquam tunc quidem constitutum esse arbitror, quoniam tantae erant factionum contentiones, ut ne comitia quidem consularia rite possent haberi, sed post multa magnaque certamina tandem ex interregno Cn. Pompeius et M. Crassus crearentur (Dio XXXIX, 31). Ac constat anno demum 55, cum consulatum Pompeius et Crassus inissent, a C. Trebonio legem latam esse, qua illi Hispaniae duae, huic Syria in quinquennium delatae sunt. (Dio XXXIX, 33; Plut. Cat. 43; Liv. CV): Macedonia quidem praetoria facta est, idque Cic. in Pis. c. 36 ipse tradit. Rediit igitur Piso, quamvis successor nondum advenisset, exeunte aestate anni 55 reversusque in senatu conquestus est de Ciceronis accusationibus, cui ille oratione, quae item extat, respondit, quam orationem paulo ante dedicationem theatri Pompeiani esse habitam discimus ex c. 27. Non magnas ille res in Macedonia gesserat, sed prospere tamen vel ipse vel per legatos cum barbaris pugnarat, ut propterea imperator a militibus appellaretur: senatus quidem ad quem quae scriptae erant litterae, quia interim minus bene rem gesserat, retentae erant ab amicis, nihil de eius honore decrevit. Vide Cic. in Pis. c. 16 et 19.

Successit autem Pisoni *Q. Ancharius Q. f.,* quem Cic. in Pis. c. 36 nominat. Eum tribunum plebis fuisse videmus anno 59, fortem atque optimatium amicum (Cic. p. Sest. 53; Schol. Bob. p. Sest. p. 304 et in Vat. p. 317), praetorem anno 56, ut rite ei anno 55 provincia aliqua obtingere debuerit. Obtinuit autem Macedoniam consulari cum imperio consularique exercitu; nam proconsule appellatur a Cic. epist. XIII, 40, qua ei amicum aliquem commendat.

Post hunc Ancharium lacuna est triennii vel quadriennii, quo nullus Macedoniae praeses nominetur. Neque Ancharius ipse, quando decesserit inveniri potest nisi coniectura. Qui cum exeunte anno 55 in provinciam venerit, eam certe etiam anno 54 obtinuit. Sed deinceps silentium apud scriptores est usque ad annum fere 50 a. Chr. Pighius in Ann. III p. 414 affert ille quidem L. Caninium Gallum, quem Achaiae vel finitimae alicui provinciae praefuisse putat; sed unum hoc argumentum habet, quod Cic. epist. II, 8 mense Quinctili anni 51 cum in Ciliciam proficisceretur, se ait per decem dies, quos Athenis commoratus est, multum fuisse cum Caninio Gallo. Fuit hic Caninius tribunus plebis anno 56 rogationemque tulerat, ut Pompeio sine imperio negotium daretur Ptolemaei reducendi (Plut. Pomp. 49;

Cic. ad Q. fr. II, 2, 3 et II, 6, 5), neque alius ullus eius magistratus certo commemoratur. Neque hoc tantum cogitari potest, quod volebat Pighius, cum imperio eum fuisse Athenis, verum etiam illud, quod plurimis tunc accidit, fuisse ibi in exilio post damnationem. Est certe accusatus anno 55 defensusque a Cicerone (Cicer. epist. VII, 1, 4), condemnatus etiam, si, quod sane est simillimum veri, hic est ille, quem Valer. Max. IV, 2, 6 narrat tanta fuisse animi aequitate, ut accusatore suo deinde procuratore uteretur. Ac damnationem eius videtur confirmare, quod in belli civilis turbis non commemoratur neque in Caesaris neque in Pompeii partibus: illud tamen est certum, restitutum eum a Caesare vixisse in Italia, ubi mortuum esse anno 44 narrat Cic. ad Att. XVI, 14, 4. Quare ex numero praesidum Macedoniae vel Achaiae eum eximere non dubitavimus.

Lacuna igitur quaedam est fere triennii; sed operae tamen pretium est quaerere, utrum consulares viri an praetorii per id intervallum Macedoniam rexerint. Valebat anno 55 et 54 etiamtunc lex Sempronia, cuius praecipuum caput hoc fuisse constat, ut ante comitia consularia futuris consulibus a senatu provinciae decernerentur, quas exacto consulatu regerent. Quare, si anno 53 consularis futura erat Macedonia, decerni debebat anno 55 ante comitia consulum anni 54. Ac si decernerentur iis consulibus provinciae, videtur sane Macedonia decerni debuisse, quia, quae aliae provinciae solebant esse consulares, ab aliis obtinebantur. Nam Gallias habebat Caesar ex lege Vatinia, Hispanias Cn. Pompeius, Syriam M. Crassus ex lege Trebonia. Quare, cum Africa et Asia ex longo tempore praetoriae esse solerent, relinquebantur Cilicia, Bithynia, Macedonia. Ex his Bithyniam quoque, ex quo in potestatem populi Romani redacta est, plerumque praetoriam fuisse video; Ciliciam autem accepit Ap. Claudius Pulcher, decessor Ciceronis in ea provincia, unus consulum anni 54, ut si alter etiam provinciam accepisset, non dubium sit quin Macedonia ei eventura fuerit. Etiam hoc intelligitur, factum esse quod lex Sempronia iubebat, ut anno 55 rite consulibus futuris a senatu provinciae decernerentur. At alterum ex consulibus anni 54, L. Domitium Ahenobarbum, novimus non esse profectum in provinciam; nam anno 52 in Milonis iudicio electus est ex consularibus a Cn. Pompeio, qui praeesset (Cic. p. Mil. 8), eaque causa fuit, cur ei anno 49 ex lege Pompeia, de qua paulo post dicemus, Gallia provincia decerneretur (Caes. bell. civ. I, 6). Efficitur, ut anno 53 si successum est Q. Anchario, successerit praetorius vir. Veruntamen iure dubitari potest, num praetorius aliquis successerit. Etenim scimus nos quidem, solitum praetorum numerum esse factum, T. Annium Milonem, C. Alfium (Cic. ad Q. fr. III, 1, 7, 24), M. Catonem, Cn. Domitium Ahenobarbum (Cic. ad Q. fr. II, 13), P. Servilium (Cic. ad Q. fr. III, 4), Servium Galbam (Dio XXXIX, 65), denique duos alios, quos Pigh. Ann. III p. 396 suspicatur fuisse M. Marcellum et C. Considium Longum; de Catone etiam sic narrat Plut. Cat. c. 45: *αὐτὸς μὲν*

γαρ, ἔφη, διδομένης μοι μετὰ τὴν στρατηγίαν ἐπαρχίας ἀπέστην, sed hoc nihil tamen aliud demonstrat, nisi actum esse in senatu de provinciis praetoriis, qua in actione Cato negaverit sui rationem esse habendam; sortitionem vere esse factam et ornationem non docet. Nec videtur esse facta; nam primum Dio Cassius XXXIX, 45 de rebus urbanis huius anni disputans sic ait: Ἔστι μὲν γὰρ ὅτε καὶ οἱ ὄρνιθες τὰς ἀρχαιρεσίας ἐπέσχον, οὐ βουλόμενοι τοῖς μεσοβασιλεῦσι γενέσθαι· μάλιστα δὲ οἱ δήμαρχοι, τὰ πράγματα τὰ ἐν τῇ πόλει διέποντες, ὥστε καὶ τὰς πανηγύρεις καὶ ἀντὶ τῶν στρατηγῶν ποιεῖν, ἐκώλυον τὰς ἀρχὰς (i. e. consules) αἱρεθῆναι. Quodsi ita illo anno tribuni plebis agebant, ut omnibus magistratibus impeditis ludos, quos a praetoribus edi religio postulabat, ipsi facerent, num eos concessisse putamus, ut provinciae praetoriae, in quibus ex ipsa lege Sempronia licebat iis intercedere (Cic. de prov. cons. 7), decernerentur et ornarentur? Ac scimus tantas fuisse in senatu contentiones, tantas dissensiones, ut ipsorum consulum provinciae, quae essent decretae, non tamen ornarentur. Diximus enim fuisse in consularibus provinciis a senatu decretam Ciliciam; sed opus praeterea erat, ut ornarentur eae lexque curiata de imperio ferretur. Sed neutrum confici potuisse docet Cic. epist. I, 9, 25; ad Q. fr. III, 2, 3; ad Att. IV, 16, 12, qui mense fere Octobri cum nondum lex curiata lata esset, narrat Appium cogitare sine ea in Ciliciam abire. Qua in re maxime memorabile est, quod Appius in senatu dixisse fertur, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset lata, se paraturum cum collega in Ciliciamque successurum, ut illo mense ne sortitionem quidem, qua ipsos inter consules opus erat, factam esse videamus. Iam successisse constat anno 53 Appium Claudium, sed utrum cum lege curiata an sine ea, non traditur. Equidem, cum tumultus urbani exeunte anno aucti sint, non imminuti, non latam esse suspicor eaque res movisse videtur L. Domitium, collegam Appii, minus provinciae cupidum, ut abire omnino Roma nollet. Appius quidem proficiscendi causam eam habebat, quod motis per Crassum Orientis rebus incitatisque contra Romanos Parthorum copiis aliquid gloriae bellicae etiam in Cilicia parari posse putabat; Macedonia, quam alteram consularem provinciam fuisse statuimus, quia quieta erat, ambitionem minus invitabat. Etiam illud hoc loco poterit afferri, quod Appius, ut anno 50 ex provincia Romam rediit, a Dolabella maiestatis accusatus est (Cic. epist. III, 10 init. et III, 11, 2), quasi maiestatem populi Romani lege curiata negligenda imminuisset. Quo crimine etsi absolutus est, tantum tamen ipse accusationis nuncius apud eum valuit, ut triumphi spe deposita urbem intraret (Cic. epist. VIII, 6). Quodsi consulares provinciae nondum ornatae erant, certe consules non patiebantur praetorias decerni et ornari, qua re suis commodis postpositis alios adiuvissent. Accedit denique, quod nullum ex praetoribus huius anni 54 novimus, qui provinciam administrarit. Nam M. Catonem Romae

mansisse et diximus et plurimis ex rebus constat; T. Milonem acerrima per totum annum 53 certamina in petendo consulatu cum P. Clodio exercuisse notum est, quae certamina eum eventum habuerunt, ut a. d. XIII Kal. Febr. anni 52 Clodius occideretur, Milo ipse paulo post in exilium eiiceretur. M. Marcellus in illo iudicio Milonis Romae fuisse narratur a Cic. ad Q. fr. II, 3, 1; Ascon. in Mil. p. 35; C. Considium postea ex lege Pompeia Africae praefuisse constat (Cic. p. Lig. 1); Servium Sulpicium Galbam aspirasse ad consulatum tradidit Suet. Galb. 3, quem cum prope certo speraret in annum 49, depulsus est ab inimicis Caesaris (Caes. bell. Gall. VIII, 50), quare eum Romae potius mansisse quam in provinciam abisse suspicamur. De ceteris nihil traditur, in quorum numero cum sint duo nobilissimi homines, Cn. Domitius Ahenobarbus et P. Servilius, eius qui primus Isauricus appellatus est, filius, si quas accepissent provincias, vix videtur apud auctores horum temporum potuisse taceri; at in turbis urbanis enarrandis homines quieti ac boni cives, quales illi duo fuisse traduntur, prae multitudine improborum facile poterant silentio praeteriri. Quae cum ita sint, videtur effici, ut anno 54 nullae omnino praetoriae provinciae decretae aditaeque sint atque Q. Ancharius Macedoniae possessionem etiam anno 53 retinuerit, simili de causa, qua C. Verrem, cui Q. Arrius quamvis decreta provincia non successisset, per triennium praefuisse Siciliae constat. Quodsi anno 54 nulla provinciarum sortitio facta est, non magis certe facta est anno 53, quippe quo consules ipsi septimo demum mense creati sint. Qui postquam inierunt magistratum, cum in aliis omnibus negotiis suscipiendis impedirentur, senatusconsultum tamen fecerunt, quod frustra, ut videtur, iam anno ante temptatum erat (Cic. ad Att. IV, 16, 5), *μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μηθ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν ἂν πέντε ἔτη διέλθῃ, λαμβάνειν* (Dio XL, 46). Hac nimirum ratione putabant fore, ut eorum, qui continuo provincias magnasque ex iis divitias sperarent, cupiditates coercerentur. Sic cum senatus statueret, iam nec consulibus in annum 52 designandis nec praetoribus eius ipsius anni provincias decernere poterat; illud modo quaeritur, an ex eorum, qui superioribus annis consules et praetores fuerant, numero elegerint, quibus provincias decernerent. Ac senatnsconsultum fortasse factum est; sed irritum id fuit propter tribunorum plebis intercessiones. Cuius rei apertum testimonium est in eo, quod Cn. Pompeius, ubi anno 52 solus consul factus est, cum ambitionis continendae causa de universo iure magistratuum legem ferret (Suet. Caes. 28), illud retulit, quod in SC. fuerat, ut, qui in urbe magistratus gessissent, quinquennio post provincias sortirentur (Dio XL, 56). Hinc certo colligimus, et anno 53 et 52, dum lex illa Pompeia perlata est, Q. Ancharium in Macedonia relictum esse. Sed qui deinceps ei provinciae praefuerit ut inveniamus, consideranda est paululum ipsa lex Pompeia, in qua si erat, ne quis consul praetorve ante quinquennium ab exacto magistratu provinciam sortiretur, scriptum

etiam hoc esse oportebat, qua ratione interim provinciae, quarum imperia per plus quam biennium prorogata essent, haberentur. Id senatui permissum esse arbitror, qui cum opus erat, decernebat, ut superioribus annis qui consulatum praeturamve gessissent necdum provincias administrassent, ii extra ordinem provincias acciperent. Etenim Cic. epist. II, 15, 4, rationem reddens, cur decedens ex Cilicia fratrem non praeposuisset provinciae, sic ait: *Fortasse etiam illud adderent, senatum eos voluisse provinciis praeesse, qui antea non praefuissent: fratrem meum triennium Asiae praefuisse.* Cf. ad Att. VI, 6, 3. Eandemque prorsus sententiam habet senatus auctoritas anno 51 perscripta, quae est in Caelii epistola ad Ciceronem (Epist. VIII, 8, 8), de qua auctoritate infra amplius dicendum erit. Sive igitur lex ipsa Pompeia eos, qui nondum provincias habuissent, intra quinquennium eligi iubebat, sive quod magis existimo, hoc, de quo nihil in lege esset, senatui relictum est, illud constat, proximis annis mandatas esse provincias iis, qui antea nondum in provinciis fuerant.

Iam primum quaeritur, utrum praetorio tunc viro an consulari tradita sit Macedonia. Ex consularibus, quibus provincia mandata est, vetustissimus erat M. Cicero, cos. ann. 63, Appio Claudio successor in Ciliciam missus, nec puto ultra illius aetatem senatum ascendisse, vel si ascenderet, prohibitum esse eorum, qui eligebantur, auctoritate, qui quia seniores essent, provinciae excusationem iure suo petere viderentur. Nam ex cos. ann. 64 C. Marcius Figulus hoc, in quo versamur, tempore decesserat (Cic. de leg. II, 25, 62), L. Iulius Caesar vivebat ille quidem (Cic. Phil. II, 6), item L. Aurelius Cotta, cos. ann. 65, (Cic. epist. XII, 2, 3), sed uterque ea aetate erat, ut otium urbis praeferret. Itaque recte videmur facere, si neminem, qui ante Ciceronem gesserat consulatum, ad provincias tunc admissum esse statuimus. Ex collegio autem anni 62 D. Iunius Silanus accepit provinciam, de qua paulo post plura dicemus, L. Murena non videtur accepisse; nam etsi Pighius Ann. III p. 341 dubitat, an Bithynia ei obtigerit, ac certe vixit hoc tempore (Cic. ad Att. XIII, 50, 5), nunquam tamen turbulentissimis temporibus, quae secuta sunt, nominatur, ut otium ab illo quoque praelatum esse sit probabile. Ex collegio anni 61 M. Pupius Piso iam ex praetura Hispaniam obtinuerat (Cic. p. Flacc. 3) ex eaque triumphum egerat, eaque causa erat, cur ei quamvis cupienti Syria non traderetur ex consulatu (Cic. ad Att. I, 16, 8), neque hoc tempore, si superfuit (erat enim longe maior natu quam Cicero ac mortuum fuisse ante ann. 45 constat ex Cic. ad Att. XIII, 19, 4), ratio eius haberi potuit, quoniam Ciceronem vidimus noluisse fratri legato tradere provinciam, quod is ex praetura Asiam rexisset. Sed collega Pisonis M. Valerius Messalla Niger Menogenes nullam sane provinciam videtur accepisse; at pro solatio quodam habebat censuram anno 55 collega P. Servilio Isaurico, atque ideo videtur tunc lege exclusus esse, quia ea demum quinquennio post magistratum gestum

permittebat sortiri provinciam. Consules anni 60 constat provincias rexisse, L. Afranium Galliam cisalpinam, Q. Metellum Celerem transalpinam; ex anno 59 alter consul M. Calpurnius Bibulus provincia caruerat; de anni 58 consulibus, Pisone et Gabinio, qui Macedoniam et Syriam acceperant, multa supra dicta sunt; anno 57 qui consules fuerant, P. Lentulus Spinther et Q. Metellus Nepos, ille Ciliciam, hic Hispaniam citeriorem obtinuit; denique anno 56 Cn. Lentulus Marcellinus et iam ex praetura Syriam rexerat ante Gabinium (App. Syr. p. 119), et cum nullam ex consulatu provinciam acceperit, ita non commemoratur per turbas civiles insequentium annorum, ut non falsa esse videatur quorundam suspicio, qui vel ante eas vel in iis decessisse eum putant; certe mortuum fuisse anno 47 discimus ex Cic. Brut. c. 70, quia ibi viventes nulli oratores recensentur. At collega eius L. Marcius Philippus neque ante consulatum provinciae praefuerat neque praefuit continuo post eum, quare inde ab anno 57 eius ratio habenda erat. Sed non esse habitam ostendit Caes. bell. civ. I, 6, qui referens de provinciarum distributione, quam anno 49 Pompeiani fecerunt, sic ait: *Provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia, Philippus et Marcellus privato consilio praetereuntur.* Quo tempore primum observabimus in Scipione aperte legem Pompeiam ab ipsis Pompeianis esse violatam; triennio enim ante anno 52 consulatum gesserat. In L. Domitio servabatur, quoniam ipse quintus annus ab eius consulatu erat. At Philippus non dubitatur quin fuerit cos. anni 56, de quo modo diximus, quem quod queritur Caesar esse praeteritum, hinc intelligimus non esse antea missum in provinciam. Marcellus autem ille quis fuerit, dubium est neque lectio eo loco certa; in multis enim codicibus pro Marcello nominatur Cotta. Equidem Marcellum utique falso nominari perspicio. Etenim cum in provinciis decernendis temporis rationem haberi necesse sit, ut quod consulum collegium tempore antecedat, id item in provinciis dividendis praeferatur, quae ratio cum per se ipsa appareat, tum ex senatus auctoritate apud Cic. epist. VIII, 8, 8, de qua et supra dictum est et infra dicetur, perspicue intelligitur: temporis igitur rationem cum haberi necesse sit, Marcellus quidem nullus in consulem serie reperitur ante L. Domitium et Q. Scipionem, sed M. Marcellus in collegio anni 51, C. Marcellus anno 50, qui modo magistratu decesserat. Nec vero rectius de Cotta, i. e. L. Aurelio Cotta, cos. anni 65, qui in multis codicibus nominatur, potest cogitari; quia enim biennio ante Ciceronem, sexennio ante Bibulum consul fuerat, si omnino in provinciam mitteretur, ante illos, quos anno 51 provincias accepisse dicemus, mittendus fuerat. Quare de eo tantum, qui post Bibulum consulatum gesserit necdum ex eo in provincia fuerit, poterit accipi, nec alius quisquam relinquetur nisi Cn. Lentulus Marcellinus, collega L. Philippi ann. 56, quem non alia de causa quam quod minus idoneus ac valetudine parum prospera uti videretur, a Pompeianis prae-

teritum esse puto; nam Philippo affinitas Caesaris obstabat. Illud quaeri possit, cur, cum consulum, qui anno 54 et 52 fuerant, ratio habita sit, consules anni 53 Cn. Domitius Calvinus et M. Valerius Messala nec provincias accepisse nec praeteriti esse narrentur, sed prorsus silentio praetermittantur. Sed M. Messalam novimus condemnatum esse anno 51 lege Licinia (Cic. epist. VIII, 2, 1 et 4, 1) ordinemque recuperavit postea demum a Caesare; Cn. Domitius effugit ille quidem iudicum severitatem (Cic. epist. VIII, 11, 2), sed cum eius fidelissima opera Caesar in bellis civilibus usus sit (Caes. bell. civ. III, 34 sq.), abfuisse cum iam tunc ab urbe et cum Caesare versatum esse suspicor.

Quae cum ita sint (redeundum enim est in disputationis nostrae cursum), anno 52 cum lex Pompeia perlata esset, intelligimus consulares viros, quibus provinciae tradi possent, fuisse M. Tullium Ciceronem et M. Calpurnium Bibulum; nam eorum, qui anno 56 consules fuerant, nondum recte poterat ratio haberi. Eorum autem, quos diximus, Cicero in Ciliciam missus est, Bibulus in Syriam, unde efficitur ut Macedonia provincia, de qua quaerimus, tradita sit praetorio viro, et quidem ex lege Pompeia, i. e. non proxime superioris anni alicui praetori, sed iis, qui ante quinque annos praeturam gessissent necdum provinciam accepissent. Iam anno 50 Cicero sic scribit ad Atticum (VI, 1, 13): *Thermum, Silium vere audis laudari; valde se honeste gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles. Iam Scrofa vellem haberet ubi posset. Est enim lautum negotium. Ceteri infirmant πολίτευμα Catonis.* Apparet Ciceronem respondere Attico suam Ciliciae administrationem laudanti aliosque item vicinarum provinciarum rectores commemoranti; nam Manutii opinio, qui de libello aliquo Scrofae in laudem Ciceronis scribendo dici putat, certe reiicietur. Ex quattuor autem his viris, quos Cicero nominat, novimus tres, Bibulum, qui Syriae tum ex lege Pompeia praeerat, Q. Minucium Thermum, qui Asiae (cf. Bergmanni disputationem de Asiae Romanorum provinciae praesidibus in Philologo ann. 1847 p. 678), denique P. Silium Nervam, qui Bithyniam regebat (Cic. epist. XIII, 61 sq.). At M. Nonius ille parum notus est. Sed idem tamen videtur esse, cuius fiducia in castris Pompeii post pugnam Pharsalicam commemoratur apud Plut. Cic. c. 38, qui imperium habere ad urbem dicitur apud Cic. ad Att. VIII, 15, 3: *Sed memento praeter Appium neminem esse fere, qui non ius habeat transeundi. Nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Sufenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules;* nam ut Q. Minucium Thermum, qui Asiae praefuerat, imperium ab Pompeianis accepisse constat ex Caes. bell. civ. I, 12; Cic. ad Att. VII, 13, 7 et 23, 1, item puto M. Nonium Sufenatem. Inde simul hoc colligemus, eum praetorium virum fuisse; sed quando praeturam gesserit, non magis constat quam in Thermo et Silio Nerva, ut utrum ex lege veteri Sempronia an ex lege nova Pompeia provincias acceperint incertum sit. Subvenit mentio Scrofae. Is enim est Cn. Tremellius Scrofa, quem XXvirum

lege Iulia agraria fuisse diximus in comment. epigr. p. 286, neque ad id munus esset admissus, nisi antea praetura functus esset (nam omnes illi XXviri, quos novimus, praeter unum L. Balbum, qui coniectura eaque satis incerta effectus est, praetorii ordinis erant), ac praetorius appellatur a Varr. de re rust. II, 4, 2. Quare recte puto eum a Pighio inter praetores anni 60 collocatum esse. Sic hunc quidem post tot annorum intervallum intelligimus ex lege Pompeia provinciam sortitum esse nec minus existimo reliquos praetorios illos, quorum praetura certe definiri nequit. Sed cui provinciae praefuerit M. Nonius, cui Scrofa, non traditur. Relinquuntur autem anno 50 ex omnibus provinciis vacuae quattuor, Sardinia, Creta, Cyrenae, Macedonia; nam Asiam, Bithyniam, Ciliciam, Syriam ab aliis rectas esse vidimus; Gallias tenebat Caesar, Hispanias Pompeius, Siciliam constat paruisse T. Furfanio (Cic. ad Att. VII, 15), Africam C. Considio Longo (Cic. p. Ligar. init.). Iam de Sardinia, quae obscurior est provincia et sane remota a Cilicia, in qua tunc Cicero versabatur, nemo facile cogitabit; suspicor etiam iam tunc eam fuisse sub imperio M. Aurelii Cottae, qui expulsus est a Q. Valerio, Caesaris legato (Caes. bell. civ. I, 30; Cic. ad Att. X, 16). Supersunt igitur Creta et Cyrenae et Macedonia, ex quibus Cyrenas M. Nonio, Macedoniam Cn. Tremellio tribuit iam Pigh. Ann. III p. 420. Recte, ut existimo, certe de Macedonia, eam maxime ob causam, quod Cicero eius negotium lautum esse ait. Provincia enim Macedonia, quae Achaiam complectitur, illustris est eiusque nomen qui recte ac cum laude eam administret, longe magis celebrat, quam si quis in Cyrenis aut alia provincia minus nota rem bene gerat, atque ipse Cicero nonnunquam queritur, provinciam parum celebrem a se administrari. Vide at Att. V, 20 init., ubi suam provinciam cum ipsa Macedonia confert.

Sic igitur *Cn. Tremellium Scrofam* Macedoniae praefuisse statuamus et quidem continuo post Q. Ancharium, quia ante octo fere annos praetor fuerat, ut exeunte anno 52 vel ineunte 51 successerit. Quod cum per se ipsum satis memorabile sit, quia docet, quanta tunc non urbanarum modo, verum provincialium etiam rerum fuerit confusio ac perturbatio, tum insigne est argumentum Achaiam, quamvis pareret imperio Romano, tamen nondum pro peculiari provincia esse numeratam. Quod qui putabit, illum de rectoribus provinciarum locum Ciceronis, quem citavimus, nullo modo poterit expedire. Sed maius etiam argumentum potest peti ex iis, quae deinde acta sunt. Nam cum anno 52 in omnes provincias praeter eas, quas Caesar et Pompeius obtinebant, praesides missi essent, agendum erat anno insequenti, quos iis successores mitti placeret, idque eo magis, quod tunc certamen inter Caesarem et Pompeium accendi incipiebat. De ea re quid actum sit, narrat imprimis Caelius in epistola ad Ciceronem VIII, 8, scripta fere Octobri mense anni 51, atque ipsa senatus consulta vel auctoritates, quae tunc facta sunt, affert. Ex iis tres primae

auctoritates pertinent ad Gallias, quas Pompeius eiusque socii Caesari eripere cupiebant; quarta haec est: *Itemque senatui placere in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore* (vel *pro praetoribus*, ut Gronovius non sine causa emendabat) *obtinerent, eos, qui praetores fuerunt neque in provinciam cum imperio fuerunt, quos eorum ex SC. cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere: si ex eo numero, quos ex SC. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent qui in eas provincias proficiscerentur: tum uti quodque collegium primum praetorum fuisset neque in provincias profecti essent, ita sorte in provinciam proficiscerentur: si ii ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii qui praetores fuissent neque in provincias profecti essent, in sortem coicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.* Haec auctoritas primum eo memorabilis est, quod numerum provinciarum, quas tunc Romani habebant, videtur indicare. Etenim hoc apparet, Gallias, de quibus separatim senatus quid placeret censuerat, non numerari, nec magis numerari Hispanias, quas Cn. Pompeius habebat, quippe quas Pompeiana factio, tum senatus domina, retineri ab eo vellet. Ac tenebant eas tunc consulares viri, Caesar et Pompeius. Sed item Bibulus, qui Syriae praeerat, consularis erat, ut ne haec quidem in recensum venire posset. Quibus quinque demptis provinciis reliquae fiunt ipsae octo, Sicilia, Sardinia, Africa, Macedonia, Asia, Bithynia, Creta, Cyrenae, quarum de duabus postremis provinciis infra plura dicturi sumus, denique Cilicia, ut numerus ille, quem Cicero habet, recte expleatur. Sed quid tandem est, cur Cilicia separatim nominetur? Obtinebatur enim tunc non minus a proconsule quam Syria, nec dissimilis eius videtur fuisse causa. Sed diversa tamen fuit vel quod Ciceronem, firmissimum suum praesidium, senatores imprimis in urbem reverti volebant ideoque nominatim de provincia, quam habebat, perscribebant, id quod satis causae videtur esse, cur Cilicia a ceteris consularium virorum provinciis seiungatur, vel quod ceterae minus certe, dum successor missus esset, Cilicia condicione accuratissima in annum modo erat mandata, ut statui de ea necesse esset. Nam quod de Ciliciensi provincia valebat, idem de ceteris quodammodo valuisse ostendit et quod uno tempore de iis in senatu actum est et Cic. ad Att. VIII, 3, 3, quo loco infra denuo utemur. Cicero autem postquam in provinciam venit, non modo hoc semper ab amicis postulat, efficiant, ut sibi succedatur vel certe ne tempus suum prorogetur (vide epist. VIII, 10, 5; II, 10 extr. cf. ad Att. V, 21, 3 et VI, 1, 11), verum aperte annuum imperium sibi datum esse significat epist. II, 7, 4: *Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia meaque item in te singulari rogo atque oro, ne patiare quicquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari — ut et senati consultum et leges defendas eaque mihi condicio maneat, qua profectus sum*, et epist.

XV, 14, 5: *De me autem idem tecum his ago litteris, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus annuam esse voluit, temporis prorogetur.* Reliquas provincias consulares et superiore tempore intelligimus per biennium fere consuevisse obtineri, et postea dictator Caesar, cum provinciarum tempus, ne nimis potentes fierent praesides, quam maxime coartaret, biennium tamen teneri voluit: Cicero sibi Ciliciam in annum datam esse ait eaque ratione saepius provincialem suam operam metitur (ad Att. VI, 2, 4). Nunquam quaerit de aliarum provinciarum rectoribus quid fiat, quasi nihil id ad se pertineat; sibi modo ut condicio, qua ierit, servetur laborat. Nonne igitur probabile est ei, cum alia ratione urbem relinquere nollet, praeter ceteros datum esse, ut annua modo administratio mandaretur? Quodsi ita est, Ciliciae peculiarem aliquam mentionem factam esse non mirum est. Veruntamen aliam difficultatem exhibent haec, quae sunt in SC: *in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent.* Etsi enim nondum antecesserat senatus auctoritas, qua Galliae duae, quas tunc Caesar habebat, consulares deinceps provinciae, reliquae omnes praetoriae esse iuberentur, necdum constabat, quae consulares futurae essent provinciae (id enim aperte intelligitur ex primo SC., quod Caelius cum Cicerone communicat, in quo sunt haec: *uti L. Paulus C. Marcellus cos. cum magistratum inissent, ex a. d. Kal. Mart., quae in suo magistratu futurae essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent),* sed etsi nondum constabat de consularibus provinciis, per Latinitatis tamen leges nihil potest senatus dicere, nisi hoc, tunc ipsum octo illas provincias teneri a praetoriis viris itemque eas in reliquum placere esse praetorias. Quodsi quis *quas praetorii pro praetoribus obtinerent* velit esse eas, quae deinceps a praetoriis viris teneri iubeantur, non modo Latinitatem, ut diximus, offendat, verum etiam eandem sententiam subiiciat, quae in iis, quae sequantur, inest. Ita et hoc necessario fecimus, ut Syriam ex numero provinciarum, de quibus senatus decerneret, eximeremus, et reliquis omnibus praetorios viros pro praetoribus praefuisse statueremus. At pugnat cum his, quod quidam de quaestoriis populi Romani provinciis opinantur. Etenim Borghesius apud Th. Mommsenium in Actis societ. academ. Lipsiens. ann. 1850 p. 198, ubi agit de Livii quod putabatur, sed Sallustii est fragmento Pertziano, duas res novas inde effici ait, primum de tempore quo Cyrenae in provinciae formam redactae sint, qua de re hoc loco disputare alienum est (cf. nunc Kritzius in Sallustii historiarum fragmentis, Lipsiae 1853, p. 152), deinde de forma ipsa provinciae. Nimirum cum in fragmento illo narretur Lentulus Marcellinus quaestor in novam provinciam Cyrenas missus esse, confirmari putat, quod ipse dudum statuisset, Cyrenaicam ante imperatorem Augustum non praetoriam fuisse provinciam, sed quaestoriam. Quamvis enim senatus eam C. Cassio praetori anno 44 decerneret, qua de

re infra uberius dicemus, tamen nec illum accepisse provinciam et eius praesides modo quaestorios notos esse, M. Iuventium Laterensem (Cic. p. Planc. 5 et 26) et A. Pupium Rufum (Eckhel. Doctr. numm. IV p. 126). Itemque Cyprum fuisse provinciam quaestoriam; nam et Catonem, qui in provinciae formam redegerit, fuisse quaestorem pro praetore, et C. Sextilium Rufum, ad quem epistola est Ciceronis libr. XIII, 48. Haec etsi acute observata sunt, tantum tamen abest, ut vera esse existimem, ut nullam unquam provinciam fuisse statuam, quae proprie posset appellari quaestoria nec in libera republica neque sub imperatoribus. Neque enim potuit ulla esse, quia quaestores carent imperio, iis qui rempublicam administraturi sunt necessario. Quare extra ordinem vel praetore antequam successor advenisset ex provincia profecto ut quaestor regeret provinciam potuit fieri, ut perpetuo quaestores ac legitime praeessent provinciae, fieri non potuit. Nam quod Borghesius C. Sextilium Rufum, quaestorem in Cypro insula, affert, quid docet eum non paruisse propraetoris alicuius imperio? Dicitur ille quidem *primus in eam insulam quaestor venisse,* sed nonne licet hoc ita interpretari, ut tunc primum praesidi Ciliciae, cui adiuncta erat Cyprus, additum esse putemus quaestorem, qui ipsius auspiciis Cyprum regeret? Nam antea constat, ex Ciceronis exemplo, unum tantum fuisse praesidis illius quaestorem eumque in ipsa Cilicia (vide Drumann. hist. Rom. VI p. 113). Atque adeo sic oportet intelligi, quia nulla alia ratione Cicero Sextilium primum insulae quaestorem appellare potuit. Quae cum in provinciae formam redigenda esset, Vellei. II, 45 ait M. Catonem quaestorem cum iure praetorio adiecto etiam quaestore missum esse ex lege Clodia, ut et quaestorem pro praetore et alium quaestorem Cypri fuisse videamus. At quaestor, qui Ciliciae praesidi pareret, nondum sane ullus fuerat. Item Cyrenis Laterensem num Cicero ait praefuisse pro praetore? Immo *liberalem in publicanos, iustum in socios,* de virtute provinciae defensae nihil habet, ut nihil praeter pecuniam et frumentum et reditus tractasse videatur. Similisque videtur causa esse Lentuli Marcellini, de quo in fragmento Sallustiano mentio fit, ubi si antecessisse statuamus de praetore aliquo Cyrenas mittendo, nonne omnia plana erunt, ut verba illa tantum intelligamus, quantum in tantulo fragmento potest postulari? Unus autem ille A. Pupius extra ordinem, cum vel ipse praeses nondum venisset vel, quod magis credo, dictator Caesar aliquem qui praeesset mittere vellet, insulam administravit. Accedit huc denique C. Cassii exemplum, quod minus recte videtur Borghesius interpretari, quasi tunc aliter ac consuetudo tulerit senatus decrerit. Sed de hoc tamen infra plura disputabuntur: nunc SC. illud, quod attulimus, explicare volebamus.

Actum igitur, ut ad Macedoniam Tremelliumque Scrofam, quem ei praefuisse didicimus, revertamur, iam anno 51 de provinciis et consularibus et praetoriis, maioresque actiones indictae erant in Kal. Martias anni 50, quo L. Paulus et C. Marcellus consulatum habi-

turi erant. Sed nihil actum esse per totum annum opera imprimis Curionis, tribuni plebis, et L. Pauli, alterius consulis, et L. Pisonis censoris, qui cum impugnari viderent Caesarem, cui favebant, omnia de provinciis senatusconsulta impediebant, narrat Dio XL, 62 et 63. Idemque plenius colligitur ex epistolis Ciceronis, cui Caelius epist. VIII, 11, 2 scribit mense fere Iunio omnem contentionem coniectam esse in provinciarum causam, quae quomodo deinde per totum annum impedita sit, refertur in epist. VIII, 13, 2 et 14, 2 et ad Att. VIII, 7 et VII, 5 et 9. Quae cum ita sint, consentaneum est, ut ne Cn. quidem Tremellio in Macedoniam successor missus sit. Sed potuit tamen decedere ipse provinciaque, dum alius a senatu mitteretur, interim legato vel quaestori tradita in urbem reverti. Ac videtur sane. Non affero, quod Cicero ipse, quam primum potuit, in urbem properavit (eius enim causa singularis fuit), nec quod Bibulus rediit, qui consularem provinciam tenuerat (Cic. ad Att. VII, 3, 5), sed communiter de omnibus loquitur Cic. ad Att. VII, 3 init.: *Sic enim scito, verbum in senatu factum esse nunquam de ullo nostrum, qui provincias obtinuimus, quo in iis diutius quam ex senatus consulto maneremus.* Unde cum complures tunc decessisse discamus, probabile erit etiam Tremellium Scrofam exeunte anno Romam advenisse, praesertim cum paulo post, ubi multi imperatores in Macedoniam confluxerunt, nulla eius mentio fiat. Quin, si licet de obscuro sane loco apud Cic. ad Att. VII, 1, 8 coniecturam facere, et Scrofa et Silius, qui Bithyniam rexerat, iam redierant in urbem, cum Cicero etiamtunc in itinere laboraret.

Quod anno 50 agi non potuerat, id peractum est anno 49, cum uterque consul Pompeii potentiae faveret. Etenim cum a. d. VIII Id. Ianuarias de imperio Caesaris decretum sublataque tribunorum plebis intercessione ipsi coacti essent ex urbe aufugere, proximis diebus Cn. Pompeio potestas ea est delata, qua ei cum Caesare bellum gerere liceret provinciaeque divisae praeter Hispanias quidem, quas nemo Pompeio eripiendas esse censebat. Quibus demptis duodecim omnino supererant, ex quibus Caes. bell. civ. I, 6 duas ait fuisse consulares, Galliam transalpinam, quae L. Domitio Ahenorbarbo cos. anni 54, et Syriam, quae Metello Scipioni consuli anni 52 obvenit, reliquas praetorias. His qui praefecti sint, non ait ipse; sed scimus tamen Galliam cisalpinam evenisse M. Considio Noniano (Cic. epist. XVI, 12; ad Att. VIII, 11 B § 2), Siciliam M. Catoni (Caes. bell. civ. I, 30; Plut. Cat. 53; Pomp. 61), Sardiniam M. Aurelio Cottae (Caes. bell. civ. I, 30; Dio XLI, 18), Africam L. Aelio Tuberoni (Cic. p. Lig. 7 et 8; Caes. l. l.), Ciliciam P. Sestio (Cic. epist. V, 20, 5, Plut. Brut. 4), denique Bithyniam Calvisio cuidam, quem App. Mithrid. c. 120 ait bellum gessisse cum Pharnace; nam Schweighaeuserus falso appellavit Calvinum, intelligens Domitium Calvinum, qui ab ipso belli initio a Caesare stabat. Ita quattuor relinquuntur provinciae, quibus qui tunc praefecti sint, ignotum est, Asia, Creta, Cyrenae,

Macedonia. Sed ipsi illi, qui noti sunt, ex quo sunt genere? Nimirum secundum legem Pompeiam ex iis, qui superioribus annis magistratus gesserant necdum provincias administrarant. Haud dubie id significat Caes. bell. civ. I, 6, quamvis invidiose referens, cum ait *provinciae privatis decernuntur;* quapropter apud eundem paulo post scribendum est *in reliquas provincias praetorii mittuntur,* non *praetores,* quod vulgo legitur; nam eiicere tamquam additamentum totam hanc sententiolam, quod placuit nuper Nipperdeio, est illud quidem facile, sed levissimum tamen auxilium. Itaque eos, qui consulares provincias obtinuerunt, iam diximus aliquot annis ante consules fuisse, neque ad Metellum Scipionem, triennio ante consulem, descensum esset, si alii, quibus fidem Pompeiani habere possent, fuissent. Item M. Considium praeturam gessisse anno 52 discimus ex Ascon. ad Cic. p. Mil. p. 55, M. Catonem constat ann. 54, P. Sestium anno 53 collocat Pigh. Ann. III p. 404; Tuberonis et Calvisii praeturae certo anno definiri nequeunt, sed tamen vicinae sunt reliquis. Quare eos, quorum nomina ignota sunt, oportet tamen esse ex eodem genere. Atque unus dubitari possit an sit Voconius ille, quem Cic. ad Att. VIII, 15, 3 ait imperium ad urbem habere: *Nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Sufenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules,* ubi Voconius cum iuxta Sestium collocetur, fortasse eadem ratione qua ille imperium videatur accepisse. Nec vero Macedoniae praefuit, sed Cyrenis vel Cretae; nusquam enim nomen eius commemoratur, quod in provincia tam illustri, qualis Macedonia erat, latere non potuit; at Cyrenarum et Cretae qualis fortuna per tempus belli civilis fuerit, a nullo scriptore refertur. Quamquam admodum dubia est res. Etenim C. Fannium, qui una cum Voconio ab Cicerone commemoratur, non credo Bart. Borghes. in Diurn. Arcad. T. XIV p. 391 (obs. num. dec. V, 10) et Bergmanno de Asiae provinciae praesidibus in Philologo anni 1847 p. 680, qui illius sententiam repetit — his igitur C. Fannium Asiae pro praetore vel pro consule praefuisse noncredo. Nam ne commemorem, quando praetor fuerit, non constare (siquidem de sola coniectura eum Borghesius quia pro praetore fuisse putat ex lege Pompeia, ante quinquennium praeturam gessisse statuit), quid tandem est quod in nummis Ephesiorum et Trallianorum appellatur C. FAN. PONT. PR. i. e. *C. Fannius pontifex praetor,* nunquam pro praetore vel pro consule, quae reliquorum praesidum appellationes esse solent? Ferri fortasse posset, si in Graecis nummorum inscriptionibus legeretur; in Latinis quidem ferri non potest, nisi Fannius tunc cum nummi cusi sunt, vere praeturam gessit. Neque res ipsa ab similitudine veri abhorret. Consules enim et praetores quod antiquis temporibus facere consuerant, ut imperio quod habebant extra urbem uterentur, idem tunc initio belli civilis usurpasse tradit Caes. de bell. civ. I, 6 apparetque inde, quod utrumque consulem cum Cn. Pompeio profectum esse coactoque quodam in speciem senatu etiam extra Italiam tamquam in urbe ac sollemni

loco manerent, consuluisse et decrevisse novimus. Itemque ex praetoribus anni 49 ii, qui in Pompeii partibus perseverarunt, cum imperio extra urbem fuerunt, L. Manlius Torquatus (Caes. bell. civ. I, 24 et III, 11), P. Rutilius Lupus (Caes. bell. civ. I, 24 et III, 55; Cic. ad Att. VIII, 12 A 4), C. Coponius (Cic. ad Att. l. l.; Caes. bell. civ. III, 5); atque huius ipsius Coponii extant etiam nummi apud Eckhel. Doctr. numm. V p. 178, in quibus appellatur C. COPONIVS. PR. His igitur tribus praetoribus, qui optimatium factionem secuti sunt, quartum adiungo hunc C. Fannium, quo explebitur collegium praetorum illius anni. Noti enim sunt praeter eos, quos diximus, M. Aemilius Lepidus, L. Roscius, C. Allienus, C. Sosius, quibus quod addidit Pighius in Ann. III p. 435 Sex. Peduceum, sola coniectura utitur eaque parum probabili, pro quo nunc C. Fannium inducemus. Accedit enim ad nummorum certissimum testimonium auctoritas Iosephi Antiq. XIV, 10, 15, qui huius Fannii edictum ad Coos de Iudaeis militia liberandis refert, sic eum appellans: *στρατηγὸς, ἀνθύπατος;* sic enim, non *ὕπατος,* quod vulgo legitur, scribi recte placet Borghesio fallitur-que magnopere Bergmannus, qui quia Fannius a Cic. in Vat. 7, 16 adolescens consularem auctoritatem consecutus esse dicitur, propterea eum putat a Iosepho dici posse consulem. Iam illud nomen *στρατηγός* si in historia Iosephi legeretur, facile de quovis praeside vel de quovis magistratu Romano dici ferrem, cum in edicto reperiatur, nisi ad eum, qui vere praetor sit, pertinere posse nego. Neque adversatur Iosephus l. l. § 13, ubi idem Fannius in epistola magistratus Romani vocatur *ἀρχιστράτηγος*, nimirum ut imperium eius maius esse ostendatur quam L. Antonii, qui pro quaestore in Asia erat. Denique Fannium non accepisse provinciam aliquam docet accurata interpretatio eorum, quae Cic. ad Att. VII, 15, 2 scribit: *Postumius autem, de quo nominatim senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret Furfanioque succederet, negat se sine Catone iturum et suam in senatu operam auctoritatemque quam magni aestimat. Ita res ad Fannium pervenit. Is cum imperio in Siciliam praemittitur.* Quid enim, quaeso? Fannius si sorte Asiam acceperat, quomodo poterat in alienam provinciam mitti? Quis unquam praesidem audivit, antequam in suam abiret provinciam, interim praefuisse alienae? Deinde cur tandem *cum imperio* missum esse ait? Sed facilia haec fiunt intellectu, si Fannium statuamus praetorem fuisse eique extra ordinem a senatu negotium esse datum, ut in Sicilia cum imperio esset, id quod saepe antiquis temporibus accidisse constat. Quo negotio perfunctus in Macedoniam ad Pompeium abiit, sed praecipue in Asia cum imperio versabatur, ubi paulo post pugnam Pharsalicam periit. Nam interitus eius commemoratur a Cic. ad Att. XI, 6 extr. Quae cum ita sint, Asia adiicienda erit ad eas provincias, quarum praesidem nesciamus.

At enim Achaiae commemoratur aliquis praeses, quem si invenerimus sorte accepisse eam provinciam, tenere videbimur eum, qui universae provinciae Macedoniae praefuerit.

Etenim Valer. Max. I, 8, 10 inter oracula memorabilia refert de interitu Appii, qui in indice capitum pro consule nominatur. *Is bello civili* Pompeii et Caesaris *eventum gravissimi motus explorare cupiens viribus imperii (namque Achaiae praeerat) antistitem Delphicae cortinae in intimam sacri specus partem coëgit descendere. — Igitur impulsu concepti numinis instincta virgo horrendo sono vocis Appio inter obscuras verborum ambages fata cecinit. Nihil, inquit, ad te hoc, Romane, bellum: Euboeae Coela obtinebis. At is ratus consiliis se Apollinis moneri ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quae Coelae Euboeae nomen obtinet, ubi ante Pharsalicum certamen morbo consumptus (est).* Eandem prorsus rem narrant Lucan. Phars. V, 68 sq. et Orosius VI, 15, hic quidem hominem appellans Appium Claudium Censorinum addensque *qui iussu Pompeii Graeciam tuebatur.* Sed haec tamen nomina Appius Claudius Censorinus sane molesta sunt. Censorinum enim cognomen in Claudia gente nunquam reperitur. Quare statuendum esset, Censorinum adoptatum esse a Claudio itaque ea nomina coniuncta. Quamquam ne sic quidem illorum ratio satis cum consuetudine congruit, nec in Claudiam familiam ante imperatorem Neronem quemquam per adoptionem insertum esse constat (Suet. Claud. 39). Nec vero hic Appius Claudius ex ignobili aliqua familia potest fuisse. Ne enim urgeamus, quod in indice Valerii Maxime dicitur pro consule (nam incertum est quam ille index auctoritatem habeat), fuit certe vir praetorius, quia imperium ei tribuitur. Iam inter omnes Claudios, qui hac aetate fuerunt, nemo est, in quem haec dignitas cadere possit praeter Appium Claudium Pulchrum cos. anni 54, recteque omnino statuere videtur Baiterus in Onomast. Tulliano edit. Orell. p. 58, qui cum hunc constet anno 50 censorem fuisse cum L. Pisone, apud Orosium emendandum esse existimat *censorius,* ut dignitatem, non nomen illa vox significare videatur. Atque hunc Appium Pulchrum fuisse magnopere omni divinationi deditum scientiaeque auguralis tam peritum, ut librum de ea scriberet, saepe commemorat Cicero, veluti Brut. 77, de leg. II, 13 et III, 4; quare satis intelligitur, cur in tanta rerum expectatione et consuluerit oraculum Delphicum et ei paruerit. Tum scimus eum, quia inimicitias timeret Caesaris (Cic. ad Att. IX, 1, 4), Pompeii partibus sese applicavisse (ibid. VIII, 1, 3). Denique eum circa id quod Valerius Max. significat tempus mortuum esse aperte indicat Cicero, qui de leg. II, 13 de eo tamquam vivo, at de div. I, 58 et Tuscul. I, 16 tamquam de mortuo loquatur. Multaque in eundem modum disputari possunt, quibus prorsus efficiatur, ut Appius qui Graeciae praefuit, idem fuerit ac consul anni 54, vir censorius. Iam hoc si constat, non minus constat ei Achaiam non potuisse sorte contingere, idque duabus potissimum de causis. Primum enim provincias anno 49 supra docuimus divisas esse lege Pompeia, ut eorum ratio haberetur, qui magistratus ante aliquot annos gessissent iidemque nondum provincias rexissent; Appius autem hic Pulcher

decessor fuerat Ciceronis in Cilicia. Deinde certissimo Caesaris testimonio demonstravimus praeter duas, quae nominatae sunt consularesque fuerunt, reliquas provincias fuisse praetorias, quas praetorii viri sortirentur; Appius autem erat consularis. Veruntamen si non sorte a senatu acceperat Achaiam, quo imperio ei praeerat? Nimirum legatus erat Cn. Pompeii, idque aperte significat Orosius, qui eum iussu Pompeii Achaiam tuitum esse ait. Multos enim omnino consulares legatos secum habebat Pompeius, velut M. Bibulum, qui rei maritimae praeerat (Caes. bell. civ. III, 5), P. Lentulum cos. ann. 57 (Caes. bell. civ. I, 15; Cic. ad Att. VII, 23; Ioseph. Antiq. XIV, 10, 18), M. et C. Marcellos cos. ann. 51 et 50 (Cic. ad Att. IX, 1, 4), M. Pisonem cos. anni 61 (Ioseph. Antiq. XIV, 10, 16). Quare non mirum est, Appium Pulchrum, summae dignitatis virum, legatum fuisse Pompeii. Initio ille quidem belli nondum videtur illud munus suscepisse (cf. Cic. ad Att. IX, 1, 4), censurae, opinor, causa, quam nondum deposuerat; quare in Macedoniam transgressum legati eum dignitatem recepisse puto. Nec rursus quicquam admirationis habet, quod de ipsis rebus ab Appio gestis nulla mentio fit. Timore enim impeditus in Euboea delituit ac mox mortuus est. At eius, qui ei successit, mentio fit a Caes. bell. civ. III, 55, P. Rutilii Lupi, praetoris anno 49, de quo supra diximus, qui cum *missus a Pompeio,* ut Caesar ait, Achaiam obtineret, Delphos, Thebas, Orchomenum adversus Caesarianos duces tueri non potuit. Efficitur ex his quae disputavimus, ut Appius Claudius certe Achaiam non sorte a senatu acceperit. Nec vero inde debet colligi, Achaiam tunc seiunctam esse ita a Macedonia, ut duae diversae fierent provinciae. Quidni enim Pompeius, cum tantum hostem sustineret, plures legatos constitueret in iis regionibus, quae uni antea rectori paruerant? Ac fuerant etiam antea cum unus universae provinciae Macedoniae praeesset, plures in ea legati, id quod supra in Metello Cretico docuimus. Quos fuisse etiam tunc sub imperio Pompeii docet Ioseph. Antiq. XIV, 10, 16, qui M. Pisonem legatum insulas quasdam ad Macedoniam pertinentes administrasse indicat.

Quare dum quis tandem vel Asiam vel Macedoniam sorte tunc acceperit quaero, occurrebat aliquando T. Ampius Balbus. Is ter commemoratur apud Ioseph. Antiq. XIV, 10, 13 et 19 in edictis, quae L. Lentulus cos. ann. 49 de Iudaeis militiae onere liberandis fecit, in quibus semel *πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστράτηγος,* bis *πρεσβευτής* modo vocatur. Praeterea eum inde cum Lentulo consule in Graecia vel Macedonia anno 49 versatum esse intelligimus, cum etiam Cic. ad Att. VIII, 11, B, 2 Pompeii partes eum secutum esse narret. Sed multa tamen obstant, quominus eum sorte Macedoniam provinciam obtinuisse statuamus. Certe enim lege Pompeia obtinere non potuit, quia iam antea ex praetura provinciam rexerat (Cic. epist. I, 3, 2). Deinde legatus nominatur a Iosepho l. c., denique etsi aliquamdiu fuit cum consule, tamen minus in Macedonia, quam in Asia videtur negotia habuisse. Nam Caes. bell.

civ. III, 105 narrat eum post pugnam Pharsalicam conatum esse tollere Epheso pecunias ex fano Dianae fugatumque suo adventu, atque alteri edicto, quod Ioseph. l. c. § 13 exhibet, addita est epistola T. Ampii ad Ephesiorum magistratus et populum, quae edicta eum de Asiaticarum maxime civitatum commodis cogitasse ostendunt. Fuit igitur non minus legatus Pompeii quam Appius Claudius, de quo modo diximus, quem recte in indice capitum apud Valerium Maximum appellari proconsule censeo.

Ita omni spe depulsus inveniendi eius, qui Macedoniam provinciam anno 49 sorte accepisset, deveni tandem eo, ut neminem omnino a senatu eo missum esse intelligerem. Quid enim? Ex praetoribus dimidiam partem cum Caesaris rebus studuisse supra viderimus, num praetorios omnes eo animo fuisse putabimus, ut non faverent modo Pompeio, verum etiam bellum cum Caesare gerere decernerent? Id sane parum est probabile. Eligebantur illi quidem ex praetoriis, qui praeficerentur provinciis, praeteritis iis qui maxime Caesari studere viderentur, itaque pauciores fortasse in his novis praesidibus erant, qui cum Pompeio facere nollent, quam in praetoribus; sed aliquos tamen fuisse omnes concedent. Quare ex his praetoriis, qui ad sortiendas provincias admittebantur, sive nemo omnino sortitus est, sive qui sortitus erat Macedoniam, non adiit (hoc enim potest ambigi), certum mihi videtur nullum propraetorem, qui Macedoniae praeesset, per tempus belli civilis fuisse. Idque quodammodo etiam testatum habemus. Etenim Cic. epist. XIII, 29 ad L. Plancum anno 46 sic scribit: *T. Antistius — cum sorte quaestor Macedoniam obtineret neque ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit — oppressus tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. Cum signaretur argentum Apolloniae, non possum dicere eum praefuisse, neque possum negare adfuisse, sed non plus duobus an tribus mensibus. Deinde abfuit a castris, fugit omne negotium — abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longissime a castris. — Aeger Corcyram venit; ibi est mortuus. Testamento, quod Romae Paulo et Marcello consulibus fecerat, heres — est Capito.* Notum est etiam ex aliis multis exemplis, tempora quaestorum provincialium alia fuisse atque ipsorum praesidum, quare non mirabimur hunc T. Antistium, cum ineunte anno 50 Romae fuisset ibique testamentum fecisset, deinde profectum esse in Macedoniam, quo fere tempore Q. Tremellium Scrofam pro praetore decessisse supra vidimus. Qui cum abisset, Antistius quaestor pro praetore erat. Iam si successisset alius pro praetore, nonne debuit commemorare Cicero? nonne excusationis loco afferre, Antistium ab illo, qui Pompeianis magnopere faveret, dissedisse? At abfuisse eum ab omnibus negotiis scribit, id quod si pro praetore, qui provinciam regeret, adesset, vix facere potuit. Quare nullum omnino pro praetore in Macedonia tunc fuisse suspicor. Atque eadem Asiae provinciae fortuna fuit. Eo enim anno 50 quaestor profectus est L. Antonius M. f., qui anno 49 a Ioseph.

Antiq. XIV, 10, 13 vocatur *ἀντιταμίας*, at ibid. § 17 *ἀντιταμίας καὶ ἀντιστράτηγος*, unde aliquamdiu eum pro praetore praefuisse provinciae videmus. Nam priore loco, quo *ἀντιταμίας* modo vocatur, fortuito, non ad minorem dignitatem significandam omissum est *pro praetore;* in idem enim tempus utrumque edictum, quod ibi citatur, incidit.

Victus erat Cn. Pompeius occupataeque a Caesare provinciae, quas tenuerat. Qualis tunc omnino condicio erat provinciarum, quale ius? Earum tria erant genera, unum earum, quas ab Pompeio ceperat Caesar, Sicilia, Sardinia, Hispaniae, Macedonia, Asia, Bithynia, Cilicia, Syria, alterum earum, quas Pompeiani et ante habuerant et post pugnam Pharsalicam retinuerunt, Africa et Cyrenae (has enim ex Macedonia profugus ceperat M. Cato, Plut. Cat. 56, Dio XLII, 13), tertium earum, quas Caesar ipse ab senatu ante bellum acceperat. Atque hoc loco faciendum esse censeo, ut quaedam de his Caesaris provinciis disputem, praesertim cum ea ad ipsam Macedoniam, de qua omnis nostra commentatio suscepta est, cognoscendam pertineant.

Etenim notum est anno 59 a. Chr. C. Caesari, cum in consulatu et optimates vexasset et cum Cn. Pompeio ac M. Crasso coniunctus suae potentiae augendae causa populares extulisset, lege Vatinia primum provinciam, quam senatus antequam comitia consularia anni 60 haberentur decreverat, mutatam, deinde a senatu aliam esse adiectam. Ea de re sic refert Dio XXXVIII, 8: *Ὅ τε γὰρ ὅμιλος* (i. e. plebs) *τοῦ τε Ἰλλυρικοῦ καὶ τῆς Γαλατίας τῆς ἐντὸς τῶν Ἄλπεων ἄρξαι αὐτῷ μετὰ τριῶν στρατοπέδων ἐπὶ πέντε ἔτη ἔδωκε, καὶ ἡ βουλὴ τήν τε Γαλατίαν τὴν ἐπέκεινα τῶν ὅρων καὶ στρατόπεδον ἕτερον προσεπέτρεψε.* Cf. Zonar. X, 6. Similiter Plut. Caes. 14: *Καίσαρι δὲ (Πομπήϊος συνεπεκύρου) τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὴν ἐκτὸς ἅπασαν Κελτικὴν, προσθεὶς τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ ταγμάτων τεσσάρων εἰς πενταετίαν,* et Pomp. 48: *Καίσαρι δὲ (ἐκυρώθη) τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὴν ἐκτὸς ἔχειν Γαλατίαν καὶ Ἰλλυρίους εἰς πενταετίαν καὶ τέσσαρα τάγματα τέλεια στρατιωτῶν,* et Cat. 33: *ἐψηφίσαντο Καίσαρι μὲν Ἰλλυριῶν καὶ Γαλατίας ἀρχὴν ἁπάσης καὶ τέσσαρα τάγματα στρατιᾶς εἰς πενταετίαν.* Accurate autem narrat Suet. Caes. c. 22: *Ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum. Et initio quidem Galliam cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per senatum comatam quoque, veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus et hanc daret.* Ex his certissimis testimoniis Caesarem non Galliae modo utriusque, verum etiam Illyrici fuisse rectorem constat acceditque ipsius auctoritas; siquidem in historia belli Gallici nonnunquam ait se vel conventuum agendorum vel quietis restituendae causa profectum esse in Illyricum, velut libr. II, 35 et III, 7 et V, 1. Quid autem? Alii auctores sunt veteres, qui ubi de provinciis Caesari permissis narrant, Illyrici nullam faciant mentionem. Etenim Vellei. II, 44 nihil aliud habet nisi hoc: *Tum Caesari*

decretae in quinquennium Galliae; itemque Appian. bell. civ. II, 13, accuratus imprimis de his rebus auctor: *Ἐφ' οἷς αὐτὸν εἵλοντο Γαλατίας τῆς τε ἐντὸς Ἄλπεων καὶ ὑπὲρ Ἄλπεις ἐπὶ πενταετὲς ἄρχειν, καὶ ἐς τὴν ἀρχὴν ἔδοσαν τέλη στρατοῦ τέσσαρα,* et in Illyr. 12, ubi, cum bella cum Illyricis gentibus narrentur, praecipue Illyrici provinciae videtur fuisse mentio facienda, Gallias modo commemorat: *Τοῦ δὲ Καίσαρος ἡγουμένου Κελτῶν οἱ Δαλμάται οἵδε καὶ ὅσοι ἄλλοι Ἰλλυριῶν τότε μάλιστα διεντύχουν, Λιβουρνοὺς . . . . Πρωμόναν πόλιν ἀφείλοντο;* denique Plut. Crass. 14 idem qui locis quos supra diximus Illyricum nominat, Galliam modo Caesari traditam esse ait. Neque huius dissensionis causam eo referre licebit, ut alios ex his auctoribus plenius ac diligentius, alios brevius dixisse statuamus. Etenim gravissimus accedit auctor Cicero, qui in oratione de provinciis consularibus habita cum multa de Caesaris provinciis disputet, de Illyrico tamen prorsus tacet. Agitur ea oratione de provinciis consularibus anno 56 decernendis. *Quattuor,* Cicero inquit c. 2, *sunt provinciae, de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas: Galliae duae, quas hoc tempore uno imperio videmus esse coniunctas, et Syria et Macedonia.* Ex quibus qui amici erant Caesaris, Syriam et Macedoniam decerni volebant, quae tunc a Pisone et Gabinio ex lege Clodia obtinebantur; at duas Gallias decernebant ii, qui inimici erant Caesaris, qui ea re omnem eius potentiam dissolvi, totum ei imperium adimi putabant. Nam in duabus Galliis universum Caesaris imperium fuisse positum aperte indicat Cicero, velut c. 8, 13: *Quodsi essent illi* (Piso et Gabinius) *optimi viri, tamen ego mea sententia C. Caesari succedendum nondum putarem.* Succeditur igitur ademptis Galliis nec quicquam imperii relinquitur. Tum c. 12, 29 multis exequitur eos, qui duas Gallias decernant, beneficium quasi aliquod conferre in Caesarem; revocari enim eum ex provincia laborum plenissima ad gratulationem civium, ad triumphum, ad summos honores. Omninoque per totam orationem cum plurima de imperio Caesaris dicantur, nulla mentio Illyrici, nullum verbum fit, unde eum Illyriis quoque praefuisse colligamus. Quid igitur hinc colligendum est? Nimirum quod necesse est, Illyricum non peculiarem aliquam provinciam fuisse, sed contineri Gallia cisalpina. Id adeo etiam ex numero legionum Caesari decreto potest coniici; quattuor enim efficiunt duplicem exercitum consularem, qui duabus provinciis sufficiat, tribus non sufficiat. Denique anno 49, cum Caesaris inimici pervicissent, ut senatus ei succedendum esse decerneret, quid factum est? Scilicet, quod supra pluribus exposuimus, ut Galliam cisalpinam L. Domitio, transalpinam M. Considio Noniano decernerent. Illyrici nulla usquam ne tunc quidem mentio. Quare apparet minus accurate et sui potius quam vetusti temporis modo dixisse Oros. VI, 7, qui lege Vatinia narret Caesari tres provincias cum legionibus septem in quinquennium datas, Galliam transalpinam et cisalpinam et Illyricum; Galliam comatam postea a senatu adiectam. Qui quidem etiam

in numero legionum quem decretum esse ait, errat. Plutarchus autem Pomp. 59, cum narrat Ciceronem ex Cilicia reversum Caesari hanc pacis condicionem tulisse, ut Gallia relicta Illyricum cum duabus legionibus retineret ad alterum consulatum, dubium est, an Illyricum intellexerit Galliam cisalpinam cum Illyrico coniunctam itaque confirmet, quod modo nullam peculiarem Illyrici provinciam fuisse diximus. Nam in Caes. c. 31 suasore pacis item Cicerone Caesarem narrat hanc condicionem proposuisse, ut Gallia cisalpina et Illyricum cum duabus legionibus sibi concederetur. Etiam Sueton. Caes. 29 in eam sententiam sic scribit: *Cum adversariis autem pepigit, ut dimissis octo legionibus transalpinaque Gallia duae sibi legiones et cisalpina provincia vel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret.*

Quare cum praeter Orosium, leviorem sane errorisque hoc loco manifestum auctorem, reliqui omnes Caesarem et imperasse Illyrico et duas tantum provincias obtinuisse tradant, duae res cogitari possunt, Illyricum aut iam ante Caesarem fuisse cum Gallia cisalpina in unam provinciam coniunctum aut lege Vatinia, cum Gallia deferretur, additum. Illud vix probabile poterit videri. Nam, si dudum Galliae et Illyrici una fuisset provincia, alterum nomen, opinor, evanuisset: usurparetur illud quidem fortasse in populis distinguendis, velut Graecia saepe hac ratione distinguitur ab Macedonia singulaeque partes Graeciae appellantur proprio suo nomine, sed in provincia ipsa significanda Illyrici nomen interisset, ut interisse Graeciae vidimus, quae, ubi provincia Macedonia dicitur, per se intelligitur. Deinde Suetonius, cuius locum supra attulimus, num dicere posset Caesarem lege Vatinia Galliam cisalpinam accepisse *adiecto Illyrico*, si hoc dudum cum illa fuisset coniunctum? Itemque Plutarchus, Caesari, inquit, Pompeius tradidit universam Galliam, *προςθεὶς τὸ Ἰλλυρικόν*, quod quomodo scribere potuit, nisi quid illa lege esset adiectum? Atque etiam causa intelligitur, cur, etsi non pertineret Illyricum ad Galliam cisalpinam, adiici tamen id suo imperio cupiverit Caesar. Qui cum duas imprimis res sibi proposuisset, ut et prope Romam esset rebusque urbanis immineret et bellis gerendis gloriam augeret exercitumque peritum belli gerendi compararet, sola Gallia cisalpina contentus esse non potuit; erat enim adeo pacata provincia, ut non multo post civitatem idemque ius quod reliqua Italia adipisceretur. Addi volebat Illyricum, in quo quanta fuerit maximorum bellorum materia vel res postea ab Augusto eiusque filiis gestae demonstrant. Quare necessario sic statuendum erit, in lege Vatinia duo haec fuisse, ut Illyricum coniungeretur cum Gallia cisalpina, deinde ut haec sic aucta provincia Caesari mandaretur. Tertium enim eius caput fuisse scimus, quod fuerat iam in illis legibus, quibus Cn. Pompeio bis summae potestates delatae erant, ut Caesar quot vellet legatos ipse sibi deligeret, non a senatu acciperet (Cic. in Vat. c. 15), quod idem caput translatum deinde est in legem Clodiam, qua Cn. Pisoni Macedonia delata

est. Nimirum probabilis sane eius rei causa afferebatur haec, quod, cum Caesar novam quasi provinciam, cuius rationes ignotae essent, acciperet, senatus nondum recte videbatur posse statuere, quot legatis in ea opus esset. Quodsi lege Vatinia primum cum Gallia cisalpina coniunctum est Illyricum, rursus dupliciter existimare poterimus, Illyricum antea aut per se constitisse propriamque effecisse provinciam aut alii alicui fuisse adiectum. Quorum illud statuere non licebit: nam ita Caesar non unam, quod omnes auctores a nobis supra citati tradunt, sed duas a populo accepisset provincias, quibus cum adderetur transalpina, accedebat tertia omnesque redarguerentur etiam ii, qui duabus omnino provinciis eum imperasse scribunt. Neque Illyricum, quamvis postea late pateret multosque populos ac civitates contineret, tunc ita erat armis Romanis perdomitum, ut per se ipsum iustam efficeret provinciam. Cogitemus reliquas provincias quo ambitu fuerint, Hispanias duas, Africam, Asiaticas, ipsam Siciliam Sardiniamque, nullam inveniemus tam parvam fuisse, quam tunc ante Augusti bella erat Illyricum. Relinquitur, ut Illyricum cum finitima aliqua provincia fuerit in idem vel proconsulis vel propraetoris imperium coniunctum, neque ulla reperietur provincia, quacum in idem ius coire potuerit, praeter Macedoniam.

Inducor prope hoc loco, ut etiam de Gallia Romanorum provincia disputem, de qua maximas virorum doctorum dissensiones esse videam. Sed contineo cupiditatem meam, ne fines huic commentationi propositos egrediar. Etenim, quod modo ex Caesaris rebus Illyricum cum Macedonia consuevisse in unam provinciam coniungi docuimus, id iam ex perpetua historia inde ab eo tempore, quo Illyricum primum in provinciae formam redactum esse narratur, demonstrandum est. Ac Pighius quidem in Ann. II p. 502 primum anno 135 a. Chr. Illyrici quandam provinciam constitutam esse ait atque inde ab illo anno hanc in reliquarum provinciarum numero recenset. Quamquam iam antea multa bella cum populis Illyricis gesta sunt. Ut enim praeteream superiora, quibus multi populi victi atque imprimis mare a latrociniis barbarorum liberatum est, in bello Macedonico altero Perseus Gentium Illyriorum regem socium habebat, quo victo regnum libertate donatum et in tres partes divisum eandem formulam ac Macedonia ipsa (Liv. XLV, 26) accepit. Quando igitur haec pars Illyrici in provinciam redacta est? Eodem, opinor, tempore quo Macedonia. Nam Pseudophilippus, quo devicto Macedonia provincia Romana facta est, non Macedones modo ipsos ad bellum excitaverat, verum etiam Thraces aliasque gentes finitimas, in quibus quamvis non nominentur, quin fuerint tamen etiam Illyrii quidam populi, vix poterit dubitari. Siquidem alterum regni Macedonici falsum heredem, quem idem Metellus qui Philippum superavit, Zonaras IX, 28 extr. ait confugisse in Dardaniam, quam regionem Illyrico accenset Appian. Illyr. c. 5 et Sallust. hist. libr. II apud Nonium *dicere est promittere* a C. Curione, quem Macedoniae praefuisse constat (cf. supra p. 180), subiectam esse

ait. Ac quantopere omnino illa aetate Macedonum et Graecorum et Illyriorum res a Romanis coniunctae eorundemque magistratuum opera administratae sint, docet etiam alia res, quae initio belli ab Andrisco moti accidit. Quem cum Romani primum despicerent, P. Scipionem Nasicam, eum qui anno 155 cos. iterum fuit, cum parvo vel nullo exercitu miserunt, qui res componeret (Zonar. IX, 28), id quod anno 151, cum a Macedonibus ipsis Scipio Aemilianus arbiter expeteretur (cf. supra p. 162), accidisse puto. At idem Nasica paulo ante in consulatu suo Delmatas vicerat Delminiumque ceperat (Zonar. IX, 25) atque ideo, quasi nosset illam provinciam, in Macedoniam missus est. Leve hoc fortasse alicui videatur, neque negabo esse, sed in tanta auctorum bonorum inopia vel levia vestigia consectanda esse censeo atque id, quod diximus, aliis testimoniis satis confirmatur. Certe decem fere annis postquam Macedonia subacta est, etiam Illyricum in dicione Romanorum fuisse ostendit App. Illyr. 10, qui de bello contra Vardaeos et Palarios gesto narrans, id ortum esse ait, quod illae gentes *τὴν ὑπὸ Ῥωμαίους Ἰλλυρίδα* vexarent. Ipsum autem hoc bellum gestum esse scribit a Fulvio Flacco, de eodemque sic narrat Livius epit. libr. LVI: *Fulvius Flaccus consul Vardaeos in Illyrico subegit. M. Cosconius praetor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit.* Haec bella eodem anno esse administrata eo intelligimus, quod Livius proxime consulatum alterum Scipionis Aemiliani, qui in annum 134 incidit, commemorat. Thraciam autem constat in provincia Macedonia fuisse Scordiscique, Illyricus populus (App. Illyr. 5), perpetui prope Macedoniae hostes sunt, cum quibus plurimi eius rectores pugnarunt, quare supra p. 165 M. Cosconium in serie praesidum Macedoniae recensuimus. Vardaei vicini sunt Scordiscis nec dubium est quin cum iis belli Romanis inferendi societatem inierint. Quodcum magnum ac periculosum videretur Romanis, tot nationes bellicosissimas commoveri, non satis praesidii esse existimabant in praetore Macedoniae, sed consulum etiam alterum ab Italia iusserunt bellum inferre barbaris. Provinciam vero, quae proprie appelletur, peculiarem, non quae locum modo significet, quo quis rem gerat, tunc fuisse Illyricum nequaquam hinc licet colligi. Quod illo anno accidit, ut duo imperatores Romani, unus ab Macedonia, alter ab Italia in Illyricas gentes bellum gererent, idem factum esse puto anno 129 a. Chr., cum Appian. Illyr. 10 a Sempronio Tuditano et Tiberio Pandusa Iapydibus bellum illatum esse scribit. Nam Liv. epit. libr. LIX haec habet: *C. Sempronius consul contra Iapydas primo rem male gessit; mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Iunii Bruti, eius, qui Lusitaniam subegerat.* Cf. App. bell. civ. I, 19. Quem enim fuisse putabimus illum Ti. Pandusam, sive is ex Latinia gente erat, de qua infra dicemus, sive aliud nomen habebat? Certe non fuit legatus Sempronii Tuditani, cum quo si fuisset, ipse potius quam D. Brutus a Livio nominandus erat, nec post Tuditanum cum Iapydibus bellum gessit; nemo enim eius nominis in

consulum serie reperitur, atque ipse Tuditanus cum triumphum egerit confecisse videtur bellum; nec tantum videri potuit illud populo Romano, ut non consulem modo, verum etiam praetorem qui proprie ad urbem retinendus esset, ad id administrandum mitterent. Quare hunc *Ti. Pandusam* in rectoribus Macedoniae collocandum bellumque Iapydibus pariter ac supra diximus utrimque et ex Macedonia et ex Italia illatum esse existimo. Reliqua bella, quae deinceps cum populis Illyricis gesta sunt, illustravimus supra, ubi de rectoribus Macedoniae illius aetatis disputavimus. Illud unum commemoro, Cn. Aufidium Orestem, quem Pigh. Ann. III p. 293 propter fragmentum Sallust. hist. libr. II apud Priscian. libr. VI affert, ac de coniectura Illyrico praefuisse statuit, certe non fuisse Illyrici praesidem. Quibus bellis paulatim populi, qui inter initia Italiae superioris, quae tunc Gallia appellabatur, et inter Macedoniam intersunt, non modo subiecti Romanis erant, sed etiam provinciae formam acceperant. Neque negabo partem aliquam eorum populorum imprimis qui proximi essent, Galliae provinciae iam tunc fuisse attributam, neque fieri posse arbitror, ut haec, quae Appianus ipse de Illyricis scribens parum a se cognosci potuisse fateatur, a nobis nunc accurate investigentur, sed hoc videmur demonstrasse, quod proprie appellaretur Illyricum, ante Caesarem in provinciam Macedoniam fuisse contributum, quare et iam L. Culleolum, qui Bullionibus praefuisse dicitur, supra p. 184 in Macedoniae praesidum catalogo collocavimus. Idque, si quis etiam hoc requirat, confirmatur quodammodo testimonio Appiani Illyr. c. 13, qui post caedem Caesaris cum M. Bruto eius interfectori Macedonia tribueretur, et exercitum qui in Illyrico fuerat et ipsum Illyricum adiectum esse scribit. Nimirum avellere tunc cupiebant, quod Caesari reipublicae eversori olim populus tribuerat. Quamquam Vatinium quoque, qui legem de Illyrico cum Gallia coniungendo tulerat, probabili ratione usum esse video; etenim cum non multo ante Q. Metelli victoria Creta, quae ante id tempus sui iuris fuerat, ad Macedoniam adiuncta esset, ut provincia ad veterem magnitudinem redigeretur, et Illyricum et Cretam adimi iussit. Victis autem Bruto et Cassio cum tresviri reipublicae constituendae omnes provincias inter se partirentur, Octavianus quam pater provinciam habuerat, sibi sumpsit Illyricumque rursus Galliae attribuit; nam Scodram, quae olim praecipua regis Gentii urbs fuerat, terminum inter Octaviani et Antonii imperia fuisse ait App. bell. civ. V, 65.

Sed de his rebus aliisque quae eodem pertinent, postea dicemus; nunc in cursum disputationis nostrae redibimus. Tria igitur provinciarum genera post pugnam Pharsalicam fuisse diximus. Ex iis primum genus, quod Gallias Illyricumque lege Vatinia et a senatu olim Caesari data complectitur, rite etiam tunc a Caesare obtinebatur. Nam lex Cornelia tamdiu quemque iubebat provinciae praeesse, dum successor missus esset; de successore autem Caesari mittendo nihil decreverat senatus, siquidem in ea ipsa re deliberanda occu-

patus erat, cum auctoritati eius Antonius et Cassius tribuni plebis intercesserunt cumque sperni intercessionem ipsisque vim imminere intelligerent, in Caesaris castra profugerunt. Ac quicquid post eam diem in senatu de provinciis actum erat, id rite ac legibus actum esse quia Caesar negabat (Cic. ad Att. XI, 7 init.), retinebat imperium Galliarum etiam post bellum coeptum. Itaque consentaneum erat, ut in iis legati relinquerentur, cum Caesar ipse Italiam peteret, M. Licinius Crassus, IIIviri filius, quaestorius, ut videtur, in Gallia cisalpina (App. bell. civ. II, 41), C. Antonius in Illyrico; in transalpina Gallia complures erant legati, D. Brutus et C. Trebonius et Q. Fabius, qui in bellis a Caesare in Massilienses et Hispanicos exercitus gestis commemorantur. Cum autem legati his provinciis praeficerentur, non mirabimur plures esse factos quam erant provinciae, quoniam cum omnes singularum provinciarum rectores compluribus legatis uti solebant, tum Caesari olim lege Vatinia permissum erat, ut et quot et quos vellet faceret. Alterum autem genus erat earum provinciarum, quas Pompeiani ex pugna Pharsalica profugi tenebant, Africa et Cyrenae. Ac Cyrenis quidem quem M. Cato cum per litus in Africam ad regem Iubam proficisceretur, praesidem reliquerit nescimus. At Africam anno 50 tenuerat C. Considius Longus pro consule (Cic. p. Lig. 2), tum anno 49, cum Pompeiani provincias dividerent, L. Aelius Tubero accepit (Caes. bell. civ. I, 30), qui cum morbo impeditus (Cic. p. Lig. 7) tardius advenisset, interim P. Attius Varus, anno 51 pro praetore Africae, vacuam provinciam occupavit (Caes. bell. civ. I, 31) obtinuitque contra C. Curionem a Caesare missum. Sed victo apud Pharsalum Pompeio multi principes in Africam perfugerunt, a quibus opera maxime M. Catonis, qui ipse quippe praetorius imperium suscipere nollet, Q. Metellus Scipio, socer Cn. Pompeii, imperator electus est (Caes. bell. Afric. 1 et saepe). Hic igitur tunc Africae praeerat legatisque multis utebatur. Relinquitur tertium provinciarum genus, in quo sunt eae, quas Caesar bello ab inimicis ceperat. Ex his Sardiniam ab M. Aurelio Cotta ceperat Q. Valerius Orca (Caes. bell. civ. I, 30; App. bell. civ. II, 41), sed legatus ille erat Caesaris belli gerendi causa missus, non ad provinciam pace administrandam. Itaque postquam Caesar victis Pompeii legatis ex Hispania in urbem revertit dictaturaque deposita consulatum suscepit, successor ei missus est Sex. Peducaeus anno 49 exeunte. Qui etsi saepe commemoratur a Cicerone, quia et ipsius et Pomponii Attici erat familiarissimus (Cornel. Nepot. Att. 21), tamen quos honores et quo ordine gesserit, ignotum est. Quamquam pro praetore non minus quam Q. Valerium fuisse debebit constare. In Siciliam Caesar cum Pompeium Italia eiecisset, misit C. Scribonium Curionem pro praetore (Caes. bell. civ. I, 30) cum sex lictoribus (Cic. ad Att. X, 4, 9), ut si insulam illum occupasset, in Africam transgrederetur. Quod cum ille fecisset audaciusque proeliatus interisset, Africa quidem universa tenebatur a Pompeianis, Sicilia autem vacua erat praeside, quare

Caesar eam anno 49, antequam ad bellum Pharsalicum profectus est, A. Albino tradidit (App. bell. civ. II, 48). Successit ei M'. Acilius Glabrio, in bello Pharsalico Caesaris legatus (Caes. bell. civ. III, 15 et 16 et 39), Ciceronis familiarissimus ab eoque capitis iudicio bis defensus, quare Cicero ei, cum pro consule Siciliam obtineret, multos commendare solebat, quorum causa scriptae sunt epistolae libr. XIII, 30—39. In iis epistolis nulla invenitur temporis nota, nisi quod eam quae 36 est, intelligimus post pugnam Pharsalicam, cum dictator multos de se bene meritos civitate donabat, missam esse. Hunc insecutus est A. Allienus, praetor anno 49 (Cic. ad Att. X, 15), quem auctor de bello Africano c. 2 et 34 pro consule Siciliae praefuisse ait, cum Caesar et in Africam traiiceret et cum Pompeianis bellum gereret. Eidemque scriptae sunt a Cicerone epistolae duae extremae libr. XIII, ex quibus tamen nihil de tempore eius proconsulatus potest colligi. Excepit eum T. Furfanius Postumus, quem pro consule Siciliae appellat Cic. epist. VI, 8 in causa A. Caecinae, Caesaris inimici, sed ab eo in Africa conservati (auct. de bell. Afr. c. 89). Qui cum iam anno 50 ante bellum civile Siciliam rexisset (Cic. ad Att. VII, 15), tunc anno 45 denuo eidem provinciae ab Caesare impositus est. Huic autem quis successerit, ignoratur, nisi forte in annum 44 placet referre Regem illum, cui Cicero epist. XIII, 52 commendat A. Licinium Aristotelem Melitensem; nam cum eum necesse sit praefuisse Siciliae post Caesaris victoriam, levis quaedam in epistola illa videtur reperiri significatio, qua eam post mortem Caesaris, cum Pompeianarum partium studium non amplius turpe aut inutile existimaretur, scriptam esse colligamus. Suram vero, quem Pighius in Annal. III p. 465 anno 44 Siciliae praefuisse vult, video equidem inter rectores eius provinciae esse collocandum propter Plin. nat. hist. VII, 12, 55 et Valer. Max. IX, 14, 3, sed quo anno rexerit, adeo incertum est, ut nihil possit affirmari. Hispaniam ulteriorem cum legatis Pompeii eripuisset, Caesar anno 49 tradidit Q. Cassio Longino pro praetore, eius qui dictatorem postea occidit, fratri (Dio Cass. XLI, 24; Caes. bell. civ. II, 21; de bell. Alex. c. 48 sq.; App. bell. civ. II, 43), qui cum nondum praeturam gessisset ac tunc ipsum tribunus plebis esset (Caes. bell. civ. II, 19), legati iure utebatur. Sed tamen Caesar reversus in urbem exitu anni, ubi dictatura deposita consul cum P. Servilio renunciatus rempublicam composuit, pro potestate sibi permissa, ut magna eius de se merita remuneraretur, quamvis reliquas provincias mutaret, ipsum in Hispania manere iussit, ut anno 47 C. Trebonius, praetor urbanus anni 48, succederet pro consule (Dio XLIII, 29; bell. Alex. c. 64). Qui cum in provinciam advenisset, magnas ille quidem seditiones reperit, sed tenuit tamen imperium, dum anno 46 paulo post pugnam Thapsensem eiectus est (Dio l. l.), nec successit ei quisquam, quia bellum Mundense conflabatur, quo confecto Caesar anno 45 provinciam C. Carrinati pro praetore, qui anno 43 consulatum gessit, tradidit eique cum Sex. Pompeium

maiorem seditionem moliri cognosset, anno 44 successorem misit C. Asinium Pollionem (App. bell. civ. IV, 83; Vellei. II, 73). Citerior autem Hispania postquam Pompeio erepta est, primum paruit M. Aemilio Lepido proconsuli, anni 49 praetori (App. bell. civ. II, 48; bell. Alex. 59 et 63; Dio Cass. XLIII, 1). Is in urbem ad consulatum aliosque honores, imprimis ad triumphum, anno 47 rediit, sed quis ei successerit non refertur. Equidem Q. Pedium, praetorem anni 48 (Caes. bell. civ. III, 22), qui anno 43 consulatum obtinuit, ei pro consule suffectum esse coniicio. Nam, etsi legatus appellatur Caesaris in bell. Hispan. c. 2, proconsulari tamen eum fuisse potestate cognoscimus ex fastis triumphalibus, et iam antequam bellum Mundense conflatum est, provinciae praefuisse suspicor. Contra Q. Fabium Maximum, eum, qui anno 45 consulatum gessit in eoque obiit, vere Caesaris legatum ad bellum in ulteriore provincia conficiendum fuisse iudico; bis enim commemoratur ab auctore de bell. Hisp. c. 2 et 41, cum Pedii illius, qui finitimam provinciam tutabatur, nusquam mentio fiat. Pedio autem anno 44 successit rursus M. Aemilius Lepidus, qui cum citeriore Hispania Galliam Narbonensem coniunxit (Dio XLIII, 51 et XLV, 10; Vellei. II, 63), sed ea lege, ut per legatos provinciam administraret atque ipse Romae alia munera obiret.

Haec cum fuerit provinciarum, quae ante proelium Pharsalicum Pompeio ereptae sunt, condicio, quas App. bell. civ. II, 48 a Caesare, antequam ad bellum profectus est, proconsulibus divisas esse narrat, quid factum est Macedonia provincia, de qua apud Pharsalum decretum est? Ei neminem annis 48 et 47 impositum esse pro consule non mirum est. Etenim Caesar ipse paulo post pugnam ad persequendum Pompeium properavit et anno demum 47 ex Asia in urbem rediit; antequam autem Macedoniam cepisset, non videtur eum, qui praeesset, designasse. Reliquit igitur ibi legatos suos cum exercitu, ex quibus imprimis nominantur Q. Fufius Calenus, qui postquam alteram partem legionum in Macedoniam traduxit (Caes. bell. civ. III, 26), missus est ad Achaiam temptandam (Caes. l. l. c. 55), pugnaque Pharsalica nunciata Athenas et Megara et Peloponnesum cepit (Dio XLII, 13 et 14), item L. Cassius Longinus, frater eius, qui Caesarem interfecit, qui cum legatus esset dictatoris (Caes. bell. civ. III, 34), sed proconsulari imperio ornatus (Orell. Inscr. n. 587), et ante pugnam Pharsalicam in Thessalia versabatur et post eam. Itaque Calenum etiam anno 47 in Graecia versatum esse cognoscimus ex Cic. ad Att. XI, 15 et 16, ac cum nemo commemoretur alius, qui in Macedonia quae proprie dicitur tunc imperium habuerit, eundem toti veteri provinciae Macedoniae praefuisse suspicor. At anno 47, cum reversus Caesar rempublicam universam antequam in Africam abiret, componendam suscepit, etiam Macedoniae legitime consuluit. Misit enim eo *Servium Sulpicium Rufum*, cos. anni 51, qui inde ab anno 46 eam regeret (Cic. epist. VI, 6, 10). Tredecim ad eum scriptae extant Ciceronis epistolae (libr. XIII, 17—28), omnes commendaticiae, ex quibus cognoscimus Sul-

picium imperasse in Peloponneso, in Epiro, in Boeotia, in Thessalia, in universa Achaia; commemorat etiam ipse iurisdictionem suam, quam in Peloponneso absolverat et in Boeotia obiturus erat, apud Cic. epist. IV, 12. Hinc constat eum Graeciae praefuisse; utrum etiam Macedoniae imperarit necne, non traditur, sed huic quoque eum praefuisse in altero eius successore demonstrabitur. Ipsius enim annua modo fuit provincia; siquidem Romae eum fuisse exeunte anno 45 intelligimus ex Cic. p. Deiot. 11, 32. Successit autem ei, item annua administratione, is cui Cicero scripsit epistolam 50 libr. XIII. Ea enim Cicero commendat M'. Curium, qui Patris negotiabatur, et quidem, si ceterarum eius generis epistolarum similitudinem sequi licet, ei, qui Achaiae praeerat, quem praefuisse huic provinciae post annum 47 inde intelligimus, quod Cicero Brundisinam suam commorationem, quae in annum extremum 48 et 47 incidit, commemorat. Sed is quo nomine fuerit, admodum dubium est. Etenim codex appellat *Auctum,* quod falsum esse apparet, nec magis verum poterit esse quod codex in indice epistolarum habet *Aucius.* Quare Lallemandus et Schuetzius scripserunt *Acilio,* eum intelligentes quem supra Siciliae fuisse pro consule demonstravimus. Neque eius emendationis non probabili aliqua causa videbantur uti. Eundem enim Curium Cicero commendat Sulpicio, Macedoniae praetori, epist. XIII, 17, quam commendationem ei non multum ad negotia explicanda profuisse ipse significat epist. VII, 31. Iam Curius (epist. VII, 29) sic scribit ad Ciceronem: *Quare, Cicero mi, persevera constanter nos conservare et Sulpicii successori nos de meliore nota commenda* neque dubium est, quin Cicero id fecerit, atque etiam illud probabile factum id esse ea epistola, quae *Aucto* in codice inscribitur. Alia autem epistola (libr. VII, 30) Cicero scribit sic Curio: *Acilius, qui in Graeciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est; bis enim est a me iudicio capitis rebus salvis defensus, et est homo non ingratus meque vehementer observat. Ad eum de te diligentissime scripsi eamque epistolam cum hac epistola coniunxi, quam ille quomodo acceperit et quid tibi pollicitus sit, velim ad me scribas.* Hinc igitur, quia una epistola Curius rogat Ciceronem, ut Sulpicii successori se commendet, altera Cicero ait a se Curium commendatum esse Acilio in Graeciam misso, colligunt libri XIII epistolam 50 esse ipsam illam, quam et Curius expetierat et Cicero scriptam a se esse dicit, ideoque M'. Acilium successisse Sulpicio statuunt. Veruntamen huic rationi multa video esse quae adversentur. Primum enim in ea nullam necessitatem invenio. Etsi enim fieri potest, ut, quam epistolam Acilio se scripsisse ait, sit ea, quae ut Sulpicii successori scribatur rogat Curius, quis ita necesse esse contendat? Immo Curii epistola, in qua Sulpicii successor significatur, incidit in annum extremum 46 a. Chr., Ciceronis in annum 44 incidere infra dicemus, ut ne probabile quidem sit inter Curium et Ciceronem tamdiu nullum fuisse epistolarum commercium aut quam commendationem postularit Curius, eam anno demum

post esse missam. Deinde commendaticiam suam ad Acilium epistolam coniunctam esse ait Cicero cum illa ad Curium missa; quare, si extaret, ut alias eiusdem generis epistolas, oportebat eam subsequi; cum non subsequatur, Aciliana merito videbitur perisse. Tum M'. Acilium supra vidimus anno 47 praefuisse Siciliae, Cicero autem in epist. 50 libr. XIII praedicat illius ad quem scribit observantiam in Brundisina commoratione sibi exhibitam, quae quia prope tota in ipsum illum annum 47 cadit, Acilii tunc ab Italia absentis beneficio uti non potuit. Cui si quem commendaret Cicero ad eamque rem veteris consuetudinis mentione opus esse duceret, quis non arbitraretur potius iudicia illa capitis, in quibus Cicero eum defenderat, fuisse commemoranda quam observantiam Brundisinam, ex qua levis sane necessitudinis vinculum oreretur. Itaque quae vere Acilio scriptae sunt epistolae, aliam longe rationem ostendunt. Nulla in iis veteris consuetudinis mentio, sed quasi ea prorsus supervacanea sit, suo iure ac breviter Cicero quid cuique tribui velit, postulat. Denique epistola, in qua Cicero narrat Acilium in Graeciam missum esse, scripta est anno 44 ineunte; commemoratur enim Caninius Rebilus consul, qui extremo die anni 45 magistratum gessit; quare etiamsi pro consule videretur Acilius Graeciam tenuisse, non posset existimari ante annum 44 eam accepisse, quo ipso tempore alium eo missum esse paulo post intelligemus. Nec vero Cicero Acilio provinciam Graeciam tribuit. Ait enim eum cum legionibus in Graeciam esse missum, i. e., opinor, legatum Caesaris, qui praeesset legionibus ad bellum Parthicum, quod parabatur, praemissis. Ille autem legatus sine dubio diversus erat ab praeside Macedoniae et Graeciae, nec tamen non idem tantum etiam in aliena provincia poterat, ut Cicero ei amicum suum commendatum esse cuperet. Quae cum ita sint, abiecta Lallemandi speciosiore illa quam veriore emendatione alius quaerendus est, cui Cicero epistolam 50 libr. XIII scripsisse videatur. Iam de eo sic scribit Cicero: *Sumpsi hoc mihi pro tua in me observantia, quam penitus perspexi, quamdiu Brundisii fuimus, ut ad te familiariter et quasi pro meo iure scriberem*, et paulo post: *Quae cum ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes, si ea, quae in me officia et studia Brundisii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere* cet. Ait igitur, utrumque, et illum ad quem scribit et ipsum se, una fuisse Brundisii, et quidem diutius, quia Cicero de magna quadam observantia dicit. Qua in re duo cogitari possunt, aut Pompeianum fuisse illum, quisquis fuit, aut Caesarianum. Hoc si sumimus, certe cum imperio fuit; nemo enim erat inter Caesarianos paulo illustrior, quin illa aetate, cum omnes provinciae exercitibus complerentur, vel honoris vel necessitatis causa imperio ornaretur. Brundisii autem ex Caes. bell. civ. III, 100 scimus militibus imperasse P. Vatinium, eum, qui postquam Caesar ex Asia rediit, in breve tempus consulatum gessit, tum Illyricum rexit. Efficitur, ut non legatus Caesaris (neque enim plures videntur eodem loco fuisse) aut omnino Caesarianus dicatur,

sed Pompeianus. Fuisse autem cognoscimus Brundisii ex Pompeianis cum Cicerone D. Laelium, et quidem solum. Etenim Cic. ad Att. XI, 7 scribit Caesarem post pugnam Pharsalicam significasse sibi non placere quemquam Pompeianum, nisi cuius causam ipse cognosset, esse in Italia, ideoque M. Antonium edixisse de Pompeianis Italia prohibendis, sed exceptos esse nominatim se ipsum et D. Laelium. Fuerat hic in bello civili legatus Bibuli (Caes. bell. civ. III, 5 et 40), ac tempore pugnae Pharsalicae Brundisium classe oppugnarat (ibid. c. 100), sed post pugnam illam deserta Pompeii causa facile a Caesare veniam impetravit in eiusque partibus cum fide permansit (Cic. ad Att. XI, 14 et 15). Quid igitur mirum est, eum a Caesare, quem antea oppugnarat, impositum esse provinciae? Nam etiam Sulpicius, eius decessor, a partibus olim Pompeianis fuerat (Cic. epist. VI, 6, 10), neque a Laelio graviter peccatum esse Caesaris in venia danda facilitas significat. Quae cum ita sint, et Ciceronis epistolae 50 libr. XIII inscribendum esse iudico: *M. Cicero S. D. D. Laelio* et Sulpicio in provincia Macedonia administranda anno 45 successisse *D. Laelium.* Hunc autem eundem esse coniicio, qui postea Bruto Cassioque iam devictis legatus erat in Africa Q. Cornificii partesque Caesaris Octaviani dum strenue defendit, interiit (Dio XLVIII, 21; App. bell. civ. IV, 53 sq.)

Anno autem 44 constat in Macedoniam missum esse *Q. Hortensium Hortalum*, oratoris filium, bello civili Caesaris legatum classique praefectum (App. bell. civ. II, 41), et quidem proconsulari tunc imperio ornatum (Cic. Phil. X, 11). Testes sunt cum Dio XLVII, 21, qui Hortensium ei provinciae praefuisse scribit, antequam C. Antonius, IIIviri frater, eo pervenit, tum Cicero Phil. X, 6, qui ipsos etiam Macedoniae fines describit. Obvenerat enim ea, ut postea dicemus, C. Antonio, de cuius adventu in provinciam sic ait Cicero: *Quae tempestas, dii immortales, quae flamma, quae vastitas, quae pestis Graeciae fuisset, nisi incredibilis ac divina virtus* (M. Bruti) *furentis hominis conatum atque audaciam compressisset!* Deinde sic: *At quid ei* (C. Antonio) *cum Apollonia? quid cum Dyrrhachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinii imperatoris exercitu? Succedebat, ut ipse dicebat, Hortensio. Certi fines Macedoniae, certa condicio, certus, si modo erat ullus, exercitus: cum Illyrico vero et cum Vatinii legionibus quid erat Antonio?* Nonne hinc primum apparet, Graeciam comprehendi Macedoniae nomine? Neque enim certe, si quae proprie est Graecia nihil ad Macedoniam pertinuisset, haec illius nomine significari potuit. Nec perturbari debebimus talibus locis, qualis est apud Cic. Phil. X, 6, 14, ubi de M. Bruti imperio sic est: *Tenet igitur populus Romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Graeciam,* quae quomodo intelligenda sint, docet c. 11, 26: *Q. Caepio Brutus pro consule provinciam Macedoniam, Illyricum cunctamque Graeciam tuetur,* ubi quicquid Graeci nominis et in Macedonia et in Illyrico et in Achaia est, Graecia appellatur. Eandemque rem

ex M. Bruti rebus, cum Macedoniam occuparet, colligere licet. Contulerat enim se tamquam otii ac studiorum causa Athenas, in liberam civitatem, unde cum praecipua cura esset, ut exercitus in Macedonia versantes obtineret, misit Herostratum, qui milites eorumque duces alliceret, in Thessaliam atque veteres milites Pompeianos et equites quosdam, qui in Asiam ducebantur occupavit, Demetriade, quae item in Thessalia est, cum magna armorum copia potitus est, denique in Macedoniam pervenit eamque ab Q. Hortensio accepit (Plut. Brut. c. 25). Quodsi in Achaia quoque fuisset aliquis pro praetore vel pro consule, nonne eum item nominari oportebat? Sed nemo nominatur; Dio XLVII, 21 hoc modo ait, Achaiam, quae exercitu careret, sine ullo negotio ab eo esse occupatam. In quibus ipsis verbis magna significatio est, et iure eam provinciae esse usam et accessionis quasi loco adiectam fuisse Macedoniae. Neque minus ex Ciceronis loco, quem attulimus, certum est, a dictatore Caesare servatum esse, quod olim lege Vatinia institutum erat, cum ipsi Galliae cum Illyrico post consulatum tribuerentur. Certe ita hoc servatum est, ut Illyricum seiungeretur ab Macedonia. Etenim proxime antequam M. Brutus Illyricum occupavit, praefuisse ei provinciae scimus P. Vatinium, de quo narrat imprimis Appianus Illyr. c. 13, missum eum esse cum tribus legionibus et magna vi equitum ad tributa populis Illyricis imponenda, sed post caedem Caesaris rebellione facta Dyrrhachium recessisse exercitumque Bruto tradidisse. De eodem testes sunt Cic. Phil. X, 6, quem locum modo citavimus, Dio XLVII, 21, Plut. Brut. 25, ubi emendandum utique esse censeo, quod cum dubitatione aliqua etiam novissimi editores reliquerunt *Γαβίνιον* pro Vatinio scribentes. Sed quaeritur, quando Vatinius in Illyricum advenerit, vulgarisque opinio est, ut anno 46 eo missus esse existimetur. Illud quidem certum est, P. Vatinium non potuisse mitti in Illyricum, antequam extremis mensibus anni 47 consulatum cum Q. Fufio Caleno gessit. Quamdiu enim Caesar Pompeium persequens in Aegypto et Asia pugnavit, P. Vatinius classi Brundisinae prope Italiam praefuit (Caes. bell. civ. III, 100) cum eaque etsi aliquamdiu in Illyrico versatus est (bell. Alex. c. 42), rediit tamen munusque suum explevit, donec reverso Caesare consulatu ornatus est. Sed ne post consulatum quidem eum continuo in Illyricum abisse puto. Etenim Cicero epist. XIII, 77 scribit ad P. Sulpicium imperatorem, affuisse se in senatu, cum de supplicatione eius decerneretur, commendat deinde ei M. Bolanum quendam et rogat, ut Dionysium, servum suum, bibliothecae suae custodem, qui multos libros surripuerat, investiget atque ad se reducendum curet: esse enim illum ait in Sulpicii provincia visumque a multis Naronae. Hinc colligimus Sulpicium, cum illa Cicero scriberet, praefuisse in Illyrico, in quo Naronam sitam esse constat, atque etiam magis id probatur ea re, quod eundem Dionysium ut deprehendat, mandat Cicero P. Vatinio, de quo agimus, quem omnes consentiunt Illyrico imperasse, in epist. V, 9—11. Sed quando Sulpicium in Illyrico

fuisse putabimus et tamdiu fuisse, ut victoriam referret, imperator ab exercitu appellaretur, supplicationem a senatu acciperet? Caesar cum anno 49 pulso ex Italia Cn. Pompeio bellum in Pompeii legatos pararet, eodem tempore, quo Curionem in Siciliam et Q. Valerium Orcam in Sardiniam misit, Illyrico praefecit C. Antonium, tunc quaestorium, legati iure ornatum (App. bell. civ. II, 41; Liv. epist. CX), cuius exitus tristis fuit; captus enim est ab M. Octavio, Pompeianae classis praefecto (Dio XLI, 40). Sed cum redisset Caesar ex Hispania et in Macedoniam traiiceret, alium in Illyricum legatum misit ineunte anno 48, Q. Cornificium, quaestorem propraetore, qui et adversus barbaros prospere pugnavit et post proelium Pharsalicum classe P. Vatinii adiutus Pompeianarum partium reliquias devicit (bell. Alex. c. 42 sq.), recuperatamque provinciam rexit usque ad annum 47 exeuntem, dum Caesar ex Asia rediit. Neque enim probabile est, antequam Caesar mense Septembri in urbem advenit, quicquam in provinciarum ratione esse mutatum nec, si continuo novus praetor in Illyricum missus esset, is, quia aestas praeterierat, in regione montana ac difficili res supplicatione atque imperatorio titulo dignas gerere potuisset. Relinquitur igitur, ut P. Sulpicius Rufus anno 46 provinciam Illyricum acceperit. Fuerat ille antea Caesaris in Gallia legatus (Caes, bell. Gall. IV, 22), eundemque in Hispaniam adversus Pompeii legatos comitatus (Caes. bell. civ. I, 74), tum anno 48 praemii loco praeturam accepit ac per bellum Pharsalicum classi Italicae ad Vibonem praefuit (Caes. bell. civ. I, 101); sed non credo esse Galbam illum, virum praetorium, quem Plut. Caes. 51 narrat a militibus seditione facta in Campania esse occisum. Quid enim ei, qui classem regeret, erat cum militibus in Campania constitutis? Ipsius igitur Sulpicii rationes, quas exposuimus, impediunt, quominus ante annum 46 in Illyricum abisse videatur, idque unum relinquetur, ut eum ipso illo anno ex praetura biennio ante gesta ei provinciae praefectum esse statuamus. Tradidit autem eam anno 45 P. Vatinio, quem diximus, qui et per illum annum et 44 teneret. Qui cum prospere rem gessisset, quamdiu Caesar vixit, ubi eius mors nunciata est, compulsus Dyrrhachium recessit ac sponte sua, nec vi coactus nec successore misso (neque enim Cic. Phil. X, 5 quemquam qui ex legibus ei succedere debuerit nominat) imperium exercitumque universum M. Bruto tradidit.

Itemque Q. Hortensii Hortali successor fuit *M. Brutus*, qui Caesarem interfecerat, legibus ac provinciarum sortitione debuerat esse alius. Quae antequam exponamus, quaedam de provinciarum ratione, qualis sub Caesaris dictatoris imperio fuerit, dicenda sunt. Antecesserat enim proxime lex Pompeia, quam supra p. 204 tetigimus, cuius praecipuum caput hoc fuerat, ut consules et praetores quinquennio post gestos honores provincias sortirentur, qua lege quomodo usi sint Pompeiani, demonstravimus. Ea Caesari eiusque consiliis magnopere adversabatur. Primum enim inter eos, qui ante quinque annos magi-

stratus habuerant, multi erant eius inimici, qui si suo iure, non ipsius gratia provincias obtinerent, novae seditiones ac bella videbantur posse existere. Deinde socii victoriae postulabant praemia cum in honoribus ipsis, tum in provinciis, quae veteri more ex honoribus dabantur, posita, quae in quinque annos reiici non poterant. Itaque omnes, qui anno 49 et 48 ineunte in provincias Caesari subiectas missi sunt, quamvis pro praetoribus vel pro consulibus essent, legatorum tamen iure ac nomine usos esse iudico, et quattuor illos, quos App. bell. civ. II, 41 ait a Caesare, antequam expeditionem contra Pompeii legatos in Hispaniam suscepit, esse in provincias missos, Curionem et C. Valerium et C. Antonium et M. Licinium Crassum, ex quibus neminem video ex magistratu ante gesto provinciam accepisse, et alios quattuor, quos App. bell. civ. II, 48 narrat ante expeditionem Pharsalicam provinciis esse praefectos, quibus addentur Cassius Longinus, Hispaniae ulterioris et Q. Cornificius, Illyrici praesides, quorum non magis quisquam propter magistratum gestum praefectus est. At post victoriam Pharsalicam cum alii multi honores Caesari a senatu decreti sunt, tum comitia permissa atque omnium prope provinciarum regimen. De hac autem re sic narrat Dio Cass. XLII, 20: *τάς τε ἡγεμονίας τὰς ἐν τῷ ὑπηκόῳ τοῖς μὲν ὑπάτοις αὐτοὶ (οἱ βουλευταί) δῆθεν ἐκλήρωσαν, τοῖς δὲ δὴ στρατηγοῖς τὸν Καίσαρα ἀκληρωτὶ δοῦναι ἐψηφίσαντο· ἔς τε γὰρ τοὺς ὑπάτους καὶ ἐς τοὺς στρατηγοὺς αὖθις παρὰ τὰ δεδογμένα σφίσιν ἐπανῆλθον.* Primum igitur abolita lex Pompeia, lata anno 55 a. Chr., permissumque, ut consules et praetores ex magistratu in provincias proficiscerentur. Sic remoti sunt a provinciis Pompeiani, qui ante bellum civile honores gesserant omniaque ad Caesarianos, qui tunc summam potentiam occuparant, translata. Sed ne his quidem tantum datum est, ut suo iure uti viderentur, sed consulibus solis tributum, ut eas provincias sortirentur, quas senatus decrevisset, praetores omnes arbitrio Caesaris permissi, quare anno 45 L. quidam Bacillus sive Basilus, cum gesta praetura non provinciam, sed eius loco pecuniam acciperet, inedia sese ipse interemit (Dio XLIII, 47), omnesque praetores postea *ἀκληρωτί* i. e. extra sortem a Caesare ait in provincias missos esse Dio XLIII, 47. Consules autem ex hac lege provincias sortiti sunt, P. Servilius Vatia Isauricus Asiam, quam inde ab anno 46 (nam antea nondum pacata fuerat) per biennium rexit (Ioseph. Antiq. XIV, 10, 21), P. Vatinius, de quo diximus, Illyricum, qui ut non anno 46, sed 45 demum provinciam acciperet, haec causa fuit, quod extremis anni diebus divisis iam provinciis magistratum gessit, C. Trebonius, unus ex coniuratis, Asiam (App. bell. civ. III, 2), successurus Servilio. Reliqui, qui a Caesare consulatu aucti sunt, in provinciis videntur esse praeteriti, ex quibus maxime miror Q. Fufium Calenum non accepisse, ut acceperat collega eius Vatinius, sed tamen, cum si in provinciam abisset, eam ex lege quam deinde citabimus per biennium teneri oporteret, iam ineunte anno 43 Romae aderat

et videtur etiam anno 44 adfuisse (Cic. ad Att. XV, 4). At Q. Fabius Maximus mortuus est in ipso consulatu, cui qui successit C. Caninius Rebilus, cum extremo anni die magistratum gessisset, a Caesare accepturus erat provinciam anno 44, illo interfecto prae seditionibus civilibus vel nullam vel etiam pro provincia imperium legionum nonnullarum in Macedoniam praemissarum accepit (Cic. ad Att. XIV, 5). Atque haec quidem ita tunc decreta a senatu ac sancita ab populo; nam cum reliquos Caesaris honores legibus constitutos esse videam, haec quoque de provinciis lege iussa esse existimo. Verum addidit Caesar ipse paulo post anno 46 aliam legem reipublicae utilissimam, ne praetoriae provinciae plus quam annum, consulares plus quam biennium obtinerentur abolereturque vetus lex Cornelia, quae tamdiu quemque iubebat provinciae praeesse, dum successor missus esset. Vide Dion. Cass. XLIII, 25 et Cic. Phil. I, 8. Quae lex cum valeret, dum vixit Caesar, et consulares provincias per biennium vidimus eodem esse usas praeside, et in reliquis fuisse tantam proconsulum (sic enim tunc plerosque vel omnes appellatos esse censeo provinciarum praesides) vicissitudinem, quanta ante id tempus nunquam fuerat. Atque eandem ob legem fecerat Caesar, ut praetorum numerum paulatim ad sedecim amplificaret; tot enim opus erat, quia tres novas provincias, Galliam transalpinam et Belgicam et Africam novam imperio addiderat, unam antea cum aliis coniunctam, Illyricum, per se constituerat.

Sed omnia haec Caesaris praecepta dissensionibus civilibus post eius caedem exortis disturbata sunt. Ipse enim, antequam in Parthicum bellum proficisceretur, ne qua, dum abest, nova discordia existeret, *magistratus in plures annos ordinaverat,* ut Suet. Caes. c. 76 ait. Accuratius multo tradit Dio Cass. XLIII, 51 constituisse anno 44 ineunte senatum populumque Romanum, ut, cum bellum Parthicum per triennium confici posse existimarent, in idem tempus magistratus fierent, i. e. legem latam esse, ut belli Parthici causa non quotannis, sed triennii, qui anni futuri erant ab anno 43, magistratus simul constituerentur atque in iis triennii comitiis eadem esset Caesaris potestas, quae antea ei erat decreta. Habita enim esse comitia in omnibus quos Caesar tunc designaret magistratibus coarguit P. Dolabellae exemplum apud Cic. Phil. II, 33. Sed addit Dio non omnes, de quibus iussum erat, esse creatos (*οὐ μέντοι καὶ πάντας προαπέδειξαν*); factos enim esse in annum primum, i. e. 43 a. Chr., quaestores quadraginta, aediles sex, praetores sedecim, ut omnes illius anni magistratus Caesaris beneficio fierent (*οἱ μὲν οὖν τῷ πρώτῳ μετ᾽ ἐκεῖνο ἔτει ἄρξοντες πάντες προκατέστησαν*), in annum alterum creatos tantum esse consules et tribunos plebis; tantum abfuisse, ut tertii quoque anni magistratus fierent. Hinc colligemus, anni 43 designatos esse a Caesare magistratus urbanos omnes, anni 42 consules modo et tribunos plebis, anni 41 nullos; etenim vel deerat tempus comitiorum perficiendorum vel ipse Caesar potestatem eorum, qui bene de se meruissent, remuneran-

dorum sibi relinquere volebat. Atque hoc Dionis testimonium confirmatur primum re ipsa. Nam anno 43 Hirtium et Pansam ex Caesaris designatione inisse consulatum, non novis comitiis factos (etenim quin quamvis commendati a Caesare populi tamen suffragiis anno 45 creati sint dubitari non debet) ex consensu omnium auctorum constat. Sed item designatos esse praetores illius anni docet Dio Cass. XLIII, 51, qui Ventidium nominat; tum Cn. Munatius Plancus a Cic. ad Att. XVI, 16 anno 44, quo nulla comitia habita esse certum est, appellatur *praetor designatus*, denique multorum tribunorum plebis qui anno 43 fuerunt, nomina nota sunt, quos oportet factos esse a Caesare. At in annum 42 constat consules designatos fuisse D. Brutum et L. Munatium Plancum; ita enim Brutus saepe appellatur in Ciceronis epistolis, item Plancus libr. X, 8, atque collegae vocantur a Cicerone epist. X, 6 et 20 et 22 et alibi; cf. etiam Cic. Phil. XIII, 7 et XIV, 3. Nec minus tribunos plebis iam antea fuisse designatos ostendit Cic. Phil. XIII, 8, initio anni de duobus tribunis designatis, qui apud Antonium sint, narrans. Contra reliquos magistratus anni 42 non esse factos ostendit de praetoribus Cic. epist. XI, 16 et 17, D. Bruto petitionem L. Aelii Lamiae, familiaris sui, anno 43 commendans, de quaestoribus App. bell. civ. IV, 18, qui in proscriptione perisse ait Annalem praetorem, cum maxime cum filio quaesturae candidato suffragia ambiret; iuvenem autem, cum prodito patre IIIvirum gratiam inisset, non quaestura, quam petierat, sed aedilitate esse ornatum. Certissime igitur colligimus, praeter consules et tribunos plebis, quos Dio excipit, nullum magistratum urbanum anni 42 a Caesare esse designatum. Accedit ad haec Ciceronis alia gravissima auctoritas, qui ad Att. XIV, 6 sic scribit anno 43: *Quid enim miserius quam ea* (nimirum acta Caesaris) *nos tueri, propter quae illum oderamus? Etiamne consules et tribunos pl. in biennium, quos ille voluit?* unde plus quam biennii nullos magistratus a Caesare factos esse intelligimus. Sed quid tandem est, quod Appianus bell. civ. II, 128 tradit a Caesare in quinquennium designatos esse magistratus? Sic enim dicentem facit M. Antonium paulo post Caesaris caedem in senatu: *ἐς γὰρ πενταετὲς (ὡς ἴστε) καὶ τὰ ἀστυκὰ ὑμῖν καὶ τὰ ἐτήσια καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἢ στρατοπέδων ἡγεμονίας διετάξατο*, similiaque paulo ante habet. Iam haec aperte sint falsa, si magistratus urbanos a Caesare intelligas in quinquennium esse creatos, nec tamen Appianum in hac parte operis, in qua solet esse accuratissimus, aut erroris aut negligentiae velim arguere; certe causam aliquam subesse oportet, quae eum excuset et ut erraret induxerit. Est etiam hoc observandum, quod Appianus Antonium ita dicentem et cogitantem facit eo tempore, quo id agebat, ut acta Caesaris, quippe quae ad plurimas reipublicae partes pertinerent, nullo modo tolli posse doceret, quem etiamsi qua in re paulo plus quam verum erat, dixerit, facile tamen feremus. Quamquam illud certum est, non posse haec intelligi de urbanis magistratibus vere electis (nam ne in biennium quidem omnes

factos esse demonstravimus), sed quaeritur, an senatus populusque Romanus anno 44 ineunte de magistratibus in quinquennium ex Caesaris commendatione creandis legem iusserit, quam legem non exequentes si Romani biennii tantum fecerant, poterat tamen Antonius, ut dictatoris potentiam extolleret, recte quinquennium commemorare. Etenim cum comitia illa sic et facta essent et fieri deberent, ut maior magistratuum pars ex Caesaris commendatione suffragiis populi Romani crearetur, si acta Caesaris rata esse iuberentur, Antonius iure postulare poterat, ut ii, quos ille creari voluisset, sed nondum creasset, deinde ex commentariis eius fierent. At enim Dio Cassius triennii modo magistratus licuisse Caesari ait ante bellum Parthicum creare. Nimirum ipse dicit de urbanis magistratibus, Appianus etiam de provinciarum rectoribus. Iam qui praeturam gesserant, anni, qui consulatum, biennii provincias accipiebant, ut, quamvis urbanos magistratus in triennium modo fieri liceret, potestas Caesaris, si universam eam complectare, in quinquennium tamen extenderetur. Nulla igitur inter Dionem et Appianum relinquitur dissensio, nec magis videbitur aliter tradere Hirtius in epistola ad Ciceronem (apud Cic. ad Att. XV, 6), qui *praesidia* dicat *in tot annos esse provisa.* Neque enim magistratus modo intelligit aut urbanos aut provinciarum, qui in multos annos creati essent, sed omnes omnino, qui Caesaris ope ad rem publicam admoti erant, in multos ei annos praefuturos, item exercitus ab eo comparatos aliaque instituta, quibus cautum erat, ne qua celeriter reipublicae commutatio posset existere.

Sed haec quidem de urbanis magistratibus. Provincias autem, quas licuisse dividere Caesari modo diximus, in quot annos vere divisas esse putamus? Quamquam earum ratio diversa erat ab magistratibus. Ad hos enim faciendos opus erat comitiis populi, in quibus instituendis discordia ac turbae absente Caesare oriri poterant; illarum maior pars quotannis extra sortem dabatur a Caesare, nimirum praetoriae, de quibus etiam per absentiam statuere non difficile erat, consularium tantum, nisi quis ad populum adiret, id quod Caesare vivo fieri non poterat, sortitio in senatu fiebat. Minus igitur haec a Caesare in bellum proficiscente constitui oportebat quam magistratus ipsos, parvamque omnino vel nullam curam iis adhibitam esse reperio. Nam qui anno 45 praeturam gesserant, acceperant sane iam cum dictator occideretur, provincias, quas anno 44 regerent, A. Hirtius Galliam Belgicam (Cic. ad Att. XIV, 9), transalpinam L. Munatius Plancus (Cic. epist. X, 1 sq.), cisalpinam D. Brutus, Asiam C. Trebonius, Bithyniam Tillius Cimber (App. bell. civ. III, 2), aliasque alii, qui supra iam nominati sunt. Sed ex magistratibus anni 44 consules M. Antonius, collega Caesaris, et P. Cornelius Dolabella, quem is sibi in summo magistratu succedere voluerat comitiisque habitis crearat, nusquam narrantur sortiti esse provincias ante caedem dictatoris; ex praetoribus M. Brutus Macedoniam, C. Cassius Syriam dicuntur acce-

pisse, reliqui dubium est num acceperint. Iis autem, qui anno 43 futuri erant magistratus, certe nondum provisum erat a Caesare; consulibus quidem Hirtio et Pansae demum anno 43 a senatu propter scelus Dolabellae decretas esse constat provincias Asiam et Syriam (Cic. Phil. XI, 9 et epist. XII, 14). Parum igitur Caesar potestate sibi permissa usus iis modo provinciis, quae anno 45 sortiendae erant, prospexerat. Quare post quartum diem quam occisus est, senatus, qui iam pridie in aede Telluris et coniuratis oblivionem rerum praeteritarum et Caesarianis confirmationem actorum Caesaris decrevisset, accuratius et de honore Antonii ac Dolabellae et de provinciis coniuratorum egit, ut non modo qui in ipsum illum annum 44 ab dictatore acceperant, obtinere iuberentur, verum etiam M. Bruto et C. Cassio, quibus vel publice vel in commentariis modo suis ille consuluerat, confirmarentur. Sic enim tradit Plutarchus Brut. c. 19, in una hac re errans, quod tunc iam Cretam et Africam (vel Cyrenaicam potius; nam Africa ipsa nunquam ad Cassium pertinuit) Bruto et Cassio datas esse narrat. Cf. eund. Anton. c. 14, Caes. c. 67, Cic. c. 42. Etenim diligenter Appianus, auctor in his rebus accuratissimus, bell. civ. III, 2 C. Cassio Syriam, M. Bruto Macedoniam tributam esse narrat idque et per se longe est probabilius, quia tunc cum metuerentur coniurati praemiisque placandi esse viderentur, quae parvae erant provinciae parum iis idoneae esse poterant, et quomodo falso tradiderit Plutarchus intelligitur, quia postea Syria et Macedonia minores illas provincias mutatas esse Appianus scribit. Nam Antonius, ubi studia vulgi animadvertit coniuratosque urbe cedere, impulit mense Aprili collegam Dolabellam, ut, cum nondum ipse ullam accepisset provinciam, Syriam, antea Cassio datam, cum exercitu, quem Caesar ad bellum Parthicum in Macedoniam praemiserat, a populo peteret effecitque, ut lex invito senatu et contra auspicia perferretur (App. bell. civ. III, 7 et Cic. ad Att. XIV, 9 extr.). Neque enim iniustum aut contra leges esse videbatur, in tanto bello gerendo praetorem cedere consuli. Acceperat autem Dolabella iam Syriam antequam Cicero a. d. XV Kal. Mai. scripsit ad Att. XIV, 9, in qua epistola commemorans incursiones quasdam Parthorum ad Dolabellae curam illud bellum pertinere significat. Eodemque tempore (coeptum enim erat de consulum provinciis agi eaque res peragenda erat) Antonius ab senatu impetravit Macedoniam, in qua qui erat exercitus, in Syriam adversus Parthos proficisci iubebatur (App. bell. civ. III, 8). Sic etsi consultum erat consulibus, perierat tamen provinciarum divisio a Caesare instituta necessarioque faciendum esse videbatur, ut praetoribus, qui tunc essent, provinciae decernerentur. Itaque postquam aliquamdiu quies fuit, dum et Antonius per Italiam proficiscens veteranis dictatoris conciliandis rerum novarum vires colligit et Dolabella in urbe seditiosorum hominum coetus coercet et Brutus Cassiusque ruri peregrinantes invidiam vitant, Kal. Iuniis senatus futurus erat, quo de provinciis constitueretur. Duae autem, quae

tunc erant in republica partes, haec sibi illo die agenda proposuerant, veteres optimates, ut cum omnibus liberatoribus, tum M. Bruto et C. Cassio prospiceretur, qui quia illo anno praetores erant, et absentiae veniam accipere debebant (nam Romae eos esse non posse omnes intelligebant) et pro iis, quas consules occuparant, novas provincias sortiri, Antonius suae potentiae cupidus, ut Macedoniam iam sibi delatam Gallia cisalpina et quidem in quinquennium permutaret. His de rebus maxima certamina extiterunt, quorum fama iam multo ante percrebruerat. Etenim iam a. d. V Kal. Maias Cicero ad Atticum (XIV, 14) sic scribit: *Quod scribis Kalendis Iuniis Antonium de provinciis relaturum, ut et ipse Gallias habeat et utrisque dies prorogetur: licebitne decerni libere?* et a. d. X Kal. Iun. idem (ad Att. XV, 4) sic respondet: *Antonii consilia narras turbulenta: atque utinam potius per populum agat, quam per senatum: quod quidem ita credo. Sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare videtur, si quidem D. Bruto provincia* (i. e. Gallia) *eripitur.* Nec dubium est, quin verus fuerit rumor quaeque et Antonius et optimates sibi proposuerant, in senatu acta sint. Quamquam Kal. Iuniis nondum quicquam peractum est; nam a. d. III Non. Iun. Cicero ad Atticum (XV, 9) scribit: *III Non. vesperi a Balbo redditae mihi litterae, fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent. O rem miseram! Primum ullam ab istis, dein, si aliquam, hanc locatoriam provinciam!* Sed III Non. peracta est res; nam paulo post Cicero ad Atticum (XV, 10) *beneficium istorum* i. e. provincias ab istis decretas commemorat. Quamquam ipsae hae provinciae quales fuerint et quo pacto decretae, admodum inter ipsos veteres auctores ambigitur. Diximus autem duplex optimatium de liberatoribus imprimisque de M. Bruto et C. Cassio fuisse consilium, primum, quoniam in urbe quamvis praetores esse non poterant, ut et legitime et honeste abessent, deinde ut exacto praeturae anno provincias acciperent, in quibus tuto versarentur. Iam, qui diligentissime has turbas civiles enarrat, Appianus bell. civ. III, 6, postquam Brutum et Cassium neque in urbe sine honore neque extra eam contra leges esse voluisse exposuit, addit: *οὕτω δ' αὐτοῖς ἔχουσιν ἡ βουλὴ συνειδυῖα τὴν γνώμην ἔδωκε σίτου τῇ πόλει φροντίσαι ἐξ ὅσης δύναιντο γῆς, μέχρι αὐτοὺς ὁ χρόνος τῶν ἐθνῶν τῆς στρατηγίας καταλάβοι,* et paulo post c. 8, ubi Dolabellae Syriam, Antonio Macedoniam datam esse dixit: *Ἐν καιρῷ* (i. e. data occasione, nimirum Nonis Iuniis cum in senatu de provinciis ageretur) *δὲ αὐτοὶ τὸν Ἀντώνιον τοῖς ἀμφὶ τὸν Κάσσιον ἀντῄτουν ἕτερα ἔθνη. καὶ ἐδόθη Κυρήνη τε καὶ Κρήτη, ὡς δ' ἑτέροις δοκεῖ, τάδε μὲν ἀμφότερα Κασσίῳ, Βιθυνία δὲ Βρούτῳ.* Cf. libr. IV, 57. Eundemque rerum ordinem sequitur Appian. c. 35 sq. in oratione Antonii ad milites habita, ubi hic primum curam frumenti Bruto et Cassio delatam, tum Dolabellae Syriam, sibi Macedoniam, denique illis Cretam et Cyrenas datas esse dicit. Sed pugnare cum his videntur, quae ex

Ciceronis epistolis colligi licet. Nihil enim habet de cura frumenti liberatoribus delata ante Nonas Iunias, quod aperte ex loco ad Att. XV, 9, quem modo citavimus, intelligimus, ac tunc primum in senatu de ea re actum esse constare debebit. Cf. etiam XV, 5. Narratur etiam deinceps in epistola (XV, 11) a. d. V Id. Iun. scripta de consultatione, quam Brutus et Cassius cum Cicerone aliisque amicis de curatione sibi commissa Antii habuerant. Cicero suadebat Bruto, *ut uteretur Asiatica curatione frumenti*, Cassius negabat *se in Siciliam iturum.* Hinc certum est, tunc demum postquam iam Dolabella Syriam, Antonius Macedoniam legibus tenebant, curationem frumenti Bruto, ut in Asia, Cassio ut in Sicilia emeret, delatam esse atque errare utique Appianum, qui eam curationem in priora tempora coniiciat. Sed quomodo potuit tamen errare? Neque enim non aliquam causam subesse oportet. Nimirum non duae modo hae res de frumenti curatione et de provinciis Bruto Cassioque decretae sunt, verum etiam tertia aliqua. Etenim Cic. Phil. II, 13 sic dicit: *Cur M. Brutus te referente legibus est solutus, si ab urbe plus quam decem dies abfuisset?* Senatus consultum igitur factum est, ut liceret Bruto et Cassio, quamvis tunc ipsum praetura fungerentur, ab urbe abesse. Id quando factum esse putamus? An ipso illo tempore, quo vel exire statuerant vel modo exierant nec redire volebant? Nam Kalendis Iuniis, cum plus quam mensem abfuissent, decerni ut liceret abesse contra rationem ac turpissimum erat. Exierunt autem liberatores Roma medio fere mense Aprili; nam eorum et Antonii tunc in urbe versantis colloquium commemorat Cic. ad Att. XIV, 6, quae epistola prid. Id. April. scripta est; at ad Att. XIV, 7 a. d. XVII Kal. Maias Brutum sub Lanuvio versari ait reliquisque deinceps epistolis eum varia Italiae loca peragrare significat. Quare a vero non aberrabimus, si circa Idus Apriles, cum Brutus et Cassius vel exissent modo vel exituri essent, iis ab senatu absentiae veniam datam esse putabimus idque eo probabilius, quod illo tempore Antonium constat amice in liberatores egisse (cf. Cic. ad Att. XIV, 8), ut etiam illud intelligatur, quod Cicero ait *referente Antonio* senatum de absentiae venia decrevisse. Ac nescio an senatus, qui illos cum honoris specie abesse cuperet, iam tunc legationem aliquam iis iniunxerit, maxime frumentariam, quam ut postea aspernaretur Cassius, aliam ob causam fecit (Cic. ad Att. XV, 11 et 12). Quae legatio cum levis videretur, a Cicerone silentio praetermittitur, ab Appiano commemoratur.

Sed haec quidem acta sunt ante mensem Quinctilem; ipso autem illo ineunte quid senatus decrevit? quas provincias M. Bruto et C. Cassio assignavit? Nam hoc explicandum erit, si ad vicissitudines, quas Macedonia provincia tunc subiit, pervenire volemus. Atque Appiani quidem testimonia attulimus, Dio Cassius aliis locis alios auctores videtur sequi. Nam libr. XLV, 32 in oratione Ciceronis Kal. Ian. anni 43 habita et in Caleni responso

(libr. XLVI, 23) Cretam aperte M. Bruto tribuit; at libr. XLVII, 21 Cretam et Bithyniam Bruti et Cassii provincias nominat, quae utriusque fuerit, non definiens. Unde si haec eius existimabitur fuisse opinio, ut Cretam Bruto, Bithyniam Cassio datam esse putarit, solus destituetur ex omnibus auctoribus; nam qui Bithyniam nominat Appianus, Bruto eam tribuit. Quare malo eum similiter egisse atque Appianum, qui cum in Antonii oratione Cretam Bruto, Cyrenas Cassio tribuat, in ipsa rerum narratione dubitari posse ait, an Creta et Cyrenae Cassio, Bithynia Bruto obtigerit; atque in hac una re maior quaedam levitas Dionis intelligetur, quod quam rem Appianus tamquam dubiam refert diversaque fama adiuncta explicat, ipse quasi certa sit narrat. Quamquam utut de provinciis iudicabimus, hoc apparet non facile posse Bithyniam, quae Bruti provincia appelletur, sperni; neque enim unum modo, sed duos iam habet auctores, atque in rebus ipsis esse aliquid oportebat, quod et Appianum et Dionem Cassium moveret. Alia longe causa est Plutarchi, qui in Bruto c. 19 Cretam Bruto, Africam (*Λιβύην*) Cassio assignet; eum enim in tempore certe rerum gestarum errare manifestum est, siquidem has utrique provincias datas esse scribit postridie post caedem Caesaris, cum de concordia ac rerum praeteritarum oblivione decerneretur, simulque Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam, D. Bruto Galliam divisas esse addit, quasi inter has provincias et inter illas, quas Brutus et Cassius acceperunt, nihil discriminis interfuerit. Sed vel sic confirmat tamen Plutarchus, quod priore loco Appianus refert, nam quod Africam appellat, ad nomen magis quam ad rem pertinet. Veruntamen quid tandem tradit Cicero, cuius epistolis ad Atticum datis nullum extat horum temporum testimonium luculentius? At in his nihil omnino est de Bruti Cassiique provinciis nisi quod supra de frumenti curatione citatum est. Brutum quidem de profectione in Asiam cogitare repetit alia epistola, item insequenti ad Atticum XV, 12. Idem tamen in Philippicis orationibus haud dubie Cretam Bruto tribuit, primum XI, 12: *Non igitur Brutus expectavit decreta nostra, cum studia nosset. Neque enim est in provinciam suam Cretam profectus,* tum II, 38: *Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimae Cretensium liberantur statuiturque ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus? An Caesaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum Caesare vivo pertineret?* In hac auctorum praestantissimorum dissensione antequam decernamus, pauca de ipsis provinciis Creta et Cyrenis, quae divisae esse narrantur, praemittenda sunt, idque eo magis faciendum, quod proprie ea ad provinciam Macedoniam pertinent.

Cum hac enim Cretam cum occuparetur a Romanis atque in provinciae formam redigeretur, coniunctam fuisse supra p. 187 docuimus. Quando igitur ab ea disiuncta est? Nam qualiscunque illa tunc fuit provincia, hoc certum est, a Macedonia et Graecia, quam tunc

Q. Hortensius regebat, fuisse diversam. Num dictator Caesar disiunxit? Nullam equidem veteris testis novi commemorationem, qua quicquam de hac re tradatur, incertaque est omnis coniectura; sed de Caesare tamen non credo. Etenim modo citavimus locum Ciceronis Phil. II, 38, ubi Antonius vituperatur, quod quasi ex commentariis Caesaris legem de libertate Cretensium tulisset. Quae vituperatio certe iniusta est et ad rem levissimam pertinet. Quidni enim reperire potuit Antonius in Caesaris commentariis, quod de Cretensibus tulit? Quodcum interim post caedem dictatoris Creta Bruto data esset neque rursus senatus consulta convelli placeret, necessario adiiciendum erat, ut post M. Brutum proconsulem insulae libertas daretur. Sed faciamus Caesarem sanxisse illud quod quaerimus, ut Creta seiungeretur a Macedonia, qua ipsa re quid sibi de insula fieri placeret significasset, quot quantisque verbis id Ciceronem putamus fuisse persecuturum? Ita Antonius non verba modo pauca extra Caesaris commentarios addidisset, verum ipsam eius legem mutasset, nec minoribus criminibus exagitaretur a Cicerone, quam exagitatur in lege de provinciarum annis, de qua postea dicemus, vel maioribus adeo; hanc enim per alios ferendam curavit, illam ipse tulit. Haec ratio, cum testimonia desint, tantum valebit, ut a Caesare seiunctam esse Cretam existimare non debeamus. Accedit similis altera haec ratio. M. enim Brutus cum decreta ei esset Creta, tamen potitus est postea Macedonia provincia *alienam*que eam appellat ipse Cicero iis locis, quos afferemus. Quid, quaeso, si Caesar demum disiunxisset? nonne facturum eum fuisse censemus, ut Brutum spretis tyranni actis ad vetera libertatis instituta ac morem pristinum revertisse diceret? Sed nihil eiusmodi habet, ut legitime libera etiamtunc republica Cretam separatam esse videatur significare. Sed quis separavit? Ante Caesarem Macedonia provincia iam imminuta erat Illyrico adempto, ut nulla rursus minuendi probabilis causa esset. At lege Vatinia, qua Caesari primum Gallia cisalpina delata est, minuebatur ea Illyrico, ut diximus, ad Galliam adiecto. Quid igitur? Si tunc etiam hoc latum est, ut item seiungeretur Creta? Simile sane est hoc vero. Nam qui proxime ab illa lege Macedoniam tenuit, L. Piso, de quo supra p. 195 sq. multa diximus, Cretam non videtur administrasse. Qui cum a Cicerone in acerrima oratione quam contra eum habuit omnia quae ubique per provinciam suam timide, avare, crudeliter egisset, audiret, cum Macedonia ipsa, Epirus, Thessalia, Achaia singillatim obiicerentur atque urbes prope omnes, in quibus quid admisisset, exprobrarentur, quae omnia supra executi sumus, de Creta nihil audivit. Numquid igitur in illa insula sola eum continenter ac fortiter versatum esse existimabimus? Immo Creta non pertinebat amplius ad Macedoniam eius provinciam. Neque ante legem Vatiniam seiunctam esse arbitror Cretam. Triennio enim ante triumpharat Metellus, qui una cum Macedonia tenuerat, neque si tam recens lex alia de minuendo huius provinciae ambitu lata esset, Vatinia, quae denuo minueret, opportuna videri

poterat. Quae cum ita sint, etsi difficilem esse video rem solaque coniectura effici, sic tamen statuo, anno 59 lege Vatinia seiunctam esse Cretam ab Macedonia.

Sed quomodo constituta est Creta? Dupliciter enim cogitari potest, aut suum ac peculiarem fuisse Cretae praetorem, aut coniunctae cum alia provincia. Ac communis quidem plurimorum doctorum opinio haec est, cum constet sub Augusto Cretam et Cyrenas in unius proconsulis imperium fuisse coniunctas, ut ab initio ipso postquam provinciae Romanae factae sunt, eas coniunctas fuisse statuant, quam opinionem Pighius in annalibus ita sequitur, ut singulis annis pro praetoribus Cretae et Cyrenarum locum, vacuum illum quidem, assignet. Item illa quae postea fuit coniunctio videtur scriptores, quos Appianus ipse citat, movisse, ut non unam Cretam alteri ex liberatoribus, sed simul Cyrenas decretas esse putarent. Num igitur hoc probabile, anno 44 a. Chr. unam fuisse Cretae et Cyrenarum provinciam? Non videtur. Duplicem enim Appianus ait de Bruti et Cassii provinciis fuisse famam, cum alii Bruto Cretam, Cassio Cyrenas, alii illi Bithyniam, huic Cretam et Cyrenas tribuerent. Alteros ex his deceptos esse apertissime ostendit testis locupletissimus Cicero, qui in orationibus Philippicis, quos locos supra citavimus, bis Cretam appellet Bruti provinciam, ex quo efficitur, ut Cassio Cyrenae decretae fuerint. Non quaero nunc, unde error ille extiterit; de ea enim re postea dicemus; sed erratum esse constat nec posse dubitari, quin, quo tempore senatus Bruto et Cassio provincias decrevit, et Creta et Cyrenae per se constiterint necdum in unius proconsulis imperium, quod Augustus introduxit, fuerint coniunctae. Quodsi tunc seiunctae erant Creta et Cyrenae, item certe erant, quamdiu Caesar imperium tenuit, qui si quid mutasset, videtur in Philippicis orationibus commemorari debuisse a Cicerone. Tum supra p. 209 in notabili Caelii ad Ciceronem epistola (Cic. epist. VIII, 8) etiam paulo ante Caesaris principatum, quo tempore acerrime de provinciarum sortitione in urbe pugnabatur, si numerum provinciarum, quem Caelius indicat, efficere vellemus, necessario faciendum erat, ut seiungeretur Creta ab Cyrenis, atque utraque peculiaris provincia fuisse existimaretur. Sed etiam altius ascendere licet atque ad ipsas prope utriusque provinciae origines. Quaestorem enim Cyrenis fuisse p. 211 diximus M. Iuventium Laterensem, eum, qui in aedilitate petenda superatus accusavit Cn. Plancium; hunc autem Plancium p. 195 militem, tum quaestorem fuisse ostendimus Q. Metelli, Macedoniae proconsulis, qui idem Cretam in provinciae formam redegit. Utramque quaesturam, et Laterensis et Plancii, commemorat Cicero in oratione, quam pro Plancio habuit, nominat idem contubernales et collegas Plancii in Macedonia; at idem de necessitudine, quae inter Laterensem et inter Plancium intercesserit, nihil significat. De qua quot quantaque verba et facere debuit et fecisset, si fuisset ulla, si in eadem provincia eodemque imperatore (nam in idem prope tempus utriusque quaestura incidit) rempublicam gessissent!

Luculento hoc silentium debet esse testimonio, ab ipso illo tempore, quo Creta imperio populi Romani subiecta est, Cyrenas ab ea fuisse seiunctas. Quodsi hoc accipitur, item sic statuendum erit, per se constitisse suumque peculiarem rectorem habuisse et Cretam et Cyrenas. Cum qua enim alia provincia coniungerentur? De una Achaia et Macedonia cogitari possit, a qua utramque seiunctam fuisse diximus. Reliquae enim provinciae longius absunt, atque ipsa Africa provincia, in quam aliquando M. Cato Pharsalo discedens ex Cyrenis cum magna molestia profectus est (Plut. Cat. 56; Lucan. Phars. III, 300 sq.), et deserto, quod interiacet, magis disiungitur quam coniungitur cum Cyrenis et ideo reiicienda est, quod in divisione provinciarum, quam IIIviri instituerunt, Africa Octaviano, Creta et Cyrenae Antonio traditae sunt, a quo cum dono datae essent Cleopatrae liberis, post multas vicissitudines tandem ab Augusto in unam provinciam coniunctae sunt. Quamquam negare nolim, iam dictatorem Caesarem, qui parvas esse provincias videret, tale aliquod consilium agitasse. Certe enim commentarios Caesaris sequebatur Antonius, cum multis Cretensium civitatibus libertatem daret, non eam ob causam, ut provincia esse desineret Creta (nam hoc invidiose ac prope inepte ei subiicit Cicero), sed ut levatis Cretensibus negotiis facilius cum Creta coalescerent Cyrenae.

Has igitur quales descripsimus provincias, Cretam et Cyrenas, M. Bruto et C. Cassio circa Kal. Iun. anni 44 a senatu datas esse dicit Cicero, qui errare nullo pacto potuit. At Dionem num temere errasse putabimus famamque illam, quam Appianus de Bithynia Bruto, de Creta Cyrenisque Cassio assignatis refert, nullo prorsus fundamento niti? Leve hoc quidem videatur atque improbandum. Nimirum audiamus, quae Cic. Phil. II, 13, etsi provincias Bruti et Cassii non nominat, ut omnem honorem Caesaris interfectoribus habitum esse demonstret, de ornatione tamen earum sic dicit: *Cur provinciae Bruto et Cassio datae? cur quaestores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque haec acta per te.* Num haec conveniunt in Cretam et Cyrenas, provincias omnium minimas et infirmissimas, de quibus ipsum Antonium cum magna contemptione dicentem facit Appian. bell. civ. III, 36 et IV, 58? Ac quaestores quidem quot additi sint Bruto Cassioque, non dicit Cicero; si non plures quam singuli additi sunt, eos solitos in iis provinciis fuisse ostendit Laterensis exemplum, quod supra citavimus. At legati cur plures additi? quibus certe in neutra provincia opus erat. Videmus igitur Bruto et Cassio plus quam provincias illas, quas diximus, esse decretum. Idque ipse Cicero significat ad Att. XV, 9 referens de rebus, de quibus ineunte mense Iunio decretum iri a senatu putaret: *III Non. vesperi a Balbo redditae mihi litterae, fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent. O rem miseram! Primum ullam ab istis, dein, si aliquam, hanc locatoriam provinciam! Atque haud scio an melius sit quam ad*

Eurotam sedere. Sed haec casus gubernabit. Ait autem eodem tempore decretum iri, ut et iis et reliquis praetoriis provinciae decernantur. Num igitur vere decretum est in senatu de utraque re? Certe, nam de cura frumenti testantur Ciceronis loci, quos supra p. 237 citavimus, de provinciis Appianus et Dio Cassius, atque ipse etiam Cicero. Etenim in epistola ad Att. XV, 11, scripta a. d. V Id. Iun., ubi deliberationem narrat a Bruto, Cassio eiusque amicis esse institutam, utrum illi senatus decretis obtemperarent necne, primum iram et recusationes illorum exponit, tum adiicit: *Sed et Cassius mihi videbatur iturus; etenim Servilia pollicebatur se curaturam, ut illa frumenti curatio de senatusconsulto tolleretur,* similiaque sunt ad Att. XV, 12, quae epistola insequenti die scripta est: *Cassius rem frumentariam rem aspernabatur. Eam Servilia sublaturam ex senatusconsulto se esse dicebat.* Hoc autem frumentario negotio sublato quid relinquebatur, quod eundi causam Cassio daret, nisi simul decreta esset provincia? Est igitur decretum a senatu a. d. III Non. Iun. de duabus rebus M. Bruto et C. Cassio concedendis, et de cura frumenti comparandi et de Creta Cyrenisque inde ab anno 43, postquam praeturae tempus exiit, regendis et quidem uno eodemque senatusconsulto. Sic enim intelligo, quod Cicero de Servilia narrat, pollicitam eam esse, curaturam sese, ut senatusconsulti, quod duas illas res contineret, ea pars, quae de frumento esset, tolleretur. Nam si lege liberatoribus duae res datae essent, altera senatusconsulto tolli non poterat; sin senatusconsulto, quia nisi a senatu tolli nihil poterat, ineptum erat id addi. Ea autem ipsa res, quod Bruto Cassioque et frumenti curatio et provinciae uno senatusconsulto decretae sunt, facit, ut de reliquis provinciis praetoriis nihil tunc a senatu actum esse existimem, eaque sententia confirmatur iis quae postea de provinciarum sortitione Antoniana afferemus. Quaeri autem potest, num effecerit Servilia quod promiserat. Non arbitror; nihil certe eiusmodi prodit Cicero in epistolis. Atque ipsi, opinor, liberatores postea, etsi indignabantur et removeri sese ab urbe atque Italia et tantulae rei praefici, quanta sibi ex frumentario negotio et pecuniae et copiarum colligendarum opportunitas nasceretur intellexerunt. Id enim quamquam non tale erat quale ipsi optabant sibique tamquam praemii loco deberi putabant, per se ipsum satis magnum erat. Appianus bell. civ. III, 6 eos iussos esse scribit *ἐξ ὅσης δύναιντο γῆς* frumentum comparare, Cicero Siciliam Cassio, Asiam Bruto assignat, quare sic existimabimus, bifariam a senatu universum negotium frumentarium esse divisum, ut Cassius ex Sicilia, Africa, fortasse etiam ex Creta et Cyrenis, Brutus ex transmarinis, quae proprie appellabantur, provinciis frumentum colligeret, in quibus quia erat etiam Bithynia et Pontus, ex quibus tunc fortasse plurimum frumenti comparari poterat, factum est, ut quidam auctores in provinciis Bruti et Cassii constituendis confunderentur. Equidem tria omnino tempora distinguenda esse intelligo, primum a medio mense Aprili ad Nonas Iunias,

quo Brutus et Cassius ex senatusconsulto, quod absentiae veniam dabat, sola praetura ornati per Italiam peregrinabantur, alterum ad exitum anni, cum praeturam remiserant C. Antonio, ipsi a senatu ad frumentum comparandum cum maxima potestate missi erant. Hac ornati et quaestores acceperunt et legatos, quos in provincias dimitterent, hac in ipsa Italia classes (Cic. Phil. X, 4) et copias compararunt, hac M. Brutus Athenas appulsus pecuniam publicam occupavit, legiones corrupit, provincias visit, dum a senatu quae extra potestatem suam fecerat, confirmata obtinuit. Quae omnia si liberatores nulla praediti potestate instituissent, anno 44 etiamtunc dominante Antonio hostes iudicati essent. Tertium denique tempus futurum erat anni 43, quo Cretam et Cyrenas obtinere iussi erant Brutus et Cassius, sed Macedoniam et Syriam obtinuerunt.

Quamquam ipsa haec Cretae et Cyrenarum administratio, etiamsi Brutus et Cassius arma non cepissent, alia futura erat ac dictator Caesar obtinere eos provincias voluerat. Diximus enim p. 233 de eius lege, qua sancitum erat, ne consulares provinciae plus quam biennium, praetoriae plus quam annum obtinerentur. Quam quia suis consiliis obstare M. Antonius intelligebat, sustulit. Ea de re rumor iam emanarat incertus mense Aprili, id agere Antonium, ut Kal. Iuniis ubi de provinciis referretur, ipse Gallias utrasque acciperet iisque dies prorogaretur (Cic. ad Att. XIV, 14). Non igitur tunc de omnium provinciarum ratione mutanda cogitabat, verum ad eundem modum, quo olim Caesar Gallias in quinquennium acceperat, sibi soli hoc tribui volebat. Neque vero de ea re actum est in senatu, eam, opinor, ob causam, quod omnino de consularibus provinciis, quae iam ante et lege et senatusconsulto constitutae essent, non actum est. Videbat fortasse etiam, de suis provinciis prorogandis a senatu non posse impetrari, nisi idem de provinciis, quas coniurati tenebant, decerneretur. Itaque paucis diebus post Kal. Iun., ante Nonas, quibus de Bruti et Cassii provinciis decretum est, Antonius per L. fratrem aliosque tribunos plebei legem de universis provinciis ferendam curavit. Hoc enim tempus aperte significat Cic. Phil. II, 42 sic dicens: *At iste* (Antonius) *qui senatu* (quem Kal. Iuniis frustra convocarat) *non egeret, neque desideravit quemquam et potius discessu nostro laetatus est statimque illa mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui causa, is leges Caesaris easque praeclaras, ut rem publicam concutere posset, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit.* Cf. Phil. I, 10 et 8, ubi haec sunt: *Quae lex melior, utilior, optima etiam republica saepius flagitata quam ne praetoriae provinciae plus quam annum neve plus quam biennium consulares obtinerentur? Hac lege sublata videntur ne vobis Caesaris acta servari?* Haec etsi ita scripta sunt, ut incertum sit, utrum lex Antonia ad omnes populi Romani provincias an ad eas modo quas Antonius obtinere volebat, pertinuerit (certe enim lex Iulia de provinciis non minus infringebatur, si uni Antonii complurium annorum imperium

decerneretur quam si omnibus, qui deinde consulares provincias sortirentur), omnes tamen provincias complexam esse legem inde colligo, quod Antonius tunc Macedoniam obtinebat et quidem sine legionibus ab Caesare eo missis, qua provincia ille non futurus erat contentus. Iam poterat illud quidem fieri, ut M. Antonio certa aliqua provincia in plures annos quam Caesaris lege licebat a plebe daretur; sed ut incertae provinciae imperium longius daretur fieri non potuit, neque Antonius, qui pro Macedonia a senatu decreta Galliam a populo poscere constituisset, committere potuit, ut Macedonia, quam lege commutare vellet, in priore lege nominaretur. Consentaneum igitur est, ut lex illa, quam quia Antonio si non auctore (neque enim de eo constat) at suasore lata est, Antoniam appello, omnes provincias populi Romani complexa sit. Quid autem erat in ea? Cic. Phil. V, 3 sic ait: *Tribuni plebis tulerunt de provinciis — contra acta Caesaris, ille biennium, hi sexennium,* biennium autem a Caesare datum esse novimus consularibus provinciis. Quare sic in hac lege fuisse censeo, qui anno 44 consules essent quique deinceps futuri essent, ii quas sortiti essent provincias, in sexennium obtinerent. Ipsum autem hoc sexennium quomodo est intelligendum? Nimirum sic, ut, qui consul fieret, in ipso magistratus sui anno provinciam acciperet eamque per quinquennium deinceps obtineret; id, etiamsi sex anni non explebantur, frequenti Romanorum more sexennium tamen appellabatur. Veluti Antonius tunc hac lege continuo Macedoniam provinciam a senatu decretam accepit eamque deinceps per quinque annos erat habiturus. Nam ut sexennio ipsius consulatus annum includeremus fecimus necessario. Siquidem Antonius ipso anno 44, quo consul erat, Galliam cisalpinam cum exercitu ingressus eaque D. Brutum expellere conatus est. Hoc quo iure potuit facere, nisi datum ei esset, ut in ipso iam consulatu provinciam quam accepisset, regeret? Idque hac potissimum lege ei datum esse existimo. D. Brutus anno 45 praeturam gesserat, insequenti vel a Kal. Ian. vel ab alio aliquo die (neque enim quod tunc initium provinciarum obtinendarum fuerit hoc loco disputare placet) Galliam a Caesare datam regebat necdum annum suum explerat, cum Antonius advenit. Habebat igitur aliquam legibus in Gallia concessam potestatem. Cum autem ita de consularibus provinciis statueretur, num praetoriae manserunt in annum illum Caesarianum inclusae? Hoc quidem iniquum erat, nec potuit recte fieri. Est etiam significatio quaedam levis, de his quoque similiter esse constitutum. Nam Cicero Phil. VIII, 8 sq. dicit de mandatis, quae Antonius legatis de pace ad se missis dederat, quo loco tenebimus principio, quod animadvertit Garatonius, non una ea fuisse, sed plures proponi condiciones, quibus pax convenire possit. Prima autem condicio haec est: *Utramque provinciam, inquit, remitto, exercitum depono, privatus esse non recuso — si legionibus meis sex, si equitibus, si cohorti praetoriae praemia agrumque dederitis, si leges meae et decreta serventur.* Haec si non acci-

piantur, altera proponuntur haec: *Galliam, inquit, togatam remitto, comatam postulo — cum sex legionibus — iisque suppletis ex D. Bruti exercitu — tamdiuque ut obtineam, dum M. Brutus C. Cassius consules prove cos. provincias obtinebunt.* Quid, quaeso, est quod tam diu tenere vult Galliam transalpinam, dum M. Brutus et C. Cassius suas provincias obtinebunt? Ii provincias dicuntur esse habituri etiam consules, quod certe erat contra legem Caesaris, sed Antonia, ut diximus, licebat, ut hoc quoque sit argumentum, quo recte nos sexennium illud interpretatos esse intelligatur. Rite autem consulatum sequebatur proconsulatus quinquennii. Sed iam tum, cum hae condiciones ferebantur, anno 43 proconsules erant et Brutus et Cassius, et quidem, si nihil ex vetere dictatoris lege mutatum esset, solo illo anno; deinceps eos privatos esse oportebat anno 42, insequenti autem, qui eorum legitimus futurus esset, consulatum gerere; hoc enim postulasse Antonium, ut Brutus et Cassius anno 41 fierent consules, tradit Dio Cass. XLVI, 30. Quid igitur? Num volebat Antonius anno 42 ipse retinere provincias, cum liberatores illi interim, dum consulatum adipiscerentur, privati essent? Hoc neque senatus erat concessurus neque ipse qui tunc gratiam M. Bruti et C. Cassii quaereret, postulare potuit. Efficitur, ut Antonius eos voluerit biennium provincias ex praetura obtinere idque ita lege, quam ipse ferendam curaverat, videtur esse constitutum. Sed praeter ipsum temporis spatium, quod praetoribus et consulibus in provinciis regendis dabatur, etiam illud intererat, quod hi in ipso magistratus anno provinciis praeesse coeperunt, illi exacto demum magistratu. Sic enim arbitror, priorum temporum consuetudine motus, quam persequi hoc loco longum est. Tertiam denique quae ab Antonio ferebatur, condicionem breviter modo Cicero significat: *Ipse autem ut quinquennium, inquit, obtineam.* Haec enim condicio quin diversa sit ab altera, quam diximus, dubitari nequit. Illa fuerat, ut Galliam transalpinam obtineret, dum liberatores suas provincias obtinerent neque, sive Iulia sive Antonia lege numeres, sic quinquennium efficitur; illa lege existit annuus proconsulatus post praeturam, tum consulatus et alter proconsulatus biennii i. e. quadriennium, hac omnino octo anni. Tertia igitur, ut arbitror, condicio haec erat, ut utramque Galliam, quemadmodum ante constitutum erat, Antonius in quinquennium obtineret; nam sextus annus, qui consulatu comprehendebatur, iam praeterierat.

Quae cum ita sint, Antonius, etsi etiam M. Brutum et C. Cassium in provinciis a senatu datis confirmarat, tutam tamen sibi ipsi viam ad potentiam suam condiderat. Proximum erat, ut exercitu Macedonico, quem antea P. Dolabellae concesserat, potiretur. Tum enim hanc rem actam esse existimo propter Appianum bell. civ. III, 24 (cf. III, 36), qui cum collocet post ludos Bruti et Cassii eorumque ex Italia discessum, etsi ultra reiicit quam oportebat, tamen non admittit, ut iam Maio mense senatum ea de re consuluisse

existimemus; nam reliqui auctores non commemorant. Neque ea re perturbari debemus, quod idem refert Antonium senatui, ut sibi legiones Macedonicas decerneret, persuasisse dictatura in perpetuum sublata, id quod Cic. Phil. I, 2 videtur collocare mense Maio. Nimirum hic dicit de senatusconsulto, quo dictaturam sublatam esse iudico iam ante, Appianus de lege (ait enim *ὁ δὲ Ἀντώνιος — ἐψηφίσατο*), quae fieri poterat ut aliquot diebus post senatusconsultum illud ferretur. Latam autem esse vere legem, non factum modo senatusconsultum de dictatura tollenda cum Dio Cass. XLIV, 51 testatur, tum ipse Cicero Phil. V, 4, ubi cum omnia acta Antonii infirmarentur, si qua salutaris lex ab eo lata esset, velut de dictatura, eam denuo ferendam esse censet. Quare initio mensis Iunii, cum tot aliae res et in senatu et apud populum actae sunt, etiam de exercitu Macedonico in M. Antonii potestatem tradendo a senatu decretum esse iudico, quod decretum ubi accepit Antonius, statim Gaium fratrem ad copias occupandas misit, secreto mandato, ut eas in Italiam traiiceret ad metum optimatibus incutiendum (App. bell. civ. III, 27). Interim dum hoc fit legatique ad explorandam Macedoniam missi revertuntur, postulare coepit Antonius ab senatu, ut pro Macedonia sibi traderetur Gallia cisalpina, Decimus autem Brutus, qui illi praeerat, suo loco Macedoniam obtineret (App. III, 28 et 37). Hinc manifestum est, verum esse quod supra diximus, legem Antoniam consulibus iam dum magistratu funguntur, dedisse provincias; cur enim alia Decimo reddenda erat provincia, si exacto demum magistratu Antonius Gallias accipere vellet? Illud solum quaeri potest, quid oblatum sit Q. Hortensio Macedoniam tunc obtinenti, ut prius quam per leges oportebat, provincia cederet, de qua re nihil usquam inveni, sed eam contumeliam tamen in causa fuisse puto, cur Hortensius contentione inter Brutum et C. Antonium orta illi potius quam huic sese adiungeret. Magnopere autem tunc Antonius laborabat, ut demereretur senatum; cum enim Octavianus et aedilium ludis qui instabant, et iis, quos ipse Veneri Genitrici facturus erat, sellam Caesaris proponere pararet ex veteri decreto, prohibebat id edicto magnumque Octaviani ac veteranorum odium excitavit. Nec tamen decepit Antonius senatum, quare desperans de optimatibus et cum Octaviano in gratiam rediit et legem de Gallia cisalpina sibi tradenda ad populum tulit, in qua lege item ascriptum erat, ut D. Brutus pro Gallia acciperet Macedoniam. Quam cum sanxisset populus, iam habebat Antonius quod tantopere expetierat, et provinciam urbi vicinam et exercitum firmissimum et denique imperium diuturnum, sed lege modo habebat, nondum re magnumque certamen ineundum erat, ut D. Brutus deiiceretur. Acta autem haec de provinciis quae exposuimus, sunt per satis longum temporis spatium et mense Iulio, et Augusto; falsus enim fuerat rumor et inanis, quem Cic. ad Att. XVI, 4 iam ineunte Iulio de adventu

legionum in Italiam commemorat, siquidem advenisse eas novimus mense Octobri ineunte (Cic. epist. XII, 23).

Longum est persequi reliqua certamina civilia, quae tandem in bellum Mutinense eruperunt. Una tamen res commemoranda est, quia ad provinciam Macedoniam pertinet. Etenim M. Antonius eodem die quo paludatus in Galliam adversus D. Brutum profectus est, i. e. a. d. III vel prid. Kal. Dec. senatum habuit in eoque provincias praetorias sortitus est. Solus Cicero Phil. III, 10 de ea dicit, invidiose ille quidem et inimice, tredecim nominans praetores anni 43, quibus tunc provinciae decretae sint, atque inter eos C. Antonium, IIIviri fratrem, cui Macedonia obtigerit. His tredecim si addantur M. Brutus et C. Cassius, quibus prius a senatu consultum erat, quia sedecim omnino praetores illo anno fuisse constat (Dio XLIII, 51), unus relinquetur, cuius nomen ignotum sit. Neque enim Garatonio credo fuisse Antonium Cimbrum, qui a Cic. Phil. XIII, 12 appellatur praetorius in castris M. Antonii (multos enim a dictatore Caesare praetorio loco in senatum ascriptos esse narrat Dio XLIII, 47), aut Pighio in Annal. III p. 465 M. Stalium nominanti, quem nescio ex quo errore confecit. Haec sortitio, quod vesperi senatus esset habitus, non legitima videbatur esse Ciceroni, maioremque eorum qui provincias acceperant, partem idem iudicasse provinciasque recusasse addit. Etenim adversabatur Antonio cum maior senatorum pars, tum Cicero, qui, ubi ille ad bellum Bruto inferendum abiit, liberatum sese existimans, XIII Kal. Ian. decrevit de obtinendis provinciis, ut ii, qui tunc obtinerent, retinerent neque cuiquam traderent, nisi quis ex senatusconsulto successisset (Cic. epist. XII, 22 et 25). Ita omnis illa sortitio impedita antequam, qui sortiti erant, exire possent, quia nullum omnino effectum habuit, a nullo praeter Ciceronem auctore commemoratur. Quamquam nobis ipsa haec mentio ad duas res penitus cognoscendas utilis est, quae in lege Antonia de provinciis quam supra diximus, fuisse videantur. Primum enim confirmat, quod collegeramus de iis, qui anno 44 et deinceps magistratum gererent, non de iis, qui antea gestis magistratibus tunc provincias obtinerent, fuisse in ea scriptum. Nam si quindecim vel sedecim praetores sortiri iubebat Antonius, complectebatur omnes, quae tunc populi Romani erant, provincias, quas illi deinceps anno 43 et 42 regerent. Deinde hoc apparet, cum sortitio exeunte anno facta sit, non fuisse hanc vim legis Antoniae, ut in ipso magistratu praetores provincias acciperent, quemadmodum consules accepisse diximus. Qua sortitione perfecta iam Macedoniae provinciae haec erat condicio. Vere obtinebat eam Q. Hortensius Hortalus, iure usque ad Kal. Ian. vel fortasse ad Kal. Martias vel Apriles (nam hoc an ita fuerit dubitandum esse supra diximus) Decimus Brutus, quem M. Antonius ingrediens Galliam cisalpinam iubebat in Macedoniam abire (App. III, 49 cf. c. 59). In annum autem 43 a. Chr. sortitione illa Antonii praeesse oportebat C. Antonium (nam

non plus quam annuam provinciam D. Bruto etiam cum Macedonia Galliam mutare iuberetur esse concessam ostendit Cic. Phil. VI, 3, qui D. Brutum ait, si M. Antonio provinciam tradere voluisset, *domum redire* et *triumphare* et primum in senatu quoad consulatum iniret, sententiam potuisse dicere), cui adempta est provincia Sconsulto, quo veteres praesides retinebantur, dum novi ab senatu missi essent. Duo igitur erant senatusconsulta contraria, unum, quo C. Antonio, alterum, quo Q. Hortensio Macedonia dabatur; sed vi obtinuit M. Brutus. Qui cum mense Septembri Italiam reliquisset, Athenas se contulit, specie frumenti emendi, re vera ut Macedoniam, quam quamvis alieni imperii (Cic. Phil. X, 5; XI, 12) deberi tamen sibi putaret, vi doloque occuparet. Quod quomodo ei contigerit, supra p. 229 in rebus Q. Hortensii diximus. Etenim non hunc modo movit, ut facile sibi provincia cederet, verum etiam Illyrico, quod P. Vatinius tenebat, potitus est ipsumque C. Antonium cepit. Quae postquam gessit, litteras ad senatum misit petens, ut is acta sua confirmaret. Retulit de iis ad senatum C. Pansa consul, neque obstitit, cum Cicero oratione Philippica decima habita duas res censeret, et confirmandum esse M. Bruto imperium, quod privato consilio sumpsisset, exercitus, Macedoniae, Illyrici, et Q. Hortensium relinquendum in Macedonia, quoad ei ex senatusconsulto successum esset (Cic. Phil. X, 11). Ita duos tunc Macedonia habebat praesides iure ac legitime constitutos, quorum uni praeterea Illyricum, a dictatore Caesaris olim seiunctum, parebat. Quamquam Bruto etiam maior potestas postea data est. Etenim Appianus bell. civ. IV, 58 ait, postquam Romae compertum sit de caede Trebonii, senatum decrevisse, ut Brutus et Cassius in pristinas provincias, Macedoniam et Syriam, restituerentur, ut Bruto Illyricum adiiceretur, ut denique omnium trans mare Ionium et provinciarum et exercituum praefecti Bruto et Cassio obtemperarent. Hic maius imperium tribuitur Bruto, quam Cicero in Philippica oratione decima ei censuerat dandum esse, nec cum Cicero maxime omnium liberatoribus faveret atque in consiliis suis saepe ab iis, qui Antonii quoque reliquorumque rationem habendam esse putarent, impediretur, ulla ratione probabile est plus ei decretum esse a senatu quam Cicero voluerat. Itaque cum in sententia illa Ciceroniana nihil de Bruti imperio Asiaticarum provinciarum legatur, num forte ita interpretari debebimus Appianum, ut Bruto Macedoniae solius, Cassio totius Asiae imperium datum esse existimemus? Non placet; nam et Brutum constat in Asia et Cassium in Macedonia bellum gessisse, et quidem ille in Asiam transire parabat, antequam de proscriptione Romae facta cognovit (Plut. Brut. 27). Necesse igitur est alterum factum sit senatusconsultum, quo Bruti potestas confirmata atque aucta est, neque aptius tempus, quo ita senatus decreverit, cogitari potest quam id, quo ipsi Cassio Syria provincia, quam vi occuparat, iure tradita est. Iam de hoc Cassii imperio minus sane diligenter tradit Appianus, qui id eodem ei tempore ac Bruto datum esse scribat, qua in re

longe diligentior est Dio XLVII, 22 et 28, qui tempora distinguat. Nam cum Bruto Macedonia decerneretur mense Martio anni 43 (decretum enim esse quod Cicero in exitu orationis Philippicae decimae censuerat intelligitur ex Cic. Phil. XI, 11), nihil de Cassio Romae innotuerat, nisi vagus quidam rumor (Cic epist. XII, 4), profectum cum esse in Syriam, nec senatus ei, quem non putaret obtinere posse, provinciam decernere voluit. Primam autem epistolam Cassius ex Syria Romam misit ad Ciceronem, eam quae est in huius epistolis libr. XII, 11, datam Nonis Martiis. Quae cum pervenire nondum potuisset, cum de Trebonio occiso nunciatum est, accidit, ut, quae Cicero in Philippica undecima de Syria omnibusque Asiaticis provinciis Cassio mandandis censuit, non decernerentur, sed contra nitente C. Pisone ipsiusque Cassii propinquis adversantibus consules ipsi, postquam D. Brutum liberassent, bellum Dolabellae inferre, interim finitimarum provinciarum rectores rempublicam defendere iuberentur (Dio XLVII, 29; Cic. epist. XII, 7 et 14). Itaque nulla de imperio Cassii mentio reperitur in Philippicis; rumor tantum de temptata provincia commemoratur (Cic. Phil. XI, 12). Post proelium demum Mutinense Nonis Maiis Cassius litteras et ad Ciceronem et ad senatum misit (Cic. epist. XII, 12), qua nunciavit totam provinciam omnesque exercitus Syriae in sua potestate esse, petiitque, ut et de suo honore decerneretur et eorum imperatorum, qui copias sibi tradidissent, ratio haberetur. Quo tempore, praesertim cum etiam de M. Lepido pessimi nuncii venissent, ita fere de Cassio a senatu decretum esse existimo, ut voluerat olim Cicero in Phil. XI, 30: *Senatui placere, C. Cassium procos. provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo iure provinciam obtinuerit — eumque his copiis et si quas praeterea paraverit, bello P. Dolabellam terra marique persequi; eius belli gerendi causa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam ceteraque, quae ad id bellum gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto ius potestatemque habeat; utque quamcunque in provinciam eius belli gerendi causa advenerit, ibi maius imperium C. Cassii procos. sit quam eius erit, qui eam provinciam tum obtinebit, cum C. Cassius procos. in eam provinciam venerit.* Quae potestas si tunc Cassio dabatur, certe senatus, nisi Brutum Cassio in Macedoniam profecto inferioris imperii esse vellet (neque id in tanto Bruti amore quantum apud omnes fuisse scimus cogitari potest), etiam illud facere debuit, ut huic reliquas ultra Macedoniam provincias adire in iisque summo imperio esse permitteret.

Secutum est bellum Philippense, quo omnes absumpti sunt qui Macedoniae imperabant; nam M. Brutus et C. Cassius sibi ipsi manum intulerunt, Q. Hortensius post pugnam a M. Antonio occisus est (Plut. Brut. 28; cf. Vellei. II, 71 et Liv. epit. CXXIV), quia C. Antonium interfecerat. Provinciam bello domitam accepit M. Antonius. Etsi enim post proelium Philippense sic modo inter imperatores constitutum esse narrat Dio Cass. XLVIII, 1,

ut Caesari Hispania et Numidia, Antonio Gallia et Africa obvenirent, de ceteris provinciis, quippe quae nondum pacatae essent, nihil decerneretur, quia tamen Caesar in Italiam ad agros veteranis dividendos profectus est, Antonius et Macedoniam et universam Graeciam tenuit. Itaque primum Athenas abiit, tum Megara, postea, cum ipse Asiam viseret, L. Marcium Censorinum Graeciae praefecit atque, ut arbitror, etiam Macedoniae (Plut. Ant. 24). Vetus ille fuit Antonii assecla, praetor anno 43 (cf. Garat. ad Cic. Phil. XII, 8), qui propterea vehementer a Cicerone vexatur (Cic. Phil. XI, 5 et 14; Phil. XIII, 2), cos. ann. 39, tunc legati munere fungens. Nam Macedoniam et Achaiam in potestate Antonii fuisse vel hoc documento est, quod post bellum Perusinum victis in Italia Antonii partibus Fulvia naves ex Macedonia accivit atque ipsa Athenas confugit (App. bell. civ. V, 50 et 52), quibus in locis deinde etiam mortua est. Paulo autem post anno 38 in foedere Brundisino, quam antea exercitu Antonius obtinuerat Macedoniam, confirmata est. In eo enim Caesari Sardinia et Delmatia et Hispaniae et Galliae, Antonio reliquae omnes provinciae praeter Africam, quae Lepido concessa est, et Siciliam, quam Sex. Pompeius tenebat, obtigerunt (Dio Cass. XLVIII, 28; Plut. Ant. 30), atque accuratius etiam App. V, 65 narrat Scodram, Illyrici oppidum, terminum esse factum utriusque imperii. Restitutum igitur tunc est, quod olim dictatoris Caesaris causa erat latum, ut Illyricum seiungeretur ab Macedonia, quod cum ad augendam M. Bruti potentiam deinde esset sublatum, inde ab hoc tempore mansit servatumque est ab imperatoribus. Neque multa ex hac imperii condicione mutata sunt pace Misenensi anno 38 facta. Sardiniam modo Caesar concessit Sex. Pompeio, Achaiam Antonius (Dio XLVIII, 36), i. e. Peloponnesum, ut ait App. V, 72 et ipse Dio l. l. intelligit, qui c. 39 Antonium tradat ex Italia reducem Athenas tamquam in suam provinciam abisse. Quamquam ipsa haec pax non diu servata est, qua dissoluta occisoque Pompeio Caesar Sardiniam, Antonius Peloponnesum recuperarunt; nam Patris Antonius bellum Actiacum parans hiemarat (Dio L, 9), eandemque urbem M. Agrippa ante discrimen pugnae navalis cepit, item Corinthum (Dio L, 13). Imperavit igitur Antonius universae provinciae Macedoniae, donec victus est ad Actium, eamque per legatos in complures partes divisam administravit, neque hos legatos nobis propositum est persequi. Quos etiamsi invenire possemus et quot fuissent et quo nomine et quibus populis praefuissent, parum tamen ad cognoscendas provinciae res proficeretur, quia bellum semper tunc aut erat aut metuebatur.

Neque minus post proelium Actiacum legati obtinebant Macedoniam, ut reliquas provincias, quarum unam partem Caesar ex pactione cum Antonio facta ac IIIviratus iure regebat, alteram vi atque armis occupabat. Nulli igitur, qui proprie appellantur, rectores Macedoniae esse poterant, dum anno 27 a. Chr. Caesar victas pacatasque provincias senatui populoque Romano reddidit. Eius rei apertum testimonium reperitur in eo, qui usque ad

illud tempus Macedoniae praefuit, M. Licinio Crasso, eo, de quo diximus in comment. epigraph. p. 45. Etenim Antonius cum bellum in Octavianum pararet, etiam Dacorum quosdam populos ad auxilium sibi ferendum exciverat, qui propter discordias domesticas non potuerant illi quidem multum prodesse (Dio LI, 22), sed post proelium Actiacum puniendi tamen atque a finibus Romanis arcendi esse videbantur. Quare hoc bellum Caesar mandavit ei quem nominavimus Crasso, quem in annum 30 p. Chr. sibi consulatus collegam sumpserat, et quidem in ipso hoc consulatu, ut opinor. Ipse enim receptis anno 31 Macedonibus et Graecis cum Sami hibernasset (Suet. Oct. 17), ineunte vere in Italiam, ac post brevem commorationem in Asiam profectus est, quare relinquendus aliquis erat in Macedonia tum multis exercitibus repleta, qui maiorem quandam potestatem haberet. Italiam autem urbemque Romam, dum ipse abest, Caesar C. Maecenatis curae commiserat (Dio LI, 3; App. bell. civ. IV, 50), ut principio certe anni, quo tanta huic potestas mandata est, consules abfuisse videantur. Quum igitur abiret Caesar in Asiam, relictus est in Macedonia et Graecia (sic enim ait Dio LI, 23), ut Illyrico excepto universam veterem provinciam regeret, is qui tunc consul erat, M. Crassus, sed legati modo potestate praeditus. Quare cum regem Deldonem sua ipse manu occidisset, Dio LI, 24 dicit Crassum spolia opima referre potuisse, si imperator fuisset suisque auspiciis bellum gessisset (*εἴπερ αὐτοκράτωρ στρατηγὸς ἐγεγόνει*). Eademque de causa cum res adversus Getas bene gestae essent, supplicatio et triumphus non Crasso tantum, verum etiam Caesari decreta sunt, imperatorisque nomen ex ea victoria solus accepit Caesar (Dio LI, 25). Apparet igitur quod diximus, legatos tunc Caesaris, non rectores, qui suo imperio uterentur, missos esse cum in reliquas provincias, tum in Macedoniam. Veruntamen post annum 27 a. Chr., quo Caesar imperium cum senatu partitus est, rursus coeperunt veteris provinciae esse rectores. Sed tres tamen factae sunt ex iis populis provinciae, qui uni olim praesidi paruerant. Primum enim seiunctum mansit Illyricum sive Delmatia, quae tunc vocari coepit, quam cum Caesar tunc populo concessisset, postea anno 11 a. Chr. ubi graviora bella imminebant, ad suam curam transtulit (Dio LIII, 12 et LIV, 34), tum constituta est Macedonia, quae proprie appellatur, amplificata bellis nuper a Crasso adversus barbaros gestis, denique Achaia, quae dicitur, coepit esse peculiaris provincia suoque praesidi parere (Dio LIII, 12 et Strab. XVII extr.). Utraque harum provinciarum, si ab nonnullorum imperatorum tempore discedas, senatus fuit praetoriosque viros, qui pro consulibus nominabantur, habebat.

Iam ut perpetuam praesidum seriem, qui Macedoniam et Achaiam imperante Augusto tenuerunt, contexamus fieri non potest et quia auctorum idoneorum magna inopia est et quia praetorii viri saepe obscuriore ex genere erant nec aliis rebus illustrati facile memoriam nostram fugerunt. Ac Macedoniae quidem fortuna paulo est notior; finitima enim

barbaris aliquot bellorum gerendorum facultatem praebuit, de quibus nobis est traditum; sed Achaiae tamen etiam praesidis mentio fit. In Macedonia autem commemoratur apud Dion. LIV, 3 M. Primus anno 23 a. Chr., quem Pighius Annal. III p. 515 nominatum esse putat Antonium. Qui cum iniussu senatus et imperatoris Odrysis bellum intulisset, exacto provinciae anno, Romae accusatus damnatusque est repetundarum, opinor, iudicio addendusque erit iis exemplis quae de reis repetundarum collegit Car. Tim. patruus in scriptione academica de legibus iudiciisque repetundarum III p. 37 sq. In quo memorabile est, quod Dio accidisse narrat. Ait enim, cum Primus modo Marcelli modo Augusti iussu sese bellum coepisse causaretur, hunc ipsum sua sponte in iudicium venisse, interrogatumque a praetore negasse sese iussisse. Unde intelligimus, tunc nondum ius illud senatorum fuisse introductum, ut accusarentur apud senatum; in quo si causa acta esset, nec praetor potuisset commemorari nec tantum admirationis habuisset Augustum ipsum in iudicium advenire. Nec certo dici potest, an Tiberius demum (nam Dio LII, 31, qui solus huius rei auctor est, tempus huius instituti non addit) cum comitia e foro ad senatores transferret, senatores eorumque liberos ex vulgaribus iudiciis exemerit; unum enim illud exemplum, quod imperante Augusto accidisse dicitur, Volesi Messallae, proconsulis Asiae, cos. anni 3 p. Chr., incertum est. In quo quod commemoratur a Tacito Annal. III, 68 senatusconsultum, magis demonstrare videtur, causam ipsam non actam esse in senatu, sed reo apud praetorem condemnato propter atrocitatem scelerum additum esse senatusconsultum, quo, si ab initio statuendi potestas apud patres fuisset, vix opus erat. Sed hic M. Antonius Primus unus nobis notus est ex proconsulibus, qui Augusto imperante Macedoniam obtinuerunt, qui ita obtinuit, ut, si ab Achaia et Illyrico discedas, veterem, quae in libero imperio Romano fuerat, Macedoniam complecteretur neque adversus barbaros ad septentrionem habitantes aliis finibus uteretur atque iis, quos ipsum imperium habebat. Sed quia pax certa cum his barbaris esse nulla poterat, aut Macedonia ab senatu auferenda, exercitu instruenda legatisque Caesaris tradenda erat aut nova provincia instituenda, quae fines imperii tueretur. Quare cum circiter anno 16 a. Chr. secundum cladem Lollianam in Germania acceptam omnes barbarae gentes ad Italiae Macedoniaeque fines sitae vehementissimum bellum moverent, instituta est *Moesia*. Quod quando factum sit, ambigi video apud viros doctos. Illud quidem debet certum esse, anno 27, cum Augustus cum senatu imperium partiretur, nondum ullam fuisse provinciam Moesiam; nam Dio LIII, 12 non commemorat, quare quod idem c. 7 Augustum in senatu dicentem facit de Moesiae expugnatione, necesse est ad M. Crassi expeditionem, quam tetigimus, amplificationemque provinciae Macedoniae pertineat. Nec vero ex Appiano Illyr. 30 colligi potest eam Tiberio demum imperante institutam esse. Qui cum tradat Moesos subactos esse ne sub Augusto quidem,

sed sub Tiberio demum, qui post Augustum Romanis imperarit (*οὐδ' ἐς φόρον ὑπαχθέντας οὐδ' ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ, ὑπήχθησαν δὲ ὑπὸ Τιβερίου, τοῦ μετὰ τὸν Σεβαστὸν τοῖς Ῥωμαίοις αὐτοκράτορος γενομένου*), de provinciae certe institutione non dicit. Nam neque tantum bellum in his regionibus a Tiberio gestum esse ex accuratissima Taciti narratione novimus et Tacitus Annal. I, 80 anno 15 p. Chr. prorogatam esse scribit Poppaeo Sabino Moesiam. Quare sic potius Appianum intelligo, Moesos non ab Augusto, cum anno 35 a. Chr. expeditionem in Illyricas nationes susciperet, vel sub eo (nam constat etiam alios duces tunc eius auspiciis pugnasse), sed a Tiberio, qui ab anno 15 a. Chr. saepius per eas regiones bella gessit, fractos plane ac devictos esse. Constat igitur, cum Tiberius imperium adipisceretur, iam fuisse provinciam Moesiam eandemque constat non fuisse anno 27 a. Chr., artiusque etiam efficietur hoc spatium, quia Dio LV, 29 anno 6 p. Chr. Moesiae praesidem nominat. Ita in viginti fere annos cogimur, intra quos anno potissimum 16 a. Chr. provinciam novam institutam esse existimo. Sic enim narrat Dio LIV, 20 *ὑπό τε τῶν Δενθελητῶν καὶ ὑπὸ τῶν Σκορδίσκων ἐπορθήθη· ἔν τε τῇ Θράκῃ πρότερον μὲν Μάρκελλος Λόλλιος, Ῥυμητάλκῃ θείῳ τε τῶν τοῦ Κόττυος παίδων καὶ ἐπιτρόπῳ ὄντι βοηθῶν Βησσοὺς κατεστρέψατο· ἔπειτα δὲ Λούκιος Γάϊος Σαυρομάτας ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας κρατήσας ὑπὲρ τὸν Ἴστρον ἀπεώσατο.* In his nomina virorum, qui commemorantur, certum est esse falsa. Nam Marcellus Lollius nullus est nec de M. Lollio, qui tunc ipsum Germaniam regebat (cf. supra p. 102), potest cogitari; quare recte a Pighio Annal. III p. 520 emendatum esse censeo Marcellum Claudium, ut intelligatur is, qui cos. fuit anno 22 a. Chr., cuius nomen inter quindecimviros, qui ludos seculares anno 17 fecerint, commemoratur in fastis Capitolinis. Nec magis verus esse potest Lucius Gaius; nulla enim fuit gens Lucia, recteque cum ab aliis, tum ab Borghesio in Annal. Inst. arch. anni 1849 p. 22 intelligi arbitror C. Iunium Silanum, cos. ann. 17 a. Chr. Hi igitur tunc ad tuendam Macedoniam bella cum barbaris gesserunt. Sed cui provinciae praeerant? Non videntur Macedoniae ipsi, quoniam et consulares viri erant, proconsules autem ex praetoriis eligebantur, et successores eorum, qui cum iisdem barbaris bella gesserunt, plus quam annuum imperium habuerunt. Neque existimare poterimus, eos extra sortem cum grave bellum immineret, ab imperatore ad senatoriam provinciam tuendam ac componendam esse missos. Quod si de his aliisque, qui successisse iis narrantur, statuemus, intelligi non poterit, quod Tac. Ann. I, 76 Macedones petisse ait, ut proconsulari imperio levarentur, quia per tot annos nullos proconsules habuissent. Relinquitur, ut Moesia provincia tunc instituta Macedoniaque pacatorum ac quietorum populorum finibus circumscripta sit. Ac duos quidem novae provinciae legatos cognovimus, Claudium Marcellum, quem ab anno 16 (nam antecedenti propter ludos seculares in urbe fuerat) per biennium fere prae-

fuisse suspicor, tum C. Silanum. Successit huic L. Calpurnius Piso, cos. anno 15 a. Chr., qui postea in praefectura urbis inclaruit, de quo quae supra p. 129 diximus, conferri possunt. De eo ad annum 11 a. Chr. sic scribit Dio LIV, 34, quo tempore Drusus alteram expeditionem in Germaniam susciperet, Vologaesum Thracem, Bacchi sacerdotem, defecisse ab Rhascuporide, Thracum rege, eoque facile occiso, item expulso Rhoemetalce, eius patruo, invasisse in Chersonnesum, eodemque tempore Sialetas incurrisse in Macedoniam. Tum sic pergit: *Λεύκιος Πείσων ἐκ Παμφυλίας, ἧς ἦρχε, προςετάχθη σφίσιν.* Cf. Liv. epit. CXXXVIII; Flor. IV, 12, 17; Vellei. II, 98, ex quibus hic addit, fuisse eum legatum Caesaris ac per triennium bellum gessisse eoque confecto Asiae securitatem, Macedoniae pacem reddidisse. In quibus una res nobis sane est molestissima, nimirum quod Dio ait L. Pisonem ex Pamphylia, cui praeesset, missum esse contra Thraces, neque ulla mihi ratione persuadere possum, narrari id recte. Neque enim ulla tunc erat propria provincia Pamphylia, qua de re supra saepius diximus, sed coniuncta cum Galatia, eaque ipsa quia exercitu carebat, a praetoriis, non a consularibus viris regi debebat, L. autem Piso quinquennio ante consulatum gesserat. Quid deinde est illud, quod Dio ait Pisonem ex Pamphylia, cui praeesset, oppositum esse Thracibus? Hoc habeat sententiam aliquam, si Pisonem statuamus ei provinciae praefuisse, quae vicina esset Thracibus, iussumque eum esse ex Caesaris provincia, quam regeret, auxilium ferre senatui, qui quia legionibus carebat, sua defendere non poterat; aliter vix potest intelligi. Nam Dio qui honores virorum quos commemorat persequi non soleat, quid narret Pisonem, antequam Thracicum bellum susciperet, Pamphyliae tantulae provinciae, si modo fuit provincia, praefuisse? Num hoc volebat, tantam tunc fuisse virorum vel belli peritorum vel Caesari amicorum penuriam, ut ex Pamphylia petendus esset qui Thraces vinceret? Tum Pamphylia longissime a Thracia aberat, ut praeses eius non posset iuberi, dum suam provinciam regit, simul Macedoniam liberare. Ferrem fortasse Bithyniam, si posset demonstrari, id quod non potest, tunc extra sortem legatum Caesaris ei praefuisse eumque legionibus ornatum; in universa autem Asia, si ab Syria discedas, tunc scimus nullas fuisse legiones. Quae cum ita sint, quamvis litterae magis quam oportet videantur discedere, necessario tamen faciendum esse existimo, ut pro eo quod est apud Dionem *ἐκ Παμφυλίας* scribatur *ἐκ Μυσίας.* Tum omnia aperta. Regebat L. Piso Moesiam, cum orta est Thracum et Sialetarum defectio. Eam sua sponte opprimere non poterat; nam nec Rhascuporidis regnum proprie in eius erat provincia, atque etiamsi fuit, partem tantum belli extinguere poterat, quia Thraces etiam Asiae litora vexaverant. Sialetae vero sive Coelaletae sive Coeletae (Tac. Ann. III, 38) certe erant in provincia Macedonia, quam attingere non licebat. Ita ei ex senatusconsulto permissum est legionibus, quas in Moesia regeret, Thraces reliquasque

nationes quae Macedoniam vastabant, persequi tollendique belli causa et Macedoniam et Asiam et Bithyniam, si illa quoque aliquid mali perpessa esset, intrare. Sic facile crederem, si tunc Piso extra ordinem non modo Moesiae, verum etiam Macedoniae praefuisse narraretur neque quisquam a senatu missus esse pro consule. Quamquam id neque necesse est neque traditur. Quis Pisoni successerit, nescimus ac diu tranquilliores res per Moesiam et Macedoniam videntur fuisse. Sed hoc tamen tempore collocandum esse arbitror bellum Dacicum et Sarmaticum, ducemque eius Lentulum, quem Flor. IV, 12, 28 commemorat. Quamquam certi nihil videtur posse affirmari, siquidem nec belli illius a quoquam alio mentio fit et Lentuli tunc fuerunt tam multi, ut quis gesserit, decerni nequeat. Proxime nominatur A. Caecina Severus, cos. anni 9 a. Chr. ex Kal. Iuliis cum Nerone Druso, qui anno 6 p. Chr. Moesiae praefuit, cum ingens illa Pannoniorum et Delmatarum seditio exarsit, quae Tiberium et Germanicum usque ad annum 12 p. Chr. exercuit. Neque enim ea finibus Illyrici continebatur, sed finitimas quoque provincias, Moesiam et Macedoniam, corripuerat, ut illius legatus necessario ad auxilium ferendum vocaretur. Itaque saepius Caecina commemoratur in eius belli narratione a Dione LV, 29 sq., item a Vellei. II, 112, qui A. Caecinam et Silvanum Plautium consulares ex transmarinis provinciis Tiberio opem tulisse ait; nam M. Plautium, cos. anni 2 a. Chr., Illyrico praefuisse titulus eius Tiburtinus apud Grut. p. 452, 6 docet. Ac quamvis nihil certi tradatur, tamen, quoniam Caecinam saepius in fortuna belli illius enarranda commemorari video, mansisse eum in Moesia iudico, dum divictis prorsus barbaris certa pax constituta triumphusque Tiberii actus est, i. e. usque ad annum 12 p. Chr. Hoc enim ipso constat Moesiae praefectum esse C. Poppaeum Sabinum, cos. anni 9 p. Chr. De quo antequam dicamus, repetendum est de Achaia provincia, quales rectores imperante Augusto habuerit. Nam ipsi homines ignoti sunt neque nomen ullum, nisi quid forte me fugit, traditur. Incertum enim est, num huc referendus sit ille Atidius Geminus, praetor Achaiae, quem apud Tac. Ann. IV, 43 narrant anno 25 p. Chr. Messenii de iure templi Dianae Limnatidis statuisse. Nam ignotus prorsus est homo ipsaque eius gens veteribus temporibus obscurior, ut inter maiores magistratus nemo eius nominis libertatis tempore inveniatur, improbanda autem certe Pighii in Annal. III p. 584 opinio, qui eum anno 24 p. Chr. Achaiae praefuisse putat. Sed quod *postremo* Messenii eum dicunt de templo iudicasse, Lacedaemoniique ante C. Caesaris et M. Antonii sententias attulerant, Augusto maxime imperatore eum Achaiae praefuisse arbitror. Parebat autem universa Achaia (sic enim iam appellabatur provincia neque ante hoc tempus id nomen tantum patebat) proconsuli cum legato et quaestore. Etenim anno 6 p. Chr. Dio LV, 27 narrat cum Achaiae proconsul antequam decederet, esset mortuus,

Augusto referente provinciam ita esse divisam inter legatum et inter quaestorem, ut alter Peloponnesum, alter reliquam Achaiam curaret.

Per totum igitur Augusti imperium Achaia et Macedonia proconsules suos habebant; sed provinciae erant non magnae, et dudum exinanitae, praesertim cum bellorum civilium tempore plurimos exercitus maximaque proelia sustinuissent. Quare cum Tiberius imperium adeptus esset, anno 15 p. Chr. legatis Romam missis petebant, ut de tributis aliquid sibi remitteretur. De qua re cum deliberaretur, placuit proconsules, in quos magnae impensae faciendae erant, ex utraque provincia tolli, traditisque iis Caesari aboliti sunt etiam quaestores, qui tributa senatui debita colligebant. Quorum loco instituti sunt procuratores, qui quoniam certis mandatis mittebantur ab imperatore, hic, prout opus videbatur, vel remittere vel exigere poterat (Tac. Ann. I, 76). Quare postquam qui tunc tenebant provincias proconsules decesserunt, traditae sunt et Macedonia et Achaia Poppaeo Sabino, de quo diximus, Moesiae iam praefecto (Tac. Ann. I, 80), qui iurisdictionem per legatos administraret. Hic Sabinus videatur tres illas provincias rexisse, donec extremo anno 35 p. Chr. mortuus est. Etenim Tac. Ann. VI, 39 eum per quattuor et viginti annos narrat maximis provinciis praefuisse, et Dio LVIII, 25 Moesiam utramque et Macedoniam ei paruisse scribit. Itaque et cum in Thracia barbaras quasdam nationes oppressisset, triumphalia ornamenta meruit (Tac. Ann. IV, 46) et cum domestica seditio in Macedonia et Achaia anno 31 imminneret, utramque provinciam pacavit (Tac. Ann. V, 10). Qui cum universum imperium trium populorum teneret, ad singulos regendos legatis utebatur, quorum qui Moesiam legionemque ibi collocatam administrarit, nominatur L. Pomponius Flaccus, quem Ovid. ex Ponto IV, 9 significat anno fere 15 p. Chr. ei legioni, quae Istri ripam tueretur, praefuisse. Sed adversatur huic interpretationi, ut Poppaeum Sabinum per totum illud spatium tribus provinciis praefuisse putemus, alius Taciti locus Annal. II, 66, qui anno 19 p. Chr. Latinium Pandusam[1]) pro praetore Moesiae appellat eumque tunc in ea provincia obisse ait. Ignotus nobis est homo, nec quicquam de honoribus eius comperimus, sed hoc videtur constare, non fuisse eum consularem. Cum enim inde a primo p. Chr. anno vel etiam ultra

1) Sic enim hominem appellandum esse puto cum propter inscriptionem editam a Borghes. in diurn. Arcad. anni 1819, 3 p. 55, in qua *Ti. Latinius Pandusa* commemoratur, tum propter Ti. Pandusam, quem App. Illyr. 10 cum Iapydibus pugnasse narrat, quem hominem supra p. 165 scribendi quodam errore Pandusium a nobis appellatum esse dolemus. Neque apud Tacitum adversatur codicis Medicei auctoritas, qui altero loco *Padusa,* non *Pando* exhibeat. Ipsum etiam nomen Latinius in magistratibus Romanis admodum rarum est, nec quemquam inveni, nisi Latinium illum, quem Cic. epist. XII, 30 extr. videtur significare legatum in Africa fuisse anno 44; certe enim hoc loco *Latinio* potius scribendum est quam *Latino*.

omnes consules noverimus, nullus in iis est Latinius. Quare cum praetorius fuerit, existimarem utique legatum eum fuisse Poppaei Sabini nec recte a Tacito appellatum pro praetore, nisi idem narraret successisse ei L. Pomponium Flaccum, eundem, de quo supra p. 129 in Syriae praesidibus diximus, cos. anni 17 p. Chr. Qui cum et consularis fuerit et, id quod modo docuimus, in eadem provincia ante breve tempus legatus legionis, fieri non potest, ut putetur iterum Sabini fuisse legatus. Idemque a Vellei. II, 129 ita prorsus commemoratur, quasi totam provinciam legatus Caesaris rexerit. Tenuit autem Moesiam usque ad annum 26. Nam successit ei Pomponius Labeo, quem Tac. Annal. IV, 47 narrat communiter cum Sabino bellum adversus Thraces gessisse. Hic anno 34 ipse sibi mortem intulit cum uxore sua, quia Tiberius ei domo sua interdixerat, *male administratam provinciam aliaque crimina* obiiciens (Tac. Ann. VI, 29), unde intelligemus eum paulo ante ex provincia decessisse. Idque confirmat Dio LVIII, 24, eum postquam ex praetura per octo annos Moesiam rexit, quia a Tiberio pecuniae contra leges captae insimularetur, occidisse referens. Cf. supra p. 145. Quare Labeo si anno 33 Romam revertit, Moesiam accepit anno 26, sed consulatu ante non gesto. Quae cum ita sint, quid faciamus Dione, quem citavimus, qui Sabinum narret per totum prope Tiberii imperium Moesiae utrique, Macedoniae, Achaiae praefuisse eique in iisdem provinciis successisse Memmium Regulum? Nimirum sic accidisse iudico. Accepit tres provincias, i. e. omnem eam quae veteribus temporibus appellabatur Macedoniam, Poppaeus Sabinus anno 15 p. Chr., sed anno vel biennio post Tiberius veritus, ne nimis ille extolleretur, Moesiae praefecit Latinium Pandusam, in Macedonia et Achaia reliquit Sabinum. Successit in Moesiam anno 19 L. Pomponius Flaccus, anno 26 Pomponius Labeo, cui mandatum est, ut cum Sabino bellum Thracicum administraret. Postquam Labeo quoque anno 33 revocatus est, Sabinus, qui ad illud tempus duas modo provincias rexerat, tertiam denuo accepit Moesiam atque in trium harum provinciarum administratione obiit. Est autem haec res, quam exposuimus, cum ideo memorabilis, quod qua arte Tiberius in provinciis mandandis usus sit, insigni exemplo docet, tum quod minus verum esse ostendit, quod vulgo Moesia consularibus tantum legatis tradita esse existimatur. Consulto enim Tiberius duos praetorios viros Moesiae imposuerat, ne donec Macedoniae et Achaiae Pomponius Sabinus, vir consularis, praeerat, si quid communiter finitimarum provinciarum rectoribus esset agendum, velut ipsum illud quod diximus bellum Thracicum, mala inter eos existeret aemulatio, sed praetorius cederet consulari. Neque Pomponium Flaccum consularem tunc Moesiae praefecisset, nisi Rhascuporidem, quocum ille ex priore tempore, quo legionem per easdem regiones rexerat, amicitiam artam habebat, decipere voluisset, atque hoc est illud, quod Tacitus Annal. II, 66

significat: *Pomponium Flaccum veterem stipendiis et arta cum rege amicitia eoque accommodatiorem ad fallendum ob id maxime Moesiae praefecit.*

Successit igitur Poppaeo Sabino C. Memmius Regulus, cos. Kal. Oct. anni 31 suffectus Fausto Sullae, Tiberii in destruendo Seiano praecipuus adiutor, cui praeter Moesiam Dio LVIII, 25 ait Macedoniam, et secundum quosdam auctores etiam Achaiam extra sortem esse traditam. Qui quas provincias rexisset si Dio nesciebat, nos multo minus sciemus, etsi non abhorret a vero in Regulo idem accidisse atque in Poppaeo Sabino, ut non per totam legationem easdem regeret provincias. Nam Tiberius, qua erat morositate ac pigritia in deligendis provinciarum rectoribus, videtur sane Regulo, quem semel probasset, omnes Sabini provincias tradidisse, at Caligulam facile crederem avellisse Achaiam, nisi tantula haec esset provincia, ut vix legato Caesaris digna videri posset. Decessit autem C. Regulus ex provincia anno 39, cum in urbem revocatus est, ut uxorem suam Lolliam Paulinam Gaio principi desponderet (Suet. Cai. c. 25 et Reimar. ad Dion. LIX, 12). Successorem eius non inveni, sed hoc video non facile plures fuisse quam duo, quorum unus Caligulae, alter Claudii imperio tribui possit, antequam a Claudio triennio postquam imperare coepit, Macedonia et Achaia senatui redditae sunt. De ea re Dio Cass. LX, 24 ad annum 44 p. Chr. sic tradit: *Τήν τε Ἀχαΐαν καὶ τὴν Μακεδονίαν αἱρετοῖς ἄρχουσιν, ἐξ οὗπερ ὁ Τιβέριος ἦρξε, διδομένας ἀπέδωκεν ὁ Κλαύδιος τότε τῷ κλήρῳ*, similiterque dicit Sueton. Claud. c. 25. Quid igitur tunc factum est? Num Macedonia et Achaia rursus coniunctae sunt? Non videtur; sed seiunctae sunt, duasque effecerunt provincias, ut Augusto imperante. Nam duo nominantur sub Claudio proconsules Achaiae, qui Macedoniam seorsim constitisse docent. Unus est L. Martius Macer, qui in titulo Arretino apud Gor. Inscr. Etrusc. II p. 293 et apud Borghes. in diurn. Arcad. anni 1826, 4 p. 170 nominatur *trib. mil. leg. II. IIIIvir. v*(iar. || *cur. q.*) *aed. cur. pr. leg. Ti. Claudi. Cae*(s. Aug. || pro) *pr. provinc. Moesiae. leg. IV. Scyt.* (et || leg.) *V. Maced. procos. prov. Achai*(ae || citr)*a sortem.* Hic a Borghesio existimatur, postquam Macedonia et Achaia seiunctae sunt, primus fuisse Claudii legatus in Moesia, quae sententia cum nullis argumentis stabiliatur, mihi quidem minus videtur esse vera. Dicitur enim L. Martius proconsul Achaiae fuisse citra sortem i. e. factus a senatu, sed non sortito, verum electus ex praetoriis. Qui cur electus sit, non intelligitur, si primum eum postquam Achaia senatui reddita est, Moesiae, tum fortasse triennio vel quadriennio post Achaiae praefuisse statuimus. Solet enim extra sortem praeses in eam provinciam mitti, quae neglecta aliquamdiu sit praecipuaque cura quadam indigeat; quod cum accidit, quia sors ad quemlibet deerrare potest, iudicio vel senatus vel principis eligitur, qui maxime idoneus ad ea quae corrupta sunt emendanda videatur. Num igitur probabile

est, cum tamdiu Achaia rectoribus optimis a principe electis usa esset, paucis annis adeo eam esse corruptam, ut denuo emendatore opus esset? Immo sic existimabimus, cum redderetur Achaia senatui, opus fuisse aliquo, qui provinciam, cuius reditus ad id tempus a procuratoribus essent administrati, aliter constitueret, quaestori quid agendum esset, praeciperet omniaque ad reliquarum senatus provinciarum modum componeret. Fortasse etiam, cum subito duae accederent provinciae, in quas qui quinquennio ante praeturam gessissent, sorte mittendi essent, deerant, qui sortirentur. Itaque quare anno 45 extra sortem rector Achaiae electus sit, intelligimus, quare paucis annis post electus sit, non intelligimus, multoque magis L. Martium Macrum primum sub Claudio proconsulem Achaiae fuisse censemus. Efficitur hinc, ut anno 41 Claudius (nam huius tantum legatus dicitur Martius Macer) postquam imperare coepit, L. Martium Moesiae duabusque quae in ea erant legionibus praefecerit, Macedoniam autem et Achaiam, quamvis tunc in sua tutela retineret, disiunxerit; atque inde nata est illa fama, quae Dionem movit, ut incertum esse traderet, num Memmio Regulo, de quo diximus, Achaia etiam paruisset. Equidem Macedoniam et Achaiam quamdiu Caligula imperavit, cum Moesia coniunctam fuisse, deinde a Claudio separatam peculiarique legato traditam, tum anno 44 senatui redditam, sed in veteres illas, quae sub Augusto fuerant, provincias divisam esse coniicio. Simul autem illud observo, quod apparet, L. Martium Macrum legatum Moesiae fuisse virum praetorium neque omnino antequam Vespasianus tertiam provinciae legionem addidit, constans videtur facta esse consuetudo consularium Moesiae praeficiendorum. Nam etiam qui L. Martio successit, Flavius Sabinus, Vespasiani frater, antequam consulatum anno 52 accepit atque urbi praefectus est, per septem annos Moesiam rexit. Cf. Tac. Hist. III, 75 et Borghes. diurn. Arcad. anni 1831, 1 p. 296. Alter autem Achaiae proconsul Nerone imperante nominatur Gallio ille in Act. Apost. XVIII, 12. Hic quin fuerit philosophi Senecae frater maior natu, qui cum antea vocaretur M. Annaeus Novatus, postquam a Iunio Gallione, non ignoto senatore, Caligula imperante (nam M. Annaeo Novato dedicati sunt philosophi libri per illud imperium scripti) adoptatus est, nomina sumpsit Iunius Annaeus Gallio, dubitari non potest. Nam et rarius omnino est cognomen Gallio et fratrem suum in Achaia fuisse testatur Seneca epist. 104. Sed quando Gallio Achaiae praefuerit, incertum est, nec quae ex Pauli apostoli, qui apud Gallionem proconsulem Corinthi dicitur esse accusatus, rebus efficiuntur, adeo certa sunt, ut inde Gallionis proconsulatus definiatur; sed nunc tamen sic fere de iis statui video, ut et Paulum annis 53 et 54 Corinthi versatum esse et alterutro anno Gallionem Achaiae praefuisse existiment. Vide, ut unum nominem, Car. Wieseler. chronologiam aetatis apostolicae, Goettingae 1848, p. 117. Equidem, ut Pauli res omittam solumque Gallionem spectem, quorundam causa, qui de his rebus scripserunt, primum hoc

animadverto, si vulgaris reipublicae Romanae consuetudo servetur, non potuisse eum praeesse Achaiae post consulatum, quem ab eo gestum esse narrat Plin. nat. hist. XXXI, 33 (nam praetoria provincia erat Achaia), deinde inter praeturam eius et proconsulatum ex celebri Augusti lege intercedere oportuisse quinquennium. Quando autem praeturam ipsam gessisse videatur ut inveniamus, redeundum est ad Senecam philosophum, fratrem eius; hoc enim adiutore ac fautore omnes honores adeptus est, ipse, quamvis egregius esset declamator (sic enim in Eusebii chronico appellatur) hac quae tunc parum valebat arte nihil esset assecutus adeoque fratrum per omnia tempora fuit vita coniuncta, ut ab eodem Nerone, qui Senecam interfecit, paulo post occisum esse constet Gallionem. Iam philosophus quaesturam accepit antequam in Gaii gratia esse desiit anno 39 non modo eam ob causam quam Dio LIX, 19 affert, quod Iuliae Germanici filiae adulter esse videretur, sed, opinor, omnino, quod huic Iuliae ipso illo anno relegatae (Dio LIX, 22) nimis faveret. Ac tum quidem philosophus etsi iacere coepit, poenam tamen effugit, qua affectus est a Claudio machinante Messalina, quae Iuliam illam in breve tempus revocatam occiderat (Dio LX, 8). Rediit autem ab exilio Seneca anno 49 per Agrippinam (Tac. Ann. XII, 8; Dio LX, 32), ac deinceps plurimum apud imperatorem et Agrippinam valuit. Per totum igitur hoc tempus, quo philosophus ipse iacuit, fratrem eius cum eo coniunctissimum abhorret a similitudine veri maiore dignitate esse auctum: satis ille sibi fortunatus videretur, si fratris fortunam effugeret gradumque suum in senatu retineret, ut probabile prorsus sit Gallionem usque ad annum 49 ultra quaesturam non ascendisse. Seneca autem cum ex Corsica revocaretur, statim praeturam impetravit (Tac. Ann. XII, 8), i. e. designatus est in annum 50, Gallionem, qui illius opera in gratiam imperatoris restitutus est, post eum praetura ornatum esse putabimus, ut vel ipso illo anno, sed inferiore loco, vel anno 51 praeturam adeptus sit. Quodsi in praetura successit Gallio fratri, certe successit etiam in consulatu. Senecae autem consulatus solebat olim collocari anno 62, propterea quod senatus consultum Trebellianum, quod L. Annaeo Seneca Trebellio Maximo factum est (Ulp. Dig. XXXVI, 1, 1 et Gai. Inst. II, 253) putabatur id esse, de quo Tacitus Ann. XV, 19 narrat. Sed cum iam Lipsius paululum dubitationis movisset, Borghesius nuper apud Gervasium de inscriptionibus Neapolitanis p. 38 (cf. Bullett. inst. arch. anni 1846 p. 174) docuit non potuisse nec Senecam consulem esse anno 62, quia ipso illo tempore neglectus ab imperatore coepisset vita publica abstinere atque in otium recedere (Tac. Ann. XIV, 52 et 56) nec Trebellium Maximum, quia is iam proximo antecedenti anno inter consulares commemoraretur a Tac. Ann. XIV, 46. Ipse igitur Senecam consulem eiusque collegam Trebellium Maximum confert in annum 58, maxime propter Tacitum Ann. XIV, 53, qui anno 62 Senecam sic ad Neronem dicentem facit: *Quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae*

admotus sum, octavus, ut imperium obtines; medio temporis tantum honorum atque opum in me contulisti, ut nihil felicitati meae desit. Honores enim, quod praeturam iam ab Claudio accepisset, nullos Senecam ab Nerone accepisse nisi consulatum mediumque temporis esse quartum annum postquam Nero imperium adeptus est. Quam interpretationem qui admittet, necessario etiam hoc credet, divitias omnes, quibus philosophus abundabat, in eum uno illo anno 58 esse congestas, quas Tac. Ann. XIII, 42 anno 58 *intra quadriennium regiae amicitiae* partas esse scribit. Immo nos rectius videmur sic statuere, ut Senecae maxime initio principatus sui, antequam anno 58 Poppaeam Sabinam amare matremque Agrippinam, cuius summa gratia philosophus utebatur, in odio habere coepit, Neronem et consulatum et ingentes divitias detulisse neque unum aliquem annum, sed totum illud, quod ab anno 54 praeterierat, spatium a Tacito significari existimemus. Quod autem altero loco quasi subsidii causa argumentum affert Borghesius, id nobis quidem contra potius videtur esse explicandum. Anno enim 58 condemnatus est P. Suillius Nerullinus propter odium maxime Senecae eoque insidias struente, ut Tac. Ann. XIII, 42 significat, quam tantam philosophi apud senatores potentiam negat posse intelligi Borghesius, nisi ille tunc aut consul aut designatus consul fuisset. Quae in re Borghesius nimis callida videtur uti interpretatione. Quidni enim Seneca, apud Neronem gratiosissimus, etiam cum nullo magistratu esset ornatus, inveniret senatores aliquos, qui Suillium multis invisum (homo enim erat olim Claudio imperante potens multisque exitii auctor extiterat) condemnandum curarent? Atque potest hoc argumentum, ut diximus, contra Borghesii sententiam converti. Sive enim ineunte anno causa Suillii in senatu acta est, quo tempore Senecam Borghesius censet fuisse consulem designatum, sive exeunte, quo consulatu illum functum esse putat, utroque certe tempore adesse oportebat philosophum; nam consules designati primi rogabantur sententiam, consules in senatu praesidebant. Senecam autem abfuisse a senatu in agenda Suillii causa Tacitus c. 43 significat, cum ait fuisse, qui convicia ab reo in Senecam iactata ad eum deferrent. Quare certe Seneca anno 58 consulatum non gessit. Quod qui statueret, nullum locum inveniret, quo Iunii Gallionis Senecae fratris consulatum collocaret. Quem cum dixerimus consulem fuisse post philosophum, interfectumque non multo post eum, nemo existimabit anno 62, quo frater invisus Neroni vita publica abstinere coepit, summo honore esse ornatum. Triennii autem, quod annum 62 antecedit, consules omnes noti sunt. Cum enim Suetonius Ner. 15 Neronem tradat consulatum in senos plerumque menses dedisse, praeter ordinarios consules anno 61 noti sunt C. Calvisius Ruso et L. Caesennius Paetus, anno 60 Cn. Pedanius Salinator, tum L. Velleius Paterculus et Pompeius Vopiscus (Senec. nat. quaest. 7, 28), anno 59 T. Sextius Africanus et Afrenus, ut Gallioni qui tribui possit, nullus per hos annos locus supersit. Quando autem Seneca

ipse consul fuit, quando frater eius Gallio? Nam etiam annus 57 eximitur, si fides habenda est titulo Hispanico apud Spon. Miscell. erud. antiq. p. 278. Equidem Senecam ipsum consulatu ornatum esse puto anno 56, quo, quantum invenire potui, nondum alii praeter eos qui Kal. Ian. inierunt consules innotuerunt, eiusque sententiae aliqua confirmatio efficitur ex iis, quae Tacitus Annal. XIII, 18 narrat de Nerone, postquam exeunte anno 55 Britannicum interfecit: *Exin largitione potissimos amicorum auxit, nec defuere, qui arguerent viros gravitatem asseverantes, quod domos, villas id temporis quasi praedam divisissent,* quo loco iam Lipsius vidit Senecam potissimum significari. Cui si Nero non eadem modo praemia quae libertis aliisque, qui senatoria dignitate carerent, hominibus tribuere vellet, quoniam praeturam iam gesserat, nihil supererat nisi consulatus, quem cum in priores anni 56 menses alii nobilissimi viri iam occupassent, detulit in posteriores eiusdem anni menses. Sic igitur Kal. Iul. anni 56 suffectos esse statuo consules M. Annaeum Senecam cum Trebellio Maximo, Gallionem autem eius fratrem transferendum esse coniicio in annum 58, qui a Borghesio tribuebatur philosopho ipsi; neque enim alius ullus annus iam superest. Hanc igitur, quam solitam fuisse in republica Romana diximus, rationem si sequemur, proconsulatum Gallionis Achaicum anno 55 vel 56 collocabimus; utroque enim anno satis temporis et post praeturam et ad consulatum ab imperatore impetrandum relinquitur. Quamquam non dissimulabo, multa posse contra disputari. Erunt enim fortasse, qui Achaiam ab Gallione post consulatum gubernatam esse contendant. Qui si afferant id argumentum, quod ab Wieselero l. l. p. 120 afferri video, certe errent. Nam Plinius nat. hist. XXXI, 33 cum sic scribit: *Praeterea est alius usus multiplex* (aquae marinae), *principalis vero navigandi phthisi affectis, ut diximus, aut sanguinem egerentibus: sicut proxime Annaeum Gallionem fecisse post consulatum meminimus. Neque enim Aegyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi,* certe non de ea febri dicit, qua Seneca epist. 104 fratrem suum in Achaia laborasse ait. Neque enim omnino de febri Plinius loquitur neque de navigatione Achaica; immo in Aegyptum abisse Gallionem valetudinis causa significat. Denique ne illud quidem credo *proxime post consulatum* esse coniungenda. Immo *proxime* profectum esse Gallionem Plinius ait, quia omnis res nuper i. e. ante tredecim fere annos acciderat (nam Plinius absolvit opus suum anno 77, Gallio decessit anno 65 vel 66), additque *post consulatum,* ut provectioris aetatis hominem navigatione ad levandam phthisim usum esse significet annumque, quo Gallio navigarit, indicet. Sed alia afferri possunt, quae universam de Gallione disputationem incertissimam reddant. Lex enim de provinciis senatoriis Augusti erat illa quam diximus, ne quis ante quinquennium post magistratum gestum provinciam sortiretur; sed quot anni intercedere consuerint, magnopere quaeritur. Etenim etsi inter consulatum consularesque provincias, Asiam et

Africam, decem anni vel etiam amplius interesse solebat, quam rem ipsi supra saepius commemoravimus, nolim eandem rationem ad praetorias provincias transferri. Nam cum multi quotannis fierent consules, provinciae autem consulares essent tantum duae, apparet sortem diu expectandam fuisse consularibus. At praetoriae provinciae octo vel plures erant, ut quamvis ad sedecim praetores crearentur, duplo tantum maior esset praetorum quam provinciarum praetoriarum numerus. Quare Septimii Severi exemplum, quod Borghes. in diurn. Arcad. 1826, 4 p. 179 affert, recessisse ab consuetudine iudico. Qui cum anno 178 praeturam gessisset (natus enim erat anno 146, praetorque factus est anno aetatis tricesimo altero, Spart. Sept. Sev. 4), Siciliensem proconsulatum, in quo Geta ei natus est, accepit anno 189 (Spart. l. l.). Sed praefuerat ille principis provinciis, ut quo tempore sors ad eum deveniret, Roma abesset atque a principe in posterius tempus reiiceretur. Itaque non multo maius spatium quam lege praescriptum erat, praeterire consuevisse arbitror, dum praetores qui fuerant, provincias sortirentur. Veruntamen etiam illud possit disputari Gallionem gesto demum consulatu Achaiam, quamvis praetoria esset provincia, sorte accepisse. Quaeritur enim, si quis post praeturam biennio vel triennio vel quadriennio, quo praetoriam provinciam nondum licebat sortiri, consulatum adipisceretur, quid fieri consueverit, quae quaestio tam difficilis est, ut, qui summus harum rerum apud Italos iudex est, Bart. Borghesius parum de ea secum ipse consentiat. Quam rem cum ille in diurn. Arcad. anni 1826, 4 p. 177 tractaret, sic statuit, eum qui ante praetoriam provinciam sorte acceptam consulatum adipisceretur, amittere ius sortiendae transferrique ad eos, quibus sola consularis vel Asia vel Africa deberetur. Argumentis autem utitur duobus, primum provinciam praetoriam non commemorari apud eos, qui non multo post praeturam adepti sint consulatum. Sic nec Hadrianus imperator, qui anno 107 praetor, anno 109 consul fuit, nec Frontinus, praetor anno 71 (Tac. Hist. IV, 39), consul anno 74, nec Agricola, nec Pertinax, nec Plinius, qui non multo post praeturam consules facti sunt, praetoriam provinciam rexerunt. Tum Borghesius fatetur, quamvis diligenti instituta perquisitione, nondum sibi contigisse, ut quemquam, qui post consulatum praetoriam provinciam a senatu accepisset, inveniret omnesque, quos nosset, ante consulatum iis praefuisse: necesse autem fuisse, si ius sortiendae provinciae praetoriae post consulatum retinerent citoque consules fierent, eam post consulatum acciperent. Haec igitur cum olim Borghesius docuisset, postea in commentatione de consule Burbuleio p. 43 errorem, quem appellat, suum ipse corrigit. Ibi negat, praetoriae provinciae ius consulatu gerendo perisse, ut autem raro in inscriptionibus exempla proconsulatus praetorii post consulatum acti inveniantur, duabus ex causis accidisse ait. Primum enim, quia consulatus soleat in titulis a principio honorum collocari, fieri, ut distingui nequeat, utrum tempore praetoria provincia consulatum antecesserit

an secuta sit. Ita locum eius incertum relinqui in titulo C. Oppii Sabini apud Orell. n. 3306 et in alio quodam, cuius locum non inveni, et P. Aelii Coerani apud Marin. act. fratr. Arv. tab. LX, quorum ultimum, quia omnes post consulatum honores ex ordine videntur recenseri, proconsulatum Macedoniae ante consulatum ostendere arbitror, primum incertum posse videri concedo. Deinde Dionem LIII, 94 ipsum narrare, legem Augusti paulatim ita esse mutatam, ut principes ipsi quot et quos provincias sortiri vellent, eligerent: ita factum esse, ut viri illustriores, quorum opera in Caesaris provinciis adhibenda esse videretur, proconsulatu praetorio excluderentur. Neque negabo propter hanc rationem multos, quibus liceret praetorias provincias sortiri, non esse sortitos, sed in Caesaris provinciis aliisque muneribus retentos, sed cum tot quotannis praetores crearentur, ex quibus magna certe pars etiam ad consulatum perveniret, admodum tamen mirabile est, neminem adhuc esse repertum, qui post consulatum praetoriam provinciam sortis beneficio gessisse videatur. Neque enim tria illa exempla, quae Borghesius affert, huc pertinere existimo. Quorum primum est C. Iulii Cornuti Tertulli, cuius titulum edidit Marin. act. fratr. Arv. p. 729, quem cum *cos., proconsul provinciae Asiae, proconsul provinciae Narbonensis, legatus pro praetore divi Traiani provinciae Ponti et Bithyniae, eiusdem legatus pro praetore provinciae Aquitaniae censuum accipiendorum* nominetur, credo sane provinciae Narbonensi, quae senatus erat, post consulatum praefuisse, sed praefuit tamen extra sortem, certa quadam ex causa delectus. Neque enim vere praeturam gesserat, sed a Vespasiano et Tito censoribus inter praetorios allectus erat. Iam nequeo hoc loco explicare, quid sit referri inter quaestorios, aedilicios, praetorios, qua de re olim diximus in commentatione de honorum gradibus (Mus. Rhen. ann. 1842 p. 270), sed hoc apparet aliud esse vere praeturam gerere, aliud referri inter praetorios, neque, qui allectus est, quamvis inter praetorios sententiam dicat et consulatum petere possit, ad sortiendam provinciam videtur esse admissus. Quare inter eos, qui allecti inter praetorios in inscriptionibus appellantur, quorum memoriam collegit Marinius Act. fratr. Arv. p. 727, neminem invenio, qui provinciam praetoriam sorte acceperit praeter Pollionem Iulianum, cuius inscriptio nuper Nolae reperta est (apud Momms. Inscr. Neap. n. 1985), de quo ipso, quia fragmentum modo tituli extat, certe iudicari posse non credo. Alterum, quod Borghesius affert, exemplum est A. Iulii Quadrati, cuius duo insignes tituli reperti sunt Pergami (Boeckh. Corp. inscr. n. 3532 et 3548), ex quibus inter se collatis efficit, ut Quadratus post legationem Cappadocicam i. e. post consulatum, praefuerit Cretae et Cyrenis pro consule. Equidem utrumque titulum quadam et honorum confusione et dicendi negligentia laborare nec quicquam ex iis colligi posse existimo. Superest tertia inscriptio Nemausensis, ab ipso Borghesio de cos. Burbuleio p. 32 relata, L. Ranii Optati, qui appellatur *cos. pro cos. provinc. Narb. c. v. leg.*

Aug. iuridicus Asturiae et Gallaeciae — praetor. Hunc titulum credo Borghesio positum esse L. Ranio Narbonensem Galliam regenti; vocatur enim in extremo *praeses integerrimus.* Sed praetoriam illam provinciam datam ei esse post consulatum non credo. Quid enim prohibet, quominus ei provinciam regenti delatus esse existimetur consulatus atque ob ipsum hunc subito tributum honorem a Nemausensibus positus esse titulus? Neque enim non aliquando provinciarum praesidibus in ipsis provinciis dati sunt summi fasces, cuius rei cum possim plura afferre ex inscriptionibus exempla, citabo unum Pertinacis, qui postea imperavit, certissimum (hunc enim Capitolinus Pert. c. 2 absentem ait consulatu esse ornatum, dum Raetiae et Norico praeest), tum P. Iulii Iuniani Martialiani et M. Valerii Maximiani, legatorum Numidiae, quorum ex titulis apud Léon. Renier. (Notes d'un voyage archéologique au pied de l'Aurès in Revue archéologique ann. 1852) intelligimus eos, dum provinciam regunt, consulatus honorem accepisse. Quod si accidit provinciarum imperatoriarum praesidibus, cur senatoriarum rectoribus accidere non potuit? Quare, cum nullum ex exemplis a Borghesio allatis admittendum esse putem, ipsa rei natura ac ratio magnopere videtur suadere, ne unquam ei, qui consulatum gessisset, praetoriam provinciam sorte datam esse existimemus. Perisset enim, quod lex volebat, ne continuarentur imperia, si quis biennio post praeturam consulatu, tum rursus biennio post praetoria provincia, tum paucis annis interiectis consulari functus esset, nec dissimile videretur esse, si quis in libera republica statueret eum, qui ex praetura non isset in provinciam, ex consulatu duas poscere suo iure potuisse provincias. Quae cum ita sint, imperii Romani consuetudo ita fert, ut Gallionem (nam redeundum est ad hunc, unde egressi sumus) quoniam Achaiam rexit, putemus vere praeturam gessisse, tum provinciam non ante quinquennium ab exacto magistratu accepisse, denique certe eam administrasse, antequam circa annum 58 consulatum adeptus est. Deinde similitudo quaedam veri facit, ut Gallionem praetorem factum esse debeamus statuere post fratrem Senecam. Veruntamen et consuetudo illa ab imperatoribus poterat violari (inducta enim erat propter ipsorum securitatem) et similitudo haec veri distat ab vero ipso, ut, si aliis auctoritatibus efficiatur, uno vel altero anno ante id quod nos definivimus tempus Gallionem Achaiae praefuisse, et consuetudinis violatio et veri similitudinis infirmitas possit excusari. Nos, ne longi existeremus, quod ipsum ne factum sit iam prope veremur, ultra ipsius Gallionis res provincialemque rationem egredi noluimus.

Praeter hos duos, quos diximus, Achaiae provinciae rectores alii nulli inveniuntur nec Macedoniae nec Achaiae; nam quos olim Achaiae praefuisse quidam putabant, L. Mindium Balbum et Claudium Rufum, ex nummis Bithyniae urbium male explicatis effecerant. Vide Eckhel. Doctr. Numm. II p. 461. Sed ratio tamen ipsa provinciarum qualis Claudio

et Nerone imperantibus fuerit, satis intelligitur. Nam Claudius quidem, quod anno 46 extinctis vel ad regnandum inutilibus Thraciae regibus procuratorem equestris dignitatis misit, qui Thraciam regeret (Euseb. Chronic. p. 160 et Tac. Hist. I, 11), dum Vespasianus peculiarem provinciam instituit (Suet. Vesp. 8), hoc minus ad Macedoniam, quam ad Moesiam imminuendam pertinebat. Sed anno 67 Nero, cum versaretur in Graecia, captus et illecebris Graecorum et antiquitatis memoria, ut gentem de humanitate optime meritam remuneraretur, *universae Achaiae libertatem dedit*, ut Plin. nat. hist. IV, 6, 22 ait, vel, ut Suet. Ner. 24, *provinciam universam libertate donavit.* Qualis autem fuit haec nova Graecorum libertas? Etenim cum Graeciae cum imperio Romanorum coniunctae tres fere aetates possint discerni, quarum prima fuit, ex quo a T. Quinctio Flaminino Macedonum iugo liberata est, altera, ex quo Mummius devictis Achaeorum exercitibus Corinthum delevit, tertia, ex quo Augustus suum rectorem Achaiae imposuit, quaeritur, ad quam condicionem tunc Nero Achaiam evexerit, quo iure eam uti voluerit. Plenissime de ea re narrat Pausanias VII, 17, 2: *Χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐς Νέρωνα ἡ βασιλεία περιῆλθεν ἡ Ῥωμαίων, καὶ ἐλεύθερον ὁ Νέρων ἀφίησιν ἁπάντων, ἀλλαγὴν πρὸς δῆμον ποιησάμενος τὸν Ῥωμαίων· Σαρδὼ γὰρ τὴν νῆσον ἐς τὰ μάλιστα εὐδαίμονα ἀντὶ Ἑλλάδος σφίσιν ἀντέδωκεν. — Οὐ μὴν Ἕλλησί γε ἐξεγένετο ὄνασθαι τοῦ δώρου· Οὐεσπασιανοῦ γὰρ μετὰ Νέρωνα ἄρξαντος ἐς ἐμφύλιον στάσιν προήχθησαν καὶ σφᾶς ὑποτελεῖς τε αὖθις ὁ Οὐεσπασιανὸς εἶναι φόρων καὶ ἀκούειν ἐκέλευσεν ἡγεμόνος, ἀπομεμαθηκέναι φήσας τὴν ἐλευθερίαν τὸ Ἑλληνικόν.* Duas res Pausanias scribit Graecis esse datas, libertatem et immunitatem, quas dum complectitur, liberatos eos esse ait omnibus rebus vel omni genere. Immunitas enim dupliciter ab eo significatur, primum cum ait ab Vespasiano rursus eos iussos esse tributa conferre, tum, cum addit populo Romano pro Achaia redditam esse Sardiniam, insulam fertilissimam, eandemque rem maxime intelligit Dio Cass. LXIII, 11, cum Graeciam quamvis gravissimis exactionibus vexaretur, tamen libertate a Nerone donatam esse scribit. Habebat igitur ante hoc tempus senatus reditus quosdam ac tributa, non ex omnibus civitatibus Graecorum (nam nonnullas constat semper fuisse immunes), sed ex plurimis tamen, quae quoniam perierunt immunitate universae provinciae concessa, Nero reddidit ei Sardiniam fruendam. Eam enim insulam Augustus in celebri illa provinciarum partitione senatui permiserat, sed transtulerat anno 6 p. Chr. ipse propter seditiones (Dio LV, 27) ad suam curam equitique Romano regendam tradiderat. Ac mansisse eam per maiorem partem Claudiani et Neroniani imperii in potestate principis illud docet, quod multi viri illustres in eam exilii causa missi sunt, velut Seneca et Anicetus, praefectus classis (Tac. Ann. XIV, 61) et C. Cassius (Tac. Ann. XVI, 9) et Crispinus, praefectus praetorio (Tac. ibid. c. 17). Qui nisi in provincia Caesaris recte custodiri non poterant. Quare Vipsanius Laenas, qui anno 57 dicitur ob

Sardiniam provinciam avare habitam condemnatus esse (Tac. Ann. XIII, 30), eques Romanus fuit eiusque causa non in senatu, sed apud principem acta est. Cf. supra p. 144. Tunc igitur anno 67 rursus a Nerone magistratibus sorte ex praetoriis viris faciendis permissa est. Quamquam non totam senatui redditam esse existimo. Cum enim vetus provincia ex duabus insulis, Sardinia et Corsica, constaret, quia Tacitus Hist. II, 16 Decimum Pacarium procuratorem Corsicae nominat eumque in bello Vitelliano solum insulae suae praefuisse significat, sic factum esse coniicio, ut Augustus cum provinciam in suam tutelam reciperet, eam in duas partes divisam duobus procuratoribus traderet, ex quibus unus Sardiniae, alter Corsicae praeesset (coniuncta enim si mansisset, maior erat quam quae equiti Romano pareret), Nero autem, id quod ipsum si Pausaniae verba accurate interpretere narratur, Sardiniam solam senatui concederet, Corsicam in sua potestate retineret. Itaque quae Constantini demum aetate certis auctorum testimoniis confirmari putatur Sardiniae et Corsicae disiunctio, originem duxit ab Augusto retentaque est ab reliquis imperatoribus. A Vespasiani quidem temporibus, cum Sardinia principi restituta est, constat semper procuratores huic insulae praefuisse, eaque accensenda erit iis provinciis, quas Tac. Hist. I, 11 ait ab procuratoribus cohiberi. Quos procuratores soli impositos esse Sardiniae, non cum Corsica coniunctae, inde colligo, quod semper *Sardiniae* appellantur, nunquam *Sardiniae et Corsicae* neque id, si insulae in unam provinciam fuissent coniunctae, minus videtur opus fuisse, quam in provincia, quae Creta et Cyrenae solet nominari. Itaque imperante Vespasiano commemoratur *Sex. Subrius Dexter procurator et praeses provinciae Sardiniae* in titulo Latino n. 10 apud Alb. de la Marmora Itin. Sardin. (Voyage en Sardaigne ou description statistique, physique et politique de cette île, Paris. 1840) Tom. II p. 469, sub Septimio Severo *Marcus Metellus procurator* ibid. n. 12, sub Philippis *M. Ulpius Victor procurator et praefectus provinciae Sardiniae* ibid. n. 21 et 24 et 27 et 34, sub Licinio Septimius Ianuarius procurator ibid. n. 22, atque incerta aetate *Q. Cosconius Fronto procurator Augustorum et praefectus provinciae Sardiniae* ibid. n. 36, et *L. Balbius Aurelius Iuncinus procurator Augusti praefectus provinciae Sardiniae* ibid. n. 37. Quare non dubito, quin etiam Ti. Claudius Servilius Geminus, qui in Nervae diplomate militari apud Cardinal. Dipl. Imp. n. X regere Sardiniam narratur, non nobilis aliquis homo fuerit multisque honoribus functus, id quod Borghesius in Mem. Inst. arch. I p. 44, quamvis quis fuerit invenire non possit, coniicere tamen videtur, sed eques Romanus, Augusti procurator. Hanc igitur Achaiae immunitatem, quam Nero instituit, ut universi nulla tributa penderent, sed ea modo quae ad suas respublicas tuendas opus essent, conferrent, quando antea sub imperio Romano Graeci habuerant? Nunquam certe, ex quo Mummius Corinthum diruit. Omnes enim concedunt, quasdam et Peloponnesi et Boeotiae et alias civi-

tates fuisse semper stipendiarias populoque Romano, cui armis restitissent, ex iure belli tributum solvisse. Quare Nero, cum omnibus Graecis, qui in provincia Achaia essent, immunitatem concederet, rediit ad tempora illa T. Quinctii Flaminini, qui ex senatus auctoritate cum reliquis Graecis libertatem atque immunitatem reliquit, tum iis, quos Macedonum dominatione liberaverat, reddidit (Liv. XXXIII, 32). Atque haec quidem de immunitate. Libertatem autem qualem Nero Achaiae dederit, definit Pausanias, cum Vespasianum narrat Graecos iussisse rursus parere proconsuli (ἡγεμόνι). Sustulit igitur Nero et legatos et proconsules, qui in Achaiam mitti solebant, certumque est eam provinciae rationem, quam Augustus instituit, esse tunc abolitam. Sed hoc dubium esse potest, utrum Nero eam restituerit Achaiae condicionem, quae usque ad Corinthi excidium fuit, cum vera libertate suisque legibus Graecos usos esse constat, an eam, quae a Mummio fuit ad Augustum, cum Graecos cum Macedonia in unam provinciam coniunctos fuisse censemus. Qua de re quid statuendum sit, primum res ipsa videtur significare. Quid enim refert, utrum tuo, quem cum nemine alio communices, an alieno praesidi pareas? Sive enim suo sive Macedoniae subiecti erant rectori Achaei, parebant tamen rectori neque Pausanias dicere poterat nulli eos a Nerone iussos esse parere rectori. Fuerat etiam diu, quam olim in libera republica Romana invenimus Achaiae et Macedoniae coniunctionem, eadem sub Tiberio et Caligula, ut prorsus manifestum esse existimem, si verum sit quod supra de Achaiae et Macedoniae coniunctione disputavimus, Neronem non ad Mummii, sed ad Flaminini tempora redisse. Quamquam ex ipsa hac Neronis constitutione, qua liberos dimisisse Graecos narratur, quaedam videmur posse deducere argumenta, quae quam supra de Achaiae per libertatem Romanam condicione exposuimus sententiam confirment. Quid enim esse putamus, quod Pausanias, cum de Nerone narret, nihil prorsus de Augusti instituto tradat Graeciaeque historiam ita exponat, quasi ex quo Corinthus capta est, si a Nerone discedas, nihil prorsus commemoratione dignum acciderit? An hac re significat restituisse Graecis Neronem, quod per Mummium Corinthique excidium amiserant? Ac quod Pausanias facit, idem faciunt reliqui auctores, qui captam esse a Mummio Graeciam testantur iidemque Neronis donum commemorant, quod autem tempus interiectum est, silentio praetermittunt. Quae res iis, qui in antiquitate non modo aperta testimonia, verum etiam signa et vestigia quamvis leviter impressa putabunt esse sequenda, magnum momentum afferet, ut nec ab Mummio usque ad Neronem quicquam magnopere in condicione Graecorum mutatum esse et Neronem ipsum ad Flaminini tempora redisse statuant. Atque ipsi auctores, qui de Neroniano dono tradunt, sententiam nostram confirmant. Quod qui accuratius explicat, Pausanias duas partes distinguit, libertatem et immunitatem, reliqui, Suetonius, Plinius, quorum loci allati sunt, Philostratus de vita Apoll. Tyan. V, 41 (*Νέρων ἐλευθέραν*

αφηκε τὴν Ἑλλάδα) libertatem solam nominant, non extenuantes illi certe quod Nero tribuerat nec discrepantes a Pausania, sed veram illam dicentes ac plenam libertatem, qua qui utuntur, quia nemini subiecti sunt suosque tantum in usus pecuniam conferunt, simul immunitatem habent. Tum etiam qui ab Corinthi excidio usque ad civilia bella libertate vera, non provinciae iure usos esse Graecos credunt, quos non recte existimare docuimus, propter aperta tamen testimonia quasdam Peloponnesi partes et Boeotiam et Euboeam et alias quasdam civitates iam tunc concedunt tributa solvisse Romano populo. At haec tributa sustulit Nero, si vere tradere censemus Pausaniam, qui universae provinciae libertatem atque immunitatem datam populoque Romano pro pecunia, quae ex Achaia redibat, Sardiniam redditam esse scribit. Nonne igitur sequitur, ut non ea quae ante Augustum, sed quae ante Mummium habuerant, Nero Graecis tribuerit? Denique cum Vespasianus quam Nero dederat libertatem ademerit, numquid ab hoc nullam in Achaia libertatem relictam esse opinamur? Nolo hoc loco persequi, quae de civitatum Graecarum libertate etiam post haec tempora traduntur, sed unum citabo testem locupletissimum Plinium, qui in epist. VIII, 24 Maximum familiarem suum pro consule Achaiae adhortatur, missum eum esse *ad ordinandum statum liberarum civitatum, ad liberos maxime liberos*, plurimaque alia in eandem sententiam profert. Haec verba non tantum hoc docent, quam vere Romani etiam cum in provinciae formam Graecos redegissent, libertatem eorum praedicare suamque in ea tribuenda liberalitatem extollere potuerint, verum illud etiam, aliam libertatem atque vel antea habuerant vel postea habuerunt, Neronem tribuisse Graecis. Quae cum ita sint, Nero idem ius dedit Graecis, quod Flamininus cum ceteros, qui vere ad id tempus liberi fuerant, retinere passus est tum eos, quos Macedonum iugo liberarat, habere iussit. Idque confirmatur ipsa ratione qua Nero donum suum impertiit. Plutarchus enim Flam. 12 sic ait: *Καὶ γὰρ Τίτος ἐν Κορίνθῳ τότε καὶ Νέρων αὖθις καθ' ἡμᾶς ἐν Κορίνθῳ παραπλησίως Ἰσθμίων ἀγομένων τοὺς Ἕλληνας ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους ἀφῆκεν, ὁ μὲν διὰ κήρυκος, ὡς εἴρηται, Νέρων δ' αὐτὸς ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἀπὸ βήματος ἐν τῷ πλήθει δημηγορήσας.* Quibus quid potest esse apertius? Nero non eodem modo loco eademque occasione qua Flamininus usus est, verum idem etiam tribuit, ut liberi essent et immunes, quare cum usque ad Mummium constet vere liberos neque ullo provinciae iure astrictos fuisse Graecos, quoniam Mummium aliquid in Graeciae statu mutasse omnes credunt, duae hae res efficiuntur, ut Graeci et a Mummio in provinciae formam redacti et a Nerone, soluti omni provinciae vinculo, ad veram libertatem dimissi sint. Quamquam Neronem cum proconsules ac provinciam aboleret, non existimabimus hoc quoque fecisse, ut societatem Achaeorum et populi Romani dissolveret. Foedus, opinor, aequum cum iis fecit, ut, si quid controversiae cum iis incidisset, non magistratum ali-

quem Romanum, sed senatum vel ipsum principem adirent cum eoque iure foederis disceptarent, non quemadmodum ceteri socii iussis obtemperarent. Qua in re etsi non multum verae libertatis (neque enim ea ulla esse poterat in tanta populi Romani potentia Achaeorumque debilitate), at magnifica tamen quaedam species inerat, quam quanti fecerint Graeci ipsi, Apollonii Tyanensis epistolae ad Vespasianum apud Philostr. l. l. testantur. Atque immunitatis certe donum cum libertate coniunctae erat tantum, ut Neronem ipsum quamvis faveret Graecis non ultra id extendisse arbitrer quam necesse erat. Quare haud scio an illo tempore acciderit, quod quando factum sit non traditur, ut Epirus ab Achaia disiungeretur propriumque praesidem, qui procurator appellabatur, a principe acciperet. Nam Epirus maximos reditus praebebat, quos imperator non temere videtur proiecisse. Sed coniectura tamen haec est, quam rationibus argumentisque hoc loco persequi non placet. Quaeritur autem, quamdiu Achaia libertatem a Nerone acceptam conservarit. Quam ereptam esse a Vespasiano diximus, annumque ipsum videtur indicare Philostratus, cum ait Vespasianum cum veniret (*ἀφικόμενος ἀφείλετο*) eam ademisse. Nimirum ipsa illa quam acceperant libertas Achaeis perniciem attulit. Cum enim divideretur imperium inter Neronem et Galbam et Othonem et Vitellium et Vespasianum, Graecos, qui non parerent amplius magistratibus Romanis, sed ipsi haberent potestatem eligendi, probabile est alios secutos esse alias partes praetextuque Romanae discordiae veteres dissensiones renovasse; ipsi etiam Neroni multos propter novae libertatis donum favisse arbitror. Ita Vespasianus quam primum imperium suscepit, libertate adempta praesidem imposuit. Hoc constat, anno 74 ineunte iam rursus fuisse provinciam Achaiam et quidem senatoriam. Etenim cum pro Achaia Sardiniam Nero senatui reddiderit, in inscriptione Sardiniae apud Alb. de la Marmora itin. Sard. Tom. II p. 469 Sex. Subrius Dexter procurator et praeses provinciae Sardiniae appellatur eo tempore, quo Vespasianus *trib. pot. V Imp. XIII cos. V design. VI* erat, qui annus, quoniam Vespasiani tribunicia potestas a Kal. Iul. anni 69 numeratur, idemque anno 74 cos. V erat, in hunc annum incidit. Unde tunc et Achaiam provinciam senatui et Sardiniam principi restitutam fuisse intelligimus.

Absolvimus, quod propositum nobis erat, ut Macedonia provincia, quo iure fuisset, quos populos comprehendisset, quibus proconsulibus vel legatis paruisset, ab ipso principio, quo armis Romanorum occupata est, usque ad imperatorem T. Vespasianum persequeremur. De qua ut paucis complectamur quae longa ac multiplici disputatione effecta sunt, maximo eam ambitu fuisse invenimus usque ad legem Vatiniam, cum non modo antiquum illud Macedonum regnum, unde appellabatur provincia, verum etiam Illyricum et quicquid Graeci nominis in Europa erat, et Creta proconsulibus Macedoniae obtemperabat. Tum seiuncti sunt Illyrici populi et Cretenses, reliqua in veteri iure relicta: postquam

Augustus imperium adeptus est, extiterunt Macedonia et Achaia, paulo post accessit Moesia, Claudius constituit Thraciam, Nero Epirum, ut, quae olim uni proconsuli Romano parueranf, ea iam imperante Vespasiano a septem tenerentur magistratibus, quorum tres annua sorte ex iis qui praeturam gesserant ab senatu fiebant, reliqui partim ex consularibus vel praetoriis partim ex equitibus Romanis ab imperatore eligebantur.

INDEX RERUM.

Achaiam provinciam, quamdiu libera erat respublica, nullam fuisse 158. coniunctam fuisse cum Macedonia 167. 173. 177. 179. 182. 187. 189. 196. 199. 215. 229. 268. quando peculiaris provincia facta sit nomenque Achaia acceperit 256. sub Tiberio rursus eam fuisse cum Macedonia coniunctam 257. libertatem accepisse ab Nerone 267.

Actiades quando institutae et celebratae 76.

ab actis senatus quod munus fuerit 29. a quo facti 30. quo iure in honoribus petendis usi sint 31.

adiectivum antepositum substantivo 115.

aediles curules maiore in honore esse quam plebeios 32. aedilitatem in honorum cursu saepe praetermitti 27.

M. Aelius Aurelius Theon iuridicus de infinito 43.

Aelius Diodotus praetor tutelaris 37.

L. Aelius Lamia, praefectus urbi 131. praeturam petit anno 42 a. Chr. 234.

L. Aemilius Paulus quas leges dederit Macedoniae et Graeciae 162.

M. Aemilium Scaurum non fuisse Achaiae rectorem 165.

aerarium pop. Rom. a quibus administrari consuerit 55.

Aesillas quaestor Caecilii praetoris 177.

Africae proconsules 65. P. Quinctilius Varus 86. L. Volusius Saturninus 88. P. Sulpicius Quirinius et Cossus Cornelius 91. extra sortem Iunius Blaesus 92. C. Vibius Marsus 136. P. Dolabella 137. L. Apronius 137. C. Considius Longus 208. L. Aelius Tubero 212. 224. P. Attius Varus et Q. Metellus Scipio 224.

M. Agrippa quando ab Augusto in Orientem missus sit 79. quando redierit 80. proconsularem potestatem accipit 82. non fuit Asiae pro consule 115. triumphalibus ornamentis contentus est 116.

Agrippa, rex Iudaeorum 131. moritur 137.

T. Ampius Balbus in Asia cum imperio est 216.

Amyntas, Galatarum rex 93.

Q. Ancharius Macedoniae proconsul 201.

Annaeus Gallio, frater Senecae, Achaiae pro consule 260 sq.

L. Annaeus Seneca philosophus quando honores acceperit 261.

P. Anteius in Syriam destinatur 138.

T. Antistius quaestor in Macedonia 217.

M. Antonium oratorem non praefuisse Macedoniae 173. IIIvir quas provincias sorte acceperit et ab senatu 236. eius lex de provinciarum tempore 244. quas condiciones de pace componenda tulerit 245. quae egerit ad Galliam cisalpinam obtinendam 246. praeest sortiendis provinciis 248. Macedoniam per legatos regit 251.

M. Antonius Primus, pro consule Macedoniae 253.

C. Antonius quomodo Graeciae praefuerit 182. Macedoniae praeest 193. IIIviri frater sorte Macedoniam accipit 248.

L. Antonius, pro quaestore in Asia 217.

L. Appuleius Saturninus, Macedoniae proconsul 195.

Archelaus, Cappadocum rex, in Cilicia regnat 94. quando eius regnum in provinciam redactum sit 125. Iudaeorum rex quot annos regnarit 108.

Armenia quas curas exhibuerit Augusto 99. 102. non est provincia 139.

Arrius Antoninus. Eius genus et honores 63.

L. Arruntius, Hispaniae legatus 132.

Asiae proconsul M. Tullius Cicero 74. M. Iunius Silanus 75. 82. 115. Iulus Antonius 86. extra sortem Avidius Cassius 92. P. Petronius 136. Cossutianus Capito 139. Caesennius Paetus 140. procuratores Lucilius Capito et P. Celer 144. proconsul Eprius Marcellus 147. rectores in libera republica C. Claudius Nero, Terentius Varro, L. Iunius Silanus 191. M. Minucius Thermus 207. num C. Fannius ei praefuerit 213. rectore aliquamdiu caret 217. P. Servilius 232.

Atidius Geminus, Achaiae proconsul incerto tempore 256.

M. Aufidius Fronto cos. anni 199 65.

Augustus imperator Orientem visit 81. a Parthis signa

et captivos recipit 83. quomodo bellum Parthicum administrarit 99. de imperatoriis eius titulis 122.
M. Aurelius quando adoptatus sit 34. consulit Italiae famis tempore 59. profectiones eius adversus barbaros 59.
Bithynia extra ordinem data 11. 14. imperatoria fit provincia et T. Iulio Hoenio Severo traditur 14. legionibus caret 93. quando provincia facta sit 191. L. Murena 205. P. Silius Nerva 207. Calvisius 212.
Bruttius Sura, Sentii Macedoniae praetoris legatus 174.
D. Brutus pro Gallia quam tenebat, Macedoniam provinciam accipit 249.

L. Caecilius Metellus Delmaticus Macedoniae proconsul et eius triumphus 166. Caprarius et frater eius uno die triumphant 170. Q. Caecilius Metellus praetor 175.
Q. Caecilius Metellus Macedonicus 162. Creticus, Macedoniae proconsul 186.
Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus, Syriae legatus 109.
A. Caecina Severus, Moesiae legatus 256.
Caerellius Priscus, praetor tutelaris 35.
Caesar dictator quot dierum supplicationes acceperit 119. quas provincias ex consulatu acceperit 218. quamdiu obtinuerit 224. quam potestatem de provinciis acceperit 232. provincias addit imperio 233. potestatem magistratuum ordinandorum in quot annos acceperit 233. in quot annos provincias diviserit 235.
C. Caesaris, Augusti filii, in Oriente imperium 99. quando Roma abierit 100. eius itinera 101. eius rectores 102.
L. Caesennius Paetus, Cappadociae rector 140.
Cn. Calpurnius Piso, Syriae legatus 96. 128. Caesoninus, Macedoniae proconsul 195.
L. Calpurnius Piso praefectus urbi 129. idem Moesiae legatus 255.
candidati principum 30.
L. Caninium Gallum non praefuisse Achaiae 201.
Cappadocia quando provincia facta sit et quos rectores habuerit 126. ei praeficitur Domitius Corbulo 139. procuratores habet 149.
Cassius aliquis legatus legionis in Syria 134.
C. Cassius Longinus, Syriae legatus 134. 137. L. Cassius Longinus, legatus Caesaris in Graecia 226. C. Cassius, Caesaris interfector, quam provinciam acceperit 236. 242. qua potestate in Syria fuerit 249.
census in Iudaea actus circa Chr. nat. 89.
Cerealis, consul anni 215 36.
Cestius Gallus, Syriae rector 141.
L. Cestius Pius rhetor 75.
Christus quo Syriae legato interfectus sit 132 sq.
Cicero provinciam Macedoniam commutat 193. Ciliciam regit 207. 209.
Cicero explicatur 181. 187 sq. 194. 198. 219. 234. emendatur 227.
Cilicia, provincia Romana 95. coniuncta cum Syria 96 sq. 143. eius rector Q. Marcius Rex 186. rectores Cn. Dolabella, P. Servilius, L. Octavius 191. Appius Claudius 203. M. Tullius 207. 209. P. Sestius 212.
Claudius Pompeianus praetor tutelaris eiusque genus 37.
Ap. Claudius Pulcher, Macedoniae proconsul 179. Ciliciae proconsul 203. idem Achaiae praefuit 215.
Claudius Pulcher praetor tutelaris 36.
Clitae, populus Ciliciae 98. 135.
cognomina sumuntur a patruis vel avunculis 67.
Commagene in provinciae formam redacta 127.
Concordiae quae appellentur urbes 47.
consulatum solere ab initio titulorum poni 5.
consul ann. 129 Publicius Marcellus 16. anni 215 Cerealis 36. anni 206 Fulvius Aemilianus 36. cos. anni 195 Scapula Tertullus 65. cos. anni 199 M. Aufidius Fronto 65. cos. anni 23 a. Chr. 77. cos. anni 7 a. Chr. 128. anni 30 p. Chr. C. Cassius Longinus 134. anni 62 p. Chr. C. Cestius Gallus 142. anni 72-70 a. Chr. quas provincias acceperint 183 anni 53 a. Chr. 204. 207. anni 56 p. Chr. Seneca philosophus 263. consules anni 60—62 p. Chr. 262.
consulares Italiam regunt 41.
Cn. Cornelius Dolabella, Macedoniae proconsul 179. P. Dolabella cos. ann. 44 quam provinciam ex consulatu acceperit 236.
P. Cornelius Scipio Nasica, legatus in Macedonia 162. 222.
Cornelius Sisenna, Achaiae legatus 160. 189.
L. Cornelius Sulla Macedoniam et Achaiam obtinet 175.

Corsica quando disiuncta sit ab Sardinia 268.
C. Cosconius praetor Macedoniae 165. 222.
Cossutianus Capito Cilicibus praeest 139.
Cretam, cum provincia fieret, cum Macedonia fuisse coniunctam 187. non fuisse quaestoriam provinciam 211. quando seiuncta sit ab Macedonia 239. in libera republica non fuisse coniunctam cum Cyrenis 241.
Culleolus, Macedoniae praetor 184. 223.
Cumanus, Iudaeae procurator, damnatur apud principem 147.
curatores civitatum 58.
Cyprus antea coniuncta cum Cilicia ab Augusto traditur senatui 95. eius proconsul C. Ummidius 138. num ei praefuerit Eprius Marcellus 147. num fuerit quaestoria provincia 211.
Cyrenarum praeses M. Nonius 208. num fuerit quaestoria provincia 211. eam capit M. Cato 224. in libera republica non fuisse coniunctas cum Creta 241.

Q. Didius, Syriae rector 73. T. Didius, Macedoniae rector 170.
Dio Cassius explicatus 46. 48. emendatus 255.
Domitius Corbulo Cappadociae praeficitur 139.
Cn. Domitius Ahenobarbus ex Gallia triumphat 166.
L. Domitium Ahenobarbum non accepisse provinciam ex consulatu 202.
Cn. Domitius Calvinus cos. ann. 53 a. Chr. 207.
Drusus, Germanici filius 134.
Dymaeorum respublica 167.

Equitum Romanorum turmae sex 24. Cur turmae quartae et sextae nulli inveniantur seviri 25.

Fabiorum Maximorum genus 168.
Q. Fabius Maximus Eburnus Macedoniae rector 167. Aemilianus et Servilianus et Allobrogicus 168. 169. Q. Fabius Maximus cos. ann. 45 a. Chr. 168.
Q. Fabius Africanus 168.
C. Fannius num Asiae proconsul fuerit 213.
fasti Capitolini supplentur 77.
Flavius Severianus praetor tutelaris 37.
M. Fonteius legatus Dolabellae in Macedonia 179.
fragmenta Vaticana explicata 33.
frater Arvalis 39.
Frontonis locus explicatur 47. quando scripserit epistolas 63.
frumentariae largitiones et Romae et in Italia 50. frumentarium negotium delatum M. Bruto et C. Cassio 242.
Q. Fufius Calenus Graeciae praeest 226.
Fulvius Aemilianus praetor tutelaris 36. L. Fulvius Gavius iuridicus 43.

A. Gabinius Syriae proconsul 196.
P. Gabinium Capitonem non fuisse Achaiae rectorem 177.
L. Gabonius Arunculeius iuridicus 43.
Galatiae praeses C. Iulius Scapula 17. provinciae origo 92. 107. 143. praetoria est, nonnunquam consularis 95. cum Cappadocia coniuncta 140. 148. ei praeest Eprius Marcellus 148.
Galliae rector C. Piso 186. cisalpinae L. Afranius, transalpinae Q. Celer 194. 206. cisalpinae L. Domitius, transalpinae M. Considius 212. cum Gallia cisalpina coniungitur Illyricum 220.
Gallus, legatus leg. XII Fulminatae 134.
L. Gellium Publicolam non praefuisse Achaiae 190.
Germani reges habent 123.
Germaniae superioris legatus C. Silius 144.
Graeciam semper usam esse magistratibus Romanis 159. quando provincia facta sit 161.

Herodes, Iudaeorum rex, Trachonitidem accipit 75. eius profectiones Romam 83.
Hispaniae legatus L. Arruntius 132. praeses M. Pupius Piso 186. 205. Q. Cassius Longinus, C. Trebonius, C. Carrinas, M. Lepidus 225.
Homonadenses, Ciliciae populus 90.
honorum appellationes Latine 111.
Q. Hortensius orator provinciam deprecatur 186. eius filius Macedoniam regit 229. 247.

Illyricum usque ad Caesarem dictatorem cum Macedonia fuisse coniunctum 184. 218 sq. quando in provinciae formam sit redactum 221. quando seiunctum ab Macedonia et rursus cum ea coniunctum 223. 230.

Illyrici legatus C. Ummidius 138. P. Sulpicius 230. C. Antonius 231. P. Vatinius 231. 232.
imperatorius titulus cui ab Augusto et Tiberio concessus sit 118. in libera republica ab senatu confirmatur 192. seiunctus ab triumpho 195. 252.
Imperatores sanctissimi et *maximi* 4. quando duo esse coeperint 4. 33.
inscriptionum ordo confusus 5. Graecarum inscriptionum negligentia 15. errores in iis 60. ementita de P. Sulpicio Quirinio 104.
Iosephus in historia regis Archelai lacunam habet 87.
Italia quomodo administrata sit sub imperatoribus 40. distinguitur ab urbe eiusque regione 42. eius regiones 44.
iterum i. q. bis 112.
Iudaeorum alterum sub Hadriano bellum 11. procuratores 146.
M. Iunius Brutus, Caesaris interfector, Macedoniae rector 231. in praetura absentiae veniam accipit 236. qua potestate in Macedonia fuerit 249. rei frumentariae praeponitur 242.
C. Iunius Silanus Moesiae legatus 254.
D. Iunius Silanus Manlianus Macedoniae rector 165.
T. Iulius Hoenius Severus Britanniae et Bithyniae praeses 11. idem legatus legionis IV Scythicae 14.
C. Iulius Scapula legatus leg. IV Scythicae et praeses Galatiae 17.
iuridici per Italiam. Eorum origo 40. nomina 43. dioeceses 43 sq. eorum potestas 46. a quo facti sint 51. eorum appellatio 55.
iurisdictio pupillaris 33.
M. Iuventius Laterensis, quaestor Cyrenarum 211. 241.

labor i. q. industria 60.
Laelius, Macedoniae rector 228.
Ti. Latinius Pandusa, praetor Macedoniae 165. 222. 257.
legatus in provincia i. q. legatus provinciae 75. legati certas dioeceses habent in provincia 133. legatos legionum quot habuerit Syriae praeses 85. ii nominantur 133. 134. legatos principum non in senatu, sed apud principem repetundarum causam dixisse 144 sq.
legio IV Scythica. Eius historia 8. et nomen 9. et legati 17. 18. legiones in Syria 133. legionum veteranos in provinciis consedisse 188.
Cn. Lentulus Marcellinus 206.
Lepida, P. Quirinii uxor 102.
lex Sempronia de provinciis 193. 202. Clodia de Macedonia et Syria 195. 220. Iulia repetundarum 197. Trebonia 201. curiata de imperio 203. Pompeia de provinciis 204. 291. Vatinia de Caesaris provinciis 219 sq. eadem Cretam seiunctam esse ab Macedonia 240. Iulia de provinciarum tempore 233. 244. Antonia de provinciarum tempore 244 sq. 248.
libertas civitatum qua in re posita sit 156. 268. quomodo defensa lege Iulia 196.
M. Licinius Lucullus, Macedoniae proconsul 181.
Licinius Mucianus, Lyciae praeses 147.
A. Licinius Nerva, praetor Macedoniae 165.
M. Licinius Crassus, legatus Octaviani in Macedonia 252.
litterarum duplicatio ad pluralem significandum 54.
M. Livius Drusus, Macedoniae proconsul 172.
M. Lollius, C. Caesaris rector et Syriae legatus 102. 107.
Lucas evangelista illustratur 88.
ludi Actiaci 81.
Lusitaniae legatus C. Ummidius 138.
C. Luxilius Sabinus Egnatius, iuridicus reg. Transpadanae 43.
Lycia provincia, cui praeest Eprius Marcellus 143. 147. Licinius Mucianus 147.

Macedonia quando provincia facta sit 161. ex ea omnes qui consulari imperio fuerunt, triumphos egerunt 169. 192.
Manilius Carbo et Manilius Cerealis praetores tutelares 35.
L. Manlius Torquatus, Macedoniae proconsul 192.
Marcellus Claudius, Moesiae legatus 254.
C. Marcius Censorinus, C. Caesaris rector et Syriae legatus 103. 108.
L. Marcius Rex ex Gallia triumphat 166.
Marmarica regio in provincia Africa 91.
Maroboduus Germanorum rex 123.
L. Martius Macer, Moesiae legatus 259.
Mauretaniae procurator sub Nerone Vibius Secundus 146.
C. Memmius Regulus, Moesiae legatus 259.
M. Minucius Rufus, Macedoniae proconsul 172.
Moesiae legatus Pomponius Labeo 145. quando instituta sit provincia 253. cum Macedonia et Achaia

coniuncta 257. non semper paruisse consularibus legatis 260.
L. Mummium Macedoniae praefuisse 162.
Cn. Munatius Plancus, praetor designatus 234. L. Plancus cos. des. 234.

Nero, Germanici filius 136.
Nero imperator Achaiae libertatem et immunitatem dat 269.
nomina honorum modo longiora modo breviora 45.
numeralia confusa 112.

C. Octavius, Macedoniae proconsul 194.
ornamenta triumphalia et *triumphalia ornamenta* 115. decreta legatis 116.

Pacuvius legatus legionis VI in Syria 132.
Palaestinae praeses Tineius Rufus 12.
Pamphylia provincia 143. 148.
Ti. Pandusa, Macedoniae praeses 165. 222. 257.
S. Pedius Hirrutus iuridicus 44. 53.
P. Petronius, Syriae praeses 135.
Cn. Plancius, Macedoniae quaestor 195. 241.
M. Plautius Silvanus, Illyrici legatus 256.
Plinii praefectura aerarii 57.
P. Plotius Romanus iuridicus per Aem. Lig. 43.
Cn. Pompeio quot dierum supplicationes datae sint 119. eius imperium 141. provinciam deprecatur 184. res eius Cretae gestae 189. eius legati consulares 216.
Pomponius Flaccus, Syriae legatus 129. legatus legionis et Moesiae praeses 130. 257. Pomponius Labeo, Moesiae legatus 145. 258.
Pontius Pilatus, Iudaeae procurator 147.
C. Poppaeus Sabinus, Moesiae legatus 256.
C. Porcius Cato, Macedoniae rector 170.
M. Porcius Cato quando tribunus militum fuerit 185. provinciam non accepit ex praetura 204. Cyprum in provinciam redigit 211. Cyrenas capit 224.
praefecti aerarii Saturni 55 sq. a quo facti et in quot annos 57. praef. aerarii militaris 58.
praefectus fabrum delatus ad aerarium 107.
praefectus urbi L. Piso et alii 130. praefecti quinquennalium Uticae 137.
praenomina quomodo sumantur 67.
praetorum numerus sub imperatoribus 32. praetor pupillaris sive tutelaris a quo institutus 33. qui nominentur 35. 38. praetores aerarii 56. praetor diversus est ab propraetore 176. praetores anni 54 non accepisse provincias 202. praetores anni 49 qui fuerint 214. 217. praetores non licet plus decem diebus ab urbe abesse 238.
principem iuventutis eundem esse sevirum equitum Romanorum 25.
proconsules dici qui praeturam gesserant 169. 194. 201. 233. sed diversos esse ab iis, qui imperium consulare habent 170. extra sortem factos 259.
proconsularis potestas Augusti 79. Agrippae 82. C. Caesaris 100. Germanici 128.
proconsulatus Africae et Asiae quot annis post consulatum geri soleant 65. 86. 92.
procuratores parere legatis 127. 133. non dicere causam in senatu 143. 146.
provincia quodvis negotium appellatur 100. provinciae aliquando privatis mandabantur 168. 206. quot provincias Romani habuerint anno 50 a. Chr. 209. quaestorias provincias esse nullas 210. provincias consulares iam in consulatu adiri 245. 247. provincias senatus plus quam annum obtineri 92. 112. provincias Caesaris non minus quam triennium nec plus quam quinquennium teneri 87. ex praetoriis fieri consulares 95. provinciae praetoriae quot annis post praeturam sorte obtineri consuerint 263. prov. senatus ex Caesaris arbitrio esse divisas 265.
Publicius Marcellus cos. ann. 129 et Syriae rector 16.
pupillaris idem quod *tutelaris* 33.
A. Pupius Rufus, quaestor Cyrenarum 211.

Quaestores principis et candidati 28. quaestores carere imperio 155.
quaestorias provincias esse nullas 210.
quaestura in honorum cursu omittitur 28.
quattuorviri viarum quando orti, quid curarint, quo ordine, qua aetate fuerint 6.
P. Quinctilius Varus, Syriae rector 85.
T. Quinctius Flamininus quas leges dederit Graeciae 162.
quinquennales Uticae 136.

reges socios parere legatis provinciarum 127.
Roma et urbica dioecesis 42. 44.
L. Rubrius Culleolus, Macedoniae praeses 184.

Sardiniae praeses M. Aurelius Cotta 212. Q Valerius Orca 224. Sex. Peducaeus 224. provinciae fortuna sub imperatoribus quae fuerit 267.
sacerdotia quo loco in titulis collocari soleant 39. eorum numerus 53.
Saturnini altero p. Chr. saeculo 61.
Scapula Tertullus, cos. ann. 195 65.
C. Scribonius Curio, Macedoniae proconsul 180.
senatum non iudicare de legatis principum 144. ei a Tiberio demum hoc iuris tributum, ut senatores apud senatum accusarentur 253.
senatores sunt seviri eq. Rom. 27.
senatusconsultum de provinciis 204.
Seneca philosophus quando honores gesserit 261.
C. Sentius Saturninus, Syriae rector 84. eius bella Germanica et supplicationes 122. Cn. Sentius Saturninus 129. C. Sentius Macedoniae rector 173.
Septimius Severus imperator quando legioni IV Scythicae praefuerit 18. quando praetoria provincia functus sit 264.
Severi varii altero post Chr. saeculo 13.
seviri equestrium turmarum 24 sq. creantur ab equitibus 25.
C. Sextilius Rufus, quaestor Cypri 211.
Siciliae rector T. Furfanius 208. M. Cato 212. C. Curio 224. A. Albinus, M' Acilius Glabrio, A. Allienus, T. Furfanius 224.
C. Silius Germaniae superioris legatus 144.
Simonius Proculus Iulianns, iuridicus reg. Transpadanae 43.
Spartianus Sept. Sev. c. 3 emendatur 18.
P. Sulpicius Quirinius, Syriae legatus 88 sq. eius cognomen 106. eius altera legatio 108.
Ser. Sulpicius Rufus, Macedoniae rector 226.
supplicationes imperatoribus solis decerni 116. 252. supplicationes est plurale tantum 118. earum ratio ac numerus 119 sq.
Syria provincia sub Hadriano 10. ei praeest Iulius Severus 12. Publicius Marcellus 16. quando coepta sit regi ab consularibus viris 76. 82. quot legatos habuerit eius rector 85. proconsul A. Gabinius 196. Metellus Scipio 212.
Tacitus illustratur 97. 102. 257. 258. 261.
Terentius Varro, qui coniurat in Augustum, et ille, qui Syriam regit 77.
Thraciae praeses Tineius Rufus 12. provincia propria fit 267.
Tiberius, Augusti privignus, tribuniciam potestatem accipit et Rhodum secedit 99. redit ex exilio 101. visitur a C. Caesare 103. primus ornamenta triumphalia accipit 117. quotiens et quando imperator appellatus sit 122. bis correctionem morum suscipit 130. eius in provinciis mandandis ignavia 132. senatoribus concedit, ut apud senatum modo accusentur 253.
Tineius Rufus, Palaestinae praeses 12.
M. Titius, Syriae rector 82.
L. Tremellius Scrofa in Macedonia quaestor 164. Cn. praetor et Macedoniae rector 207.
tribuni laticlavii quando instituti et quomodo ab aliis tribunis differant 18 sq.
tribus adiecta nomini altero p. Chr. saeculo 69.
triumphus sub imperatoribus 116 seiunctus ab imperatorio titulo 192. 195.
M. Tullius Cicero Syriae rector 74.
turmae equitum Romanorum equo publico 24 sq.
tutelaris et *tutelarius* 38.
L. Valerius Flaccus, legatus Cretici in Macedonia 186.
M. Valerius Messalla Corvinus, Syriae rector 74. cos. ann. 53 a. Chr. 207. Volesum Messallam, proconsulem Asiae, non videri repetundarum in senatu esse accusatum 253.
P. Vatinius, Illyrici pro consule 231. 232.
Vespasianus Palaestinae praeficitur 142.
C. Vibius Marsus, Syriae rector 136.
Visellius Varro 77.
L. Vitellius, Syriae rector 135.
C. Ummidius Durmius Quadratus, Syriae rector 138.
Volso, vetus cognomen 193.
L. Volusius Saturninus, Syriae praeses 88. 108.

Typis fratrum Unger.

In demselben Verlage sind erschienen:

AUFRECHT, Dr. **S. TH.** und Dr. **A. KIRCHHOFF**, DIE UMBRISCHEN SPRACHDENKMÄLER. Ein Versuch zur Deutung derselben. Zwei Theile, (zusammen 77 Bogen) hoch 4. Mit 10 lithogr. Tafeln. In einem Bande cart. 1850 10 Thlr.

KAEMPFF, Dr. **F. H.**, UMBRICORUM SPECIMEN PRIMUM. 8 maj. 1834. geh. 10 Sgr.

KRAUSE, A., VITAE ET FRAGMENTA VETERUM HISTORICORUM ROMANORUM. 8 maj. 1833. 1 Thlr. 15 Sgr

ZUMPT, AUG. WILH., COMMENTATIONUM EPIGRAPHICARUM ad antiquitates Romanas pertinentium volumen. gr. 4. cart. 5 Thlr. 10 Sgr.

Inhalt: Fastorum municipalium Campanorum fragmentum restitutum et explicatum; de quinquennalibus municipiorum et coloniarum; de IV. viris municipalibus; de coloniis Romanorum militaribus libri quattuor. 1850 4. cart.

— — —, DE FASTORUM MUNICIPALIUM CAMPANORUM FRAGMENTO DEFENSIO. 1853. 4. geh. 15 Sgr.

— — —, DE CAROLI TIMOTHEI ZUMPTII VITA ET STUDIIS NARRATIO. Accedunt Caroli Timothei orationes Latinae sex. Mit Portrait in Stahlstich. 1851. gr. 8. geh. 1 Thlr. 10 Sgr.

—, **CAROLUS TIMOTHEUS**, UEBER DIE ABSTIMMUNG DES ROEMISCHEN VOLKS IN CENTURIATCOMITIEN UND UEBER DEN M'. CURIUS, DER DEN VELINUS ABGELEITET. gr. 4. 1837. 10 Sgr.

—, ANNALES VETERUM REGNORUM ET POPULORUM, IMPRIMIS ROMANORUM. Editio altera passim aucta et correcta. 4 maj. 1838. 1 Thlr. 15 Sgr

— —, UEBER DEN BESTAND DER PHILOSOPHISCHEN SCHULEN IN ATHEN UND DIE SUCCESSION DER SCHOLARCHEN. gr. 4. 1843. 25 Sgr.

— —, DECRETUM MUNICIPALE TERGESTINUM DE HONORE FABII SEVERI SECUNDUM VETEREM LAPIDEM DENUO RECENSITUM ET ILLUSTRATUM. 4 maj. 1837. geh. 10 Sgr.

— —, UEBER DIE BAULICHE EINRICHTUNG DES ROEMISCHEN WOHNHAUSES. Zweite Auflage. Mit einer lithogr. Tafel. gr. 8. 1852. 10 Sgr.

— — DE LEGIBUS JUDICIISQUE REPETUNDARUM IN REPUBLICA ROMANA. Commentatio I. II. gr. 4. 1845. 20 Sgr.

— — DE LEGIBUS etc. Commentatio III. gr. 4. 1847. 18 Sgr.

Zusammen 1 Thlr. 8 Sgr.

— —, UEBER DEN STAND DER BEVOELKERUNG UND DIE VOLKSVERMEHRUNG IM ALTERTHUM. gr. 4. 1841. 22½ Sgr.

— —, UEBER DEN URSPRUNG, FORM UND BEDEUTUNG DES CENTUMVIRALGERICHTS IN ROM. gr. 4. 1838 12½ Sgr.

CICERONIS, MARCI TULLI, VERRINARUM libri VII. Ad fidem codicum manu scriptorum recensuit et explicavit Car. Timoth. Zumptius. gr. 8. 6 Thlr. 10 Sgr.
auf Schreibpapier 8 Thlr.

RUTILIUS NAMATIANUS DE REDITU SUO, ED. A. G. ZUMPT. gr. 8. 1840. 1 Thlr. 7½ Sgr.

ZUMPT, A. G., OBSERVATIONES IN RUTILII CLAUDII NAMATIANI CARMEN DE REDITU SUO. 8 maj. 1837. geh. 20 Sgr.

LIVI, T., AB URBE CONDITA LIBER TRICESIMUS. Ad codicum manu scriptorum fidem emendatus ab C. F. Alschefski. gr. 8. 1839. 25 Sgr.

— —, RERUM ROMANARUM AB URBE CONDITA LIBRI, ad codicum manu scriptorum fidem emendati ab Car. Fried. Sigm. Alschefski. Vol. I. Primae decadis partem priorem continens. 8 maj. 1841. 2 Thlr. 20 Sgr.

— —, Vol. II. Primae decadis partem alteram continens. 8 maj. 1843. 3 Thlr. 15 Sgr.

— —, Vol. III. Pars I. Decadis tertiae partem primam continens. 8 maj. 1846. 3 Thlr. 25 Sgr.

ANALECTA CRITICA POESIS ROMANORUM SCENICAE RELIQUIAS ILLUSTRANTIA. **FR. OSANN.** Insunt Plauti Fragmenta ab Angelo Maio in Codice Ambrosiano nuper reperta. 8 maj. 1816. 1 Thlr. 7½ Sgr.

XENOPHON DE REPUBLICA LACEDAEMONIORUM. Emendavit et illustravit **FR. HAASE,** Magdeburgensis. Accedunt verborum index locupletissimus et rerum tacticarum figurae. 8 maj. 1833. 1 Thlr. 15 Sgr.

2V0
20

CN520 .Z94 v.2
Augusti Wilhelmi Zumptii Commentationum
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00021 3910